COMMENTARIUS

IN

CONSTITUTIONES GENERALES

FRATRUM MINORUM

OPERA

FR. MICHAËLIS SLEUTJES

PROV. GERMANIAE INFERIORIS IN HOLLANDIA

Volumen I.

Cap. I-VI.

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

AD CLARAS AQUA
prope Florentiam
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE
1915.

4867

INDEX

Decretum approbationis huius Commentarii . . . . *Pag.* VII

CAPUT I.

..... De observantia Regulae. . . . . » 3
§ II..... De obedientia Summo Pontifici, Ecclesiae Praelatis ac generali Ordinis Ministro debita . » 18

CAPUT II.

§ I..... De qualitatibus recipiendorum ad Ordinem. . » 21
§ II..... De studiis ante ingressum in Ordinem requisitis et de collegiis seraphicis . . . . . » 50
§ III..... De requisitis pro receptione ad laicatum. . . » 55
§ IV..... De modo recipiendi postulantes ad Ordinem . » 58
§ V..... De locis novitiatus . . . . . » 79
§ VI..... De novitiorum magistris . . . . . » 84
§ VII..... De novitiorum educatione . . . . . » 88
§ VIII.... De novitiatus disciplina externa . . . . . » 96
§ IX..... De suffragiis pro novitiis ferendis. . . . . » 101
§ X..... De professione votorum simplicium. . . . . » 114
§ XI..... De professione votorum solemnium. . . . . » 135
§ XII..... De clericorum spirituali educatione . . . . » 148
§ XIII.... De clericorum ordinatione. . . . . » 154
§ XIV..... De debita Fratrum laicorum institutione . . » 167
§ XV..... De tertiariis seu oblatis . . . . . » 170
§ XVI..... De transitu ad aliam provinciam . . . . . » 174
§ XVII... De apostatis . . . . . » 179
§ XVIII. De saecularizatis . . . . . » 184
§ XIX.... De vestimentis. . . . . » 190
§ XX..... De tonsura . . . . . » 213

CAPUT III.

§ I..... De divinis officiis et choro . . . . . *Pag.* 215
§ II..... De ecclesiarum nitore et cultu. . . . . » 233
§ III.... De suffragiis pro defunctis . . . . . » 253
§ IV..... De oratione mentali aliisque pietatis officiis . . » 257
§ V..... De ieiunio . . . . . » 269
§ VI..... De silentio. . . . . » 277
§ VII... De localis clausurae disciplina . . . . . » 280
§ VIII. De itinerantibus . . . . . » 291
§ IX.... De non equitando . . . . . » 299

CAPUT IV.

§ I..... De interdicto pecuniae. . . . . » 302
§ II..... De syndico apostolico . . . . . » 327

CAPUT V.

§ I..... De labore . . . . . » 348
§ II..... De studiis et studentibus. . . . . » 355
§ III.... De lectoribus . . . . . » 366
§ IV..... De bibliotheca, archivo et usu librorum . . . » 372

CAPUT VI.

§ I..... De rerum omnium abdicatione . . . . . » 377
§ II..... De communis vitae ratione et rerum usu . . . » 388
§ III.... De legatis et Missis . . . . . » 405
§ IV..... De locis et fabricis. . . . . » 415
§ V..... De eleemosynarum mendicatione . . . . . » 422
§ VI..... De fraterna dilectione. . . . . » 427
§ VII... De religiosa hospitalitate. . . . . » 428
§ VIII. De cura infirmorum. . . . . » 430

Addenda et corrigenda. . . . . » 435

COMMENTARIUS

IN

CONSTITUTIONES GENERALES

FRATRUM MINORUM

DECRETUM APPROBATIONIS

DECRETUM.

Praesentis tenore Decreti opus, cui titulus *Commentarius in Constitutiones generales Fratrum Minorum*, a R. P. Michaële Sleutjes, Provinciae Hollandiae alumno, huius Collegii nostri Lectore Iuris Canonici, summo studio concinnatum et a duobus Patribus Rmi Definitorii, quibus commisimus, revisum ac valde laudatum, nostra etiam auctoritate approbamus ac typis mandari iubemus, Religiosis illud plurimum commendantes ad uniformem praesertim legum nostrarum intellectum et observantiam ubique in Ordine obtinendam.

Datum Romae ad S. Antonium die 3 Maii 1915.

Fr. Pacificus, *Min. Gen.*

Nihil obstat.

Florentiae, 11 Maii 1915.

C. D. Caietanus Cini, *Rev. Eccl.*

Imprimatur.

Florentiae, 12 Maii 1915.

Cioni, *Vic. Gen.*

PRAEFATIO

Constitutionum generalium editio novissima (anni 1913) in hunc finem tendit, ut, factis opportunis suppressionibus, additionibus et emendationibus, in Ordine statuatur, promoveatur atque integra conservetur regularis observantia uniformis, quae hodiernis necessitatibus atque canonicis praescriptionibus plane respondeat.

Porro regularis observantia uniformis plurimum pendet ab uniformi Constitutionum intellectu. Qui ut in Ordine stabiliatur, mandante et approbante Rmo P. Ministro generali cum suo Definitorio, hic publicatur commentarius; cuius scopus est duplex, ut nempe tum singularum Constitutionum verba et sensus declarando determinentur, tum etiam Regulae praecepta, quae inculcantur vel determinantur per Constitutiones, necnon iuris quaestiones, quae ad ipsas pertinent, exponendo doceantur, quo fiat ut eorum, quae in hisce Constitutionibus observanda praescribuntur vel proponuntur, iurium expositio absoluta Ordinis alumnis praebeatur.

Fons huius commentarii praecipuus, praeter Regulae expositores, sunt eruditissimi *Commentarii in Generalia Statuta* etc., *auctore R. P. F. Gaudentio Kerckhove*, cuius doctrina, ubi licet, ipsius verbis saltem summariis refertur. In exponendis vero iuris quaestionibus duces praecipui erunt

Piatus Montanus, *Praelectiones iuris regularis* (Editio 3), Victorius ab Appeltern, *Compendium praelectionum iuris regularis A. Rdi P. Piati Montani* etc., et Vermeersch, *De Religiosis* etc., tom. I, *ad usum scholarum* (Editio 2).

Citationes textus Regulae ac Declarationum Nicolai III et Clementis V ceterorumque documentorum iuridicorum fiunt iuxta editionem cui titulus: *Monumenta iuris regularis* etc.

Faxit Deus, ut hic labor ex obedientia susceptus, divina favente ope, cedat ad maiorem Dei gloriam et Ordinis bonum atque decus.

CAPUT I.

§ I.

De observantia Regulae.

1. Insignis Christi sectator, S. P. N. Franciscus, Ordinis nostri fundator inclytus, sacram Regulam a Deo acceptam, et a S. Sede Apostolica approbatam sibi suique Instituti sectatoribus servandam proposuit. Huius itaque Regulae in sua puritate observantiam universus Ordo noster ubique sartam tectamque retinere volens, et alias saepe protestatus est, et iterum sincere protestatur, se nullam admittere dispensationem, per quam aliter ac in ipsa Regula et Declarationibus Nicolai III et Clementis V aliorumque Pontificum continctur nobis vivere permittatur.

1. **Regula observanda** ex iis quas S. P. N. Franciscus pro Fratribus Minoribus composuit, ea est quae ex duodecim tantum capitulis constans, ab Honorio Papa III anno 1223 per Bullam est confirmata. Sola haec ex SS. Pontificum Decretis in Ecclesia in usu est ac vigore, atque hanc solam Fratres Minores in formula professionis servandam vovent (1). — Cuius **Regulae singularis praerogativa** est, ut a Deo accepta merito credatur, non solum quatenus *omne datum optimum, et omne donum perfectum*

(1) Kazenberger, *Compendiosa expositio litteralis in S. Regulam S. P. Francisci* (Ed. nova) quaest. prooem. I.

desursum est descendens a Patre luminum (1), sed et hoc sensu prorsus singulari, quod a Christo Domino seraphico Patriarchae in monte Columbo fuit dictata, teste Waddingo (2), ita ut nostrae Regulae obligationes quaelibet non tam ab ipsius S. Patris humano intellectu ac prudentia, quam potius ab ipsius Christi Domini divina voluntate praescriptae iure meritoque dicantur.

2. **Regulae substantia** constat, praeterquam tribus votis essentialibus obedientiae, paupertatis et castitatis, pluribus praeceptis in conscientia obligantibus, quae commode revocari possunt ad haec viginti quinque quae sequuntur (3):

Septem praecepta formalia.

1. Quod totus Ordo teneatur praestare obedientiam et reverentiam Domino Papae et Romanae Ecclesiae. *Cap. 1 Regulae.*
2. Quod Fratres nullo modo denarios vel pecuniam recipiant. *Cap. 4 Regulae.*
3. Quod Fratres obediant suis Ministris in omnibus quae promiserunt Domino observare. *Cap. 10 Regulae.*
4. Quod Fratres non habeant suspecta consortia mulierum. *Cap. 11 Regulae.*
5. Quod non ingrediantur monasteria monacharum. *Cap. 11 Regulae.*
6. Quod non fiant compatres virorum vel mulierum. *Cap. 11 Regulae.*
7. Quod Ministri petant unum de sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui sit gubernator, protector et corrector istius Fraternitatis. *Cap. 12 Regulae.*

Duo praecepta inhibitoria.

1. Quod nullo modo liceat Fratribus de ista Religione exire. *Cap. 2 Regulae.*
2. Quod Fratres nihil sibi approprient. *Cap. 6 Regulae.*

(1) Iacob. I, 17.

(2) *Annales* ad annum Domini 1223 n. 10.

(3) Ex Kazenberger, quaest. prooem. II.

Quatuor habentia vim praecepti,
obligantia sub mortali peccato, e Declaratione Pontificum.

1. Quod Fratres teneantur recurrere ad Ministros provinciales pro casibus reservatis. *Cap. 7 Regulae.*
2. Quod Fratres habeant unum de Fratribus istius Religionis in generalem Ministrum. *Cap. 8 Regulae.*
3. Quod Ministri et Custodes teneantur insimul convenire in Capitulo generali pro electione successoris generalis Ministri. *Cap. 8 Regulae.*
4. Quod si aliquo tempore appareret universitati Ministrorum provincialium et Custodum, praedictum Ministrum non esse sufficientem, debeant eligere alium. *Cap. 8 Regulae.*

Duodecim aequipollentia praeceptis,
ex Declaratione Clementis V obligantia sub peccato mortali.

1. Quod Fratres habeant unam tunicam cum caputio, et aliam sine caputio qui voluerint habere. *Cap. 2 Regulae.*
2. Quod illi tantum, qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta. *Cap. 2 Regulae.*
3. Quod vilibus vestimentis induantur. *Cap. 2 Regulae.*
4. Quod clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctae Romanae Ecclesiae, et laici dicant *Pater Noster*. *Cap. 3 Regulae.*
5. Quod Fratres ieiunent a festo omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini, sanctam quadragesimam Resurrectionis et in feriis sextis totius anni. *Cap. 3 Regulae.*
6. Quod non equitent, nisi manifesta necessitate aut infirmitate cogantur. *Cap. 3 Regulae.*
7. Quod Ministri et Custodes sollicitam curam gerant pro necessitatibus infirmorum et aliis Fratribus induendis. *Cap. 4 Regulae.*
8. Quod Fratres serviant Fratribus infirmis. *Cap. 6 Regulae.*
9. Quod Fratres non praedicent in episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. *Cap. 9 Regulae.*

10. Quod nullus Fratrum populo audeat praedicare, nisi a Ministro generali huius Fraternitatis fuerit approbatus. *Cap. 9 Regulae.*
11. Quod ubicumque sunt Fratres, qui scirent et cognoscerent, se non posse Regulam spiritualiter observare, possint et debeant ad suos Ministros recurrere. *Cap. 10 Regulae.*
12. Omnia, quae ponuntur in Regula, quoad formam habitus tam novitiorum quam professorum, et quoad modum receptionis ac professionis spectantia, in quibus multae conditiones sub peccato mortali obligantes comprehenduntur. *Cap. 2 Regulae.*

3. Quae hoc art. ex maiorum exemplo emittitur **contra omnem in Regula dispensationem Ordinis protestatio** intelligenda est de dispensatione seu privilegio contra Regulae puritatem communi, qua nempe alicuius obligationis substantia pro Ordine qua tali tollatur. Emittitur autem huiusmodi protestatio, ne quis privilegiis Regulae relaxativis, quae ceu Ordini a Sede Apostolica concessa falso (1) referuntur, deceptus a Regulae in sua puritate observantia deflectat. Licet enim forte olim varia fuerint impetrata huiusmodi privilegia in Ordine, a toto Ordinis corpore numquam fuerunt recepta; nam imprimis iam a tempore S. Francisci in omnibus Capitulis generalibus fuerunt reiectae corruptelae Regulae relaxativae, teste ipso Clemente V in sua Declaratione art. 8, ubi pluribus recensitis subiungit: « Attamen communitas Fratrum et specialiter Rectores ipsius Ordinis asserebant, quod praedicta seu plura ex ipsis in Ordine non fiebant. Quod et si qui reperiuntur rei in talibus, rigide puniuntur. Necnon contra talia, ne fiant, facta sunt plura ab antiquo statuta multum stricta ». Deinde etiam specialiter similibus privilegiis et consuetudinibus, seu potius corruptelis, restiterunt Patres Capituli generalis Toletani anno 1606, nec-

(1) Legatur Van den Haute, *Breviarium Historicum Ordinis Minorum*, tract. II capp. XXII et XXIII et cap. XXXII §§ III et IV.

non Romani anno 1612 et Vallisoletani anno 1670. Demum Innocentius Pp. XI Const. *Sollicitudo* 20 Nov. 1679 praedictam protestationem auctoritate apostolica confirmans omnes et singulas dispensationes, concessiones et consuetudines, si quae contra puritatem Regulae in Ordine reperiantur revocat, cassat, irritat, annullat, viribusque et effectu penitus et omnino vacuas esse et perpetuo fore decernit et declarat; quod idem pridem, anno scil. 1625, praestiterat Urbanus VIII Const. *Sacrosanctum*, abrogans quascumque concessiones sive indulta, tam per Litteras Apostolicas, etiam motu proprio, quam vivae vocis oraculo concessa, quae puritati Regulae aut Declarationibus Nicolai III et Clementis V quomodolibet adversantur. Exinde patet, neminem in Ordine nostro legitime professum vere tueri se posse similibus privilegiis, ut vel in ullo puncto faciat impune quidpiam puritati Regulae contrarium, quinimmo omnes obligatos esse, ut, nullo admisso privilegio contra puritatem Regulae, incumbant efficaci promissorum observationi (1).

2. Eapropter omnes et singulos abusus, si qui alicubi irrepserint, Ordo ipse unanimiter detestatur et proscribit, et solum secundum praedictas pontificias Declarationes in Regulae nostrae observantia vivere nobis licitum esse declarat, non autem secundum pravam aliquam, etiam inveteratam, consuetudinem, vel in substantialibus dispensationem.

Regulae observantia litteralis et pura ad mentem S. P. N. Francisci dicenda est ea sola, quae Nicolai III et Clementis V Declarationibus est conformis (2); ipsi enim praedicti Pontifices in suis Declarationibus testificantur, non aliter Regulam explicare se velle, quam iuxta verum

(1) Kerckhove, cap. 1 § 15 n. 1.

(2) De hisce Declarationibus legatur Kerckhove, cap. 3 § 2 nn. 2-5.

sensum a seraphico Institutore intentum (1), in quod testimonium sane inniti Ordo et iure debet et tuto potest. Hinc, « ut in Ordine praefato status et Regula Fratrum Minorum iure observetur », Innocentius XI in cit. Constit. *Sollicitudo* « motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine » declarat « omnes et singulos Fratres de corpore Observantiae dicti Ordinis teneri in conscientia observare Regulam Fratrum Minorum sancti Francisci, et praecepta eius a fel. rec. Nicolao III et Clemente V Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris exposita et enumerata, ad normam Constitutionum praedictarum respective ». — Haec autem Innocentii definitio non prohibet, quominus in praxi serventur et aliae praesertim posteriores Rom. Pontificum Constitutiones seu concessiones, quae licet praefatis Nicolai III et Clementis V Declarationibus sint dispares, nihil tamen iisdem contrarium vel a puritate Regulae alienum continent: quales in specie sunt Martini IV, Martini V ac Pauli IV Constitutiones de usu syndici apostolici. Cfr. dicenda ad art. 235.

A qua pura et litterali Regulae observantia in praxi tenenda nemo excusatur « quavis etiam inveterata consuetudine in contrarium »; sicut enim ex disputatis sub art. 1 satis superque constat, tantum abest, ut legitimae auctoritatis consensu firmetur consuetudo Regulae contraria, ut formaliter et expresse reprobetur omnino; consuetudo autem reprobata nullum habet valorem iuridicum; nemo proinde Regulam simpliciter et absolute professus a praeceptorum transgressione excusatur vel ob multiplices abusus, qui versarentur in communi Fratrum consuetudine. Nec obstat, quod Regulam iuxta relaxatam, quae forte in usu est, vivendi rationem est professus; nam simpliciter et absolute vovens Regulae observantiam ipso actu indirecte vult se obligare ad omnia,

(1) Kazenberger, quaest. prooem. III.

quae continentur in Regula, et statui Fratrum Minorum ex intentione fundatoris S. Francisci et approbatoris Summi Pontificis sunt annexa (1). Quodsi vero quispiam haberet expressam, vel in uno tantum substantiali Regulae puncto, contrariam intentionem, nulla foret professio, quippe cui substantiale aliquid deficiat (2).

3. Praelati omnes puram nostrae Regulae observantiam omnino promovere tenentur iuxta formam in Constitutionibus hisce generalibus traditam. Invigilent etiam pro observatione Ordinationum relativae provinciae.

Edicitur hoc art. **observantia Regulae a Praelatis curanda**; quae Praelatorum obligatio promovendi puram Regulae observantiam munere, quod administrant, innititur, vi cuius procurare tenentur Ordinis bonum, eiusdem nempe conservationem et progressum: haec autem maxime pendent a perfecta Regulae observatione. Hinc de observandis votis ceterisque Regulae praeceptis ita praescribit Trid. (3): « Omnisque cura et diligentia a Superioribus adhibeatur tam in Capitulis generalibus et provincialibus quam in eorum visitationibus, quas suis temporibus facere non praetermittant, ut ab illis non recedatur: cum compertum sit, ab eis non posse ea quae ad substantiam vitae regularis pertinent, relaxari: si enim illa, quae bases sunt et fundamenta totius regularis disciplinae, exacte non fuerint conservata, totum corruat aedificium necesse est». — Puram Regulae observantiam promovere tenentur Praelati « iuxta formam in Constitutionibus hisce generalibus traditam»; puram ergo Regulae observantiam in praxi tenendam non definiant ex opinionibus magis minusve probabilibus, multo minus e privato placito, sed e statutorum praescriptis, ut nempe non solum

(1) Kerckhove, cap. 1 § 15 nn. 14-16.
(2) Piatus tom. I qu. 331.
(3) Sess. XXV *de Regularibus* etc. cap. 1.

ipsius Regulae substantiam, sed et statutorum observari curent praescripta, praesertim quae in Regulae observationem etiam perfectiorem et in amovenda transgressionis pericula tendunt; licet enim Regulae observantia perfectior non sit obligatoria per se, ea tamen perfectior observantia quae in statutis est praescripta, a Superioribus absque dubio est curanda, quum non Regulae tantum, sed et statutorum observantiam curare stricta obligatione teneantur Superiores.

Hanc obligationem ex genere suo seu iuxta materiae capacitatem esse gravem, ipsa rei, de qua agitur, gravitas satis superque demonstrat; facile etiam in praxi graviter contra eam delinqui posse, patet ex eo quod abusus hac in re tolerati facile grave regularis disciplinae ac Ordinis detrimentum adferunt. — Eadem tenentur primario et directe Praelati non solum maiores, Ministri scilicet generalis et provinciales, sed et locales, Guardiani ac Presidentes, qui quanto immediatius ac propius praxi invigilant, tanto efficacius puram Regulae observantiam promovere possunt; tenentur secundario ac indirecte Praelatorum consiliarii, Definitores tum generales tum provinciales ac conventuum Discreti, quum in pastorali officio exercendo Praelatos vi muneris adiuvare debeant. Media ad regularem observantiam promovendam praecipua sunt visitationes canonicae, Praelatorum syndicatio in visitationibus, continua et sollicita vigilantia ac delinquentium correctio prudens et fortis.

Stricta dein obligatione subditi Praelatis in praedictis subiacere tenentur, etiamsi alicubi primaevus Regulae rigor cum tempore fuerit relaxatus; nam relaxata vivendi ratio, etiam diuturnis moribus introducta, nec S. Pontificem nec Praelatos privavit potestate Regulam restituendi rigori primaevo, eoque minus quod ex expositis huiusmodi vitae consuetudo in Ordine nostro nullo sensu legitima dici potest. Accedit S. C. Concilii Declaratio (1), qua « cen-

(1) Apud Fagnanum in cap. *Recolentes* 3 *de Statu Monachorum* n. 6.

suit posse Superiores Regularium inducere reformationem iuxta ipsorum instituta, si eorum monasteria sint relaxata et Regula collapsa, et ad illam omnes obligare ».

Nota. Possunt Praelati seu Superiores, tum maiores cum locales, vi muneris pastoralis quod administrant, non solum Regulae praecepta interdum in casibus particularibus **interpretari** seu declarare rationabiliter, consideratis omnibus rerum et personarum circumstantiis, eadem in casu particulari non obligare, sicuti et licet quoad alias sive divini sive humani iuris obligationes (1), sed etiam sub certis conditionibus in **quibusdam** proprio sensu **dispensare** seu eadem obligantia relaxare. Nimirum Superiores dispensare possunt in iis praeceptis quae non concernunt substantiam et essentiam Religionis aut bonum commune Ordinis, sed solum Fratrum peculiarem necessitatem (2).

Superiorum dispensandi potestas valide exerceri non potest nisi in casibus particularibus, cum persona vel personis individuis, non in communi pro genere casuum aut personarum, seu pro communitate qua tali, quum eiusmodi dispensatio Regulae mutationem importaret, quam inducere nequeunt Superiores (3), ac nonnisi ex iusta causa, eaque maiore vel minore prout maioris vel minoris momenti fuerit praeceptum quod relaxatur (4). Ad hoc advertant illi, qui non sincere procedentes causas seu necessitates praetensas et simulatas Superioribus exponunt, quum similes obreptitiae dispensationes in foro conscientiae ipsis non prosint; in dubio autem de sufficienti causa (i. e. si causa quidem cernitur, sed dubitatur sitne sat gravis) subdito licet, re sincere exposita, dispensationem petere eaque obtenta uti, nam in tali dubio Supe-

---

(1) Kazenberger, cap. 10 qu. 3 resp. 1, ubi in fine notat, in anxietate, ubi Superior non adest et necessitas urget operandi, posse quemlibet uti epikeia seu legem interpretari.

(2) Kazenberger, cap. 10 quaest. 3, resp. 2.

(3) Cfr. Piatus tom. I qu. 754.

(4) Cfr. Bouquillon, *Theol. moralis fundam.* Ed. 3 n. 187.

rior valide dispensat. — Dispensatio obtenta non diutius valet quam eiusdem causa perdurat; perseverante autem causa, dispensatio non cessat expirante Superioris dispensantis munere, nisi pro tempore sui muneris tantum ab ipso fuerit concessa (1).

In dispensatione concedenda Praelatus

a) consideret ipsam legem; nam quo maioris est momenti vel quo strictius ligat, eo gravior requiritur causa;

b) consideret personam, ut facilius dispenset cum fervidis et observantibus, quam cum tepidis et negligentibus, quibus nonnisi magna cum discretione dispensatio est concedenda; nimis ferventes (sed non secundum scientiam) et verecundos dispensatione potius praeveniat, imo interdum iisdem invitis dispensationem imponat; nimis audaces ad petendas dispensationes retundat;

c) advertat ad commune Religionis bonum, ne dum subditis providere immoderate intendat, faciliore et frequentiore dispensatione liberiori vivendi rationi et abusibus ansam praebeat; dispensationem temporaneam potius quam indefinitam concedat Superior, ut causae perduratio suo discernatur iudicio, et ita praecaveatur, ne ex dispensatione usus fiat;

d) caveat Superior, ne in dispensationis aequitate diiudicanda alios metiatur suo pede, ita ut, fortis et durus ipse secundum suas vires, aliis sit aequo rigidior et austerior, aut debilis et infirmus ipse, aliis sit nimis compassivus;

e) Fratres, maxime scrupulosos, non facile remittat ad rationem suae conscientiae, sed absolute dispenset, si prudenter iudicet causam rationabilem subesse (2).

4. Provincia enim quaelibet, si opus fuerit, habere poterit peculiares Ordinationes, dummodo eae fuerint a Definitorio generali confirmatae.

---

(1) Kerckhove, cap. 1 § 15 n. 4.

(2) Kerckhove, cap. 1 § 15 n. 13.

Attamen huiusmodi Ordinationes parce fiant, et ea circumspectione moderentur, ut dum pro diversitate locorum diversis provinciarum indigentiis prospiciunt, Constitutionibus generalibus non adversentur, neque notabilem differentiam inter provincias inducant.

1. Quum leges universales suapte natura non semper providere possint omnibus peculiaribus locorum circumstantiis, hoc art. sapienter **admittuntur Ordinationes provinciales ferendae** ad normam in hisce Constitutionibus (1) decretam, ut nempe per easdem provincia quaelibet diversis pro diversitate locorum indigentiis prospicere possit. Verum harum Ordinationum latio non praescribitur, sed Capituli provincialis vocalium discretioni relinquitur; nec huiusmodi Ordinationes verae leges sunt seu stabilem obligandi vim habent, nisi « fuerint a Definitorio generali confirmatae.

2. Harum **Ordinationum conditiones praescriptae** sunt, ut eaedem

a) parce fiant, i. e. non ferantur sine manifesta necessitate vel utilitate, neque multiplicentur neque frequenti mutatione varientur, quum — ut ait Capitulum Romanum an. 1600 — statutorum et decretorum multiplicatio damnum potius quam utilitatem pariat;

b) Constitutionibus generalibus non adversentur, nihil scil. statuant expressis earumdem praescriptis contrarium (quod, quum inferior nihil possit contra legem Superioris, invalide fieri perspicuum est), aut ab earumdem intento seu spiritu alienum; in hunc prae ceteris scopum tendant Ordinationes provinciales, ut stabilita in Constitutionibus generalibus observantia regularis variis locorum circumstantiis adaptetur, ac iuxta diversas provinciarum indigentias firmetur, promoveatur ac integra conservetur;

(1) Art. 487.

c) neque notabilem differentiam inter provincias inducant, ne scil. perfecta Ordinis unio infirmetur: maxime cavendum, ne quidquam denuo inducatur, quod ad firmandas existentes antea specificas familiarum differentias tendat. Ideo necessaria pro diversitate locorum varietas ea circumspectione moderetur, ut ipsa unitatem in externa disciplina non offendat, sed potius inter varietates unitas clarius effulgeat.

5. Poterit insuper quaelibet provincia de usibus sibi propriis *librum usualem* sibi conficere, a Ministro generali cum suo Definitorio approbandum, salvis tamen Caeremonialis ac Ritualis Ordinis praescriptionibus.

Huiusmodi liber usualis, antequam ad Ministrum generalem transmittitur pro approbatione, recognoscendus et confirmandus est a Capitulo provinciali; agitur enim de statuenda disciplina in tota provincia stabiliter servanda.

6. Qualibet VI feria, nisi adsit iusta causa dispensandi, ad communem mensam legatur sancta Regula cum Testamento S. P. N. Francisci, ac postea Superior legat benedictionem, adhortationem et maledictionem eiusdem seraphici Patris.

Ut Regulae praecepta quasi continuo ante oculos sint posita, **hebdomadalis** haec praecipitur **S. Regulae cum Testamento lectio,** cui ut attentae et dociles aures dentur, exposcunt et ipsius Regulae ex origine excellentia, et filiale in seraphicum Patriarcham obsequium et debitae pro vocatione grates.

Exceptio statuitur, si nempe adsit iusta causa dispensandi, ita tamen, ut ad normam art. 202 harum Constitutionum regulariter non dispensetur in tota Regulae lectione, ac ad normam huius art. Superior in fine lectionis addat benedictionem, adhortationem et male-

dictionem seraphici Patris. — De cetero lectio S. Regulae cum Testamento omitti non potest ob occurrentem lectionem eorum, quae art. seq. legenda praescribuntur.

7. Quolibet anno, temporibus a Definitorio provinciae designatis, ad mensam legantur Regulae Declarationes Nicolai III, Clementis V et Innocentii XI, Constitutiones generales, Ordinationes provinciales, Statuta peculiaria, si quae sint, et aliqua approbata expositio Regulae, necnon statis diebus Decreta apostolica.

Promovendam obligationum, quibus Ordinis alumni tenentur, non solum exactam cognitionem, sed et perfectam intelligentiam intendit quae hoc articulo praescribitur **lectio mensalis latarum in Ordine legum aliorumque documentorum authenticorum, necnon probatae expositionis Regulae,** ut scil. obligationes exacte cognitae et perfecte intellectae ad plenam observantiam sua vi trahant.

1. Quae hoc articulo **legenda** praescribuntur **Constitutiones generales, Ordinationes provinciales et Statuta peculiaria,** intelligenda sunt e a s o l a, quae ad normam harum Constitutionum stabilem obligandi vim habent, ideoque l e g e s stricto sensu dicuntur; hinc

a) legendus non solum hic Constitutionum generalium codex, sed et illae ordinationes, quae futuris temporibus in Capitulo generali forsan condentur et post experimentum sexenne a S. S e d e f u e r i n t a p p r o b a t a e, quae solae inter generalia Ordinis Statuta seu Constitutiones generales recensentur; verum non sunt legendae illae Capituli generalis ordinationes, quae velut ad experimentum, per proximum sexennium obligaturae, sunt conditae, quippe quae non Constitutionum generalium, sed proprio Ordinationum generalium nomine significantur (1);

(1) Cfr. art. 452.

b) legendae Ordinationes provinciales illae, quae in Capitulo provinciali a maiore omnium vocalium parte conditae a Definitorio generali fuerint confirmatae (1); ast non sunt legenda decreta condita in Congressu definitoriali cum haec transeuntem tantum vim obligandi habeant (2). Tandem

c) legenda Statuta peculiaria, quae nempe pro peculiari negotio vel pro peculiari personarum coetu in Ordine a legitima auctoritate stabiliter sunt lata et, ubi opus est, approbata, quae sunt: Statuta sacri Recessus (3), missionum (4), quae legenda sunt respective in conventibus Recessus, in locis talis missionis, tandem Statuta de studiis (5), quae in conventibus studiorum sunt legenda.

2. **Constitutiones apostolicas** statis temporibus **legendi obligatio** est ex auctoritate apostolica, eaque gravis ut patet ex sancitae poenae gravitate (6).

Poenae contra Superiores negligentes sancitae ex communi DD. sententia solos ligant Superiores locales quippe quibus solis sub his poenis iniungitur cura ut dicta lectio fiat; nec Vicarius, absente Guardiano praescriptam lectionem negligens, a poenis incurrendis immunis videtur, quum, absente Guardiano, Vicarius revera sit Superior localis (7).

Notandum in Ordine nostro, concedente S. C. de Religiosis, ex praecepto Ministri generalis, pro debita Constitutionum apostolicarum lectione adhibendam esse novam compilationem, quae habetur in parte secunda operis cui titulus *Monumenta selecta* etc. iussu Rmi P. Pacifici Monza a Vicetia editi (an. 1913) typis Collegii S. Bonaventurae (8).

Servandum quoque est in Ordinis nostri provinciis extra Italiam et Insulas adiacentes S. C. super Regulari Disciplina praeceptum 15 Sept. 1856 datum pro provinciis

---

(1) Cfr. art. 487 et 4.
(2) Cfr. art. 499.
(3) Cfr. art. 9.
(4) Cfr. art. 656.
(5) Cfr. art. 253.
(6) Cfr. Piatus, tom. 1 qu. 794.
(7) Cfr. Piatus, tom. 1 qu. 795.
(8) Cfr. cit. *Monumenta selecta* pag. 180.

Italiae et Insularum adiacentium, quo statuitur, ut singulis annis in respectivo kalendario initio mensis adnotentur Constitutiones et Decreta, quae respectivo mense legenda occurrunt (1).

8. Quatenus Fratres, qui spiritus fervore ducti rigidiori religiosae perfectioni vacare desiderant, facilius id consequi possint, unaquaeque provincia habere poterit, unum alterumve sacri Recessus conventum sub omnimoda iurisdictione Ministri provincialis, dummodo adsit sufficiens numerus Fratrum, qui velint et possint in eis austerioris vitae observantiam custodire.

9. Praeter sanctam Regulam, Constitutiones generales et Ordinationes provinciae quae praecipue in hisce conventibus quam fidelissime observari debent, adamussim quoque serventur peculiaria Statuta pro sacris Recessibus a S. Sede approbata.

Agitur hisce articulis de instituendis, iuxta morem ab antiquo in Ordine vigentem, **conventibus sacri Recessus**, in quibus rigidiori religiosae perfectioni vacetur. Opportuna vero providentia decernitur, ut huiusmodi conventus in provinciis unus alterve tantum instituantur, et quidem sub iurisdictione seu potestate regendi, iudicandi ac puniendi necnon administrandi, tum in res cum in personas, Ministri provincialis, omnino sicut alii conventus Ordinis, ne Ordinis divisioni occasio praebeatur. Ut autem conventus sacri Recessus de facto instituatur, requiritur sufficiens numerus [qui videtur saltem sex, quorum quatuor sint Sacerdotes] (2) Fratrum, qui non solum sincere velint, sed et opere possint in eis austerioris vitae observantiam custodire.

---

(1) Cfr. *Monumenta selecta* pag. 181.

(2) Cfr. art. 312.

Instituenda in hisce conventibus vitae ratio eiusmodi sit ut, cum S. Regulae in sua eminentiore puritate [utpote quae non consistit in indivisibili] (1) observantia et strictiore (exclusa dispensatione nisi forte in casu valde rationabili) in Constitutionibus servandis exactitudine, servetur disciplina austerior et contemplatione virtutisque exercitio perfectior, descripta in peculiaribus Statutis a S. Sede approbatis (2).

§ II.

De obedientia Summo Pontifici, Ecclesiae Praelatis ac generalibus Ordinis Superioribus debita.

10. Obedientiam, quam beatus Pater Franciscus mysteriis etiam coelestibus didicerat, Romano Pontifici, Christi Summo in terris Vicario, et exhibuit ipse, et ab omnibus sui Ordinis alumnis exhibendam docuit ac praecepit. Fratres itaque omnes, ut dignum et iustum est, sanctissimo Domino Papae ac Sedi Apostolicae humilem reverentiam, summum honorem, ac firmissimam obedientiam et fidelitatem exhibere tenentur.

Inculcatur hoc art. **obedientiae ac reverentiae obligatio erga Summum Pontificem et Romanam Ecclesiam seu Sedem Apostolicam,** qua intelliguntur qui Summo Pontifice sive vivente sive mortuo apostolicam exercent auctoritatem (3). Hac obligatione, qua S. Pater in cap. 1 Regulae se suumque Ordinem Rom. Pontifici penitus subiecit, tenentur non solum ipsius in generalatu successores (4), sed et, ex communi expositorum sententia,

(1) Cfr. Kazenberger, quaest. prooem. VI.

(2) Die 22 April. 1904.

(3) Cfr. Piatus, tom. 1. qu. 329.

(4) Cfr. Gabriel Angelo da Vicenza, *La Regola dei Frati Minori etc.* cap. 1 § 2.

omnes omnino Ordinis Fratres (1); circa naturam autem huius obligationis non concordant EE., utrum scil. sit vi voti specialis, an vero vi simplicis praecepti, item utrum necne addat aliquid obligationi, qua cuncti Regulares erga Rom. Pontificem obstringuntur (2).

Duplicem haec obligatio continet partem, nempe

a) humilem reverentiam et summum honorem a timore filiali et humili affectu procedentem; unde hanc obligationem laedit, qui inverecunde vel impudenter de Papa loquitur, item qui verba contumeliosa, iniuriosa vel derisoria de eo profert, item qui summam eius dignitatem dehonestat, vel auctoritatem in dubium revocat, vel ipsius actus contemnit vel in derisionem vertit;

b) firmissimam obedientiam et fidelitatem, contra quam peccat, qui Romani Pontificis vel Sedis Apostolicae ordinationibus et mandatis in re sive doctrinali sive disciplinari non obtemperat, aut in dissidiis Romano Pontifici et Sedi Apostolicae non adhaeret eiusque partes non sequitur (3).

11. Item Fratres omnes S. R. E. Cardinales, praesertim Ordinis protectorem, Episcopos ceterosque Ecclesiae Praelatos debito honore prosequantur, nec unquam de ipsis temere obloquantur.

Inculcatur hoc art. **exhibendus debitus honor Ecclesiae Praelatis,** quae obligatio ex praecedente art. sua sponte fluit; hinc S. Bonaventura (4) concludens: « Unde Fratres Minores, sicut humilitatis profundissimae sectatores, debent inter omnes summe revereri Summum Pontificem », addit: « et alios, pro gradu suo, in ecclesiasticis

(1) Cfr. Kazenberger, cap. 1 quaest. 5; Marchant, cap. 1 textu 2; Kerckhove, cap. 6 § 14, I.

(2) Cfr. Alb. a Bulsano, *Expositio Regulae* (Ed. novissima 1889) p. 30 in nota (2).

(3) Cfr. Piatus, tom. 1. qu. 332; Kerckhove, cap. 5 § 14, I.

(4) In Regulae cap. 1.

officiis constitutos ». Recte igitur edicunt Constitutiones, ut, modo ipsorum dignitati congruo, Fratres omnes S. R. E. Cardinales etc. verbis et factis debito honore prosequantur, nec unquam de ipsis, ipsorum persona, origine, vita, ordinationibus etc. temere, deliberate ac cum quodam contemptu obloquantur, seu iniuriosum, contumeliosum vel derisorium quidquam proferant.

12. Generali Ministro, sancti Patris nostri Francisci legitimo successori, eminentem atque omnigenam obedientiam Fratres omnes vi Regulae debent. Quos idcirco in Domino monemus ut sibi in exemplum proponant eumdem seraphicum Patrem in testamento suo proclamantem: *Firmiter volo obedire generali Ministro, et ita volo esse captus in manibus suis, ut non possim ire vel facere contra voluntatem suam, quia dominus meus est;* atque ex huiusmodi perfecta subiectione, quidquid ipse Minister generalis pro maiore totius Ordinis bono, unitate, tranquillitate, ac puriore sanctae Regulae custodia procuraverit ac iusserit, alacriter diligenterque, ut par est, exequantur.

Edicitur hoc art. omnium Fratrum **stricta omnimodae obedientiae obligatio erga Ministrum generalem**, S. P. N. Francisci in suprema Ordinis praelatura successorem legitimum (1); quae obligatio indubie demonstratur ex hoc Regulae textu: « *Et alii Fratres teneantur Fratri Francisco, et eius successoribus obedire* ». Iure igitur meritoque Constitutiones hoc articulo monent graviterque inculcant, ut omnes et singuli Ordinis alumni, proposito sibi in exemplum eodem seraphico Patre, Ministro gene-

(1) Cfr. Kazenberger, cap. 1. quaest. 6; Marchant, cap. 1. textu 3.

rali in omnibus sincere subiiciantur, atque ex huiusmodi perfecta subiectione eiusdem pro maiore totius Ordinis bono, unitate, tranquillitate, ac puriore Regulae observatione curis et iussis alacri obsequio ac diligenti executione obtemperent; meminerint enim omnes, se seraphici Patriarchae Francisci filiorum vero nomine gloriari haud posse, nisi eiusdem Patriarchae vicesgerenti Ministro generali filiale reverentiae, amoris obedientiaeque debitum ex corde solvant.

CAPUT II.

§ I.

De qualitatibus recipiendorum ad Ordinem.

13. Quoties aliquis ad Ordinem nostrum admitti efflagitaverit, Minister provincialis diligentem inquisitionem instituat de recipiendi natalibus, vita anteacta, moribus ceterisque omnibus, quae iuxta sacros Canones ac Decreta Sedis Apostolicae, Ordinis Constitutiones regionumque consuetudinem requiruntur.

1. Ex iure communi, a Sixto V Const. *Cum de omnibus* statuto, inquisitio haec seu **informatio novitiorum admissioni praemittenda** praescribitur, ac provida quidem ratione; nam « regulari disciplinae instaurandae ubi collapsa fuerit, vel servandae ubi vigeat, nihil magis conducit, quam in admittendis novitiis ad habitum et ad professionem maximam curam adhibere, ut ii tantum recipiantur, qui superna vocatione ducti, morum honestate ceterisque dotibus praediti Religionem ingrediuntur cupientes Deo servire, mundi pericula evitare, et spirituali proximorum saluti qua exemplo, qua opere ad praescriptum Instituti, quod profitentur, consulere. Ex novitiis enim

Religionis bonum vel malum prorsus pendet: quandoquidem hi sunt Religionum semina, hi sunt novi palmites Dei vineam novellantes; sed si semina, si novitiae vites infectae sint, nonnisi fructus mali colligi possunt (1) ». Non igitur « indifferenter omnes admittantur ad Ordinem, sed illi tantum qui suffragantibus eis litteratura, idoneitate, vel aliis circumstantiis possint utiles esse Ordini, sibique per vitae meritum ac aliis proficere per exemplum (2) ». Quod confirmans S. Bonaventura scribit (3): « Omnes passim recipere non expedit nobis nec Ecclesiae Dei. Nobis non, quia variae sunt conditiones hominum, qualitates et mores; multos enim saepe reciperemus imbecilles, qui non possent rigorem Ordinis sustinere: multos pauperes, qui non pro Deo, sed pro sustentatione vitae vivere desiderarent nobiscum: multos incompositos moribus, quos vix corrigere ab inolita consuetudine possemus, et per tales dissolveretur Ordinis disciplina et impediretur profectus aliorum... Ecclesiae similiter non expedit; quia quum sit Ordo ad aedificationem Ecclesiae constitutus, multitudo receptorum magis confusionem induceret, nec de conversione multorum exemplum aedificationis acciperet, sed scandalum, ubi religiositatis, excepto solo habitu, nihil inveniret ».

2. Inquisitio seu informatio haec **ad liceitatem tantum** requiritur: praefatam dispositionem Sixtinam, qua dicta informatio praescripta fuit ad validitatem, quoad hoc Clemens VIII (4) « ad terminos iuris et sacrorum Canonum (perinde ac si praedictae Constitutiones in illa parte editae non fuissent) » auctoritate apostolica reduxit. Peccant igitur, leviter vel graviter iuxta qualitatem negligentiae, Superiores qui praescriptas informationes non instituunt; ac qui ex defectu illarum informationum prohibitos a Sixto V

---

(1) Decr. Pii IX *Regulari disciplinae;* cfr. *Monumenta selecta* pag. 95.
(2) Nicolaus III in Declaratione Regulae art. 18, 3.
(3) *Determin. quaest. circa Regulam S. Francisci,* part. I. quaest. 10.
(4) Const. *In suprema.*

recipit vel ad eorumdem receptionem concurrit, poenam incurrit privationis vocis activae et passivae, necnon officiorum, graduum, honorum et dignitatum obtentorum, atque perpetuae inhabilitatis ad illa vel alia in posterum obtinenda (1).

Dein ex eadem Sixtina lege huiusmodi **informatio accurata et fide digna** sit oportet; ex quo, teste Bouix (2), communi interpretatione DD. concludunt iuridicam (adhibitis nempe saltem duobus testibus iuratis et notario) esse debere illam informationem (3). Quum autem (sicuti notat ipse Bouix) et accurata et fide digna esse possit informatio, quin sit iuridica, iure meritoque rigidior dicenda videtur dicta interpretatio, et ab eadem communi praxi receditur. Hinc etiam inquisitionem Constitutiones generali termino praescribunt diligentem, talem scilicet quae ad veritatem detegendam apta et sufficiens sit dicenda.

3. Inquisitio instituí debet **de recipiendi natalibus** exquirendo eiusdem nomen, aetatem, conditionem et statum; item parentum nomina, conditionem et statum; item recipiendi patriam seu sufficientem loci natalis denominationem; de **vita anteacta et moribus** inquirendo de postulantis vitae et morum integritate saltem negativa, num scilicet eiusdem vitae ratio fuerit criminosa vel scandalosa (4); deque **ceteris omnibus, quae iuxta sacros Canones ac Decreta Sedis Apostolicae, Ordinis Constitutiones, regionumque consuetudinem,** sive ex scriptis ordinationibus sive ex recepta praxi observatam, **requiruntur**; in id autem praecipue tendit inquisitio, ut recipiendi ad statum religiosum et Ordinem vocatio et idoneitas dignoscatur. — Tandem notandum, inquisitionem non requiri de iis ex praedictis, de quibus aliunde iam satis et certo constat; de quibus enim sufficiens habetur

---

(1) Cfr. Piatus, tom 1 qu. 82, 4°; Bouix, *de Iure regularium* tom. 1 p. 567 et seq. quaest. 1.

(2) Loc. proxime cit. quaest. 2.

(3) Nempe quoad illa capita, de quibus vi legis Sixtinae inquiri debet.

(4) Cfr. Bouix loc. proxime cit. pag. 572 quaest. 4

notitia, frustranea censetur informatio, utpote quae suapte natura feratur ad rem occultam investigandam.

Nota. **Indignum recipiendo** peccat Superior, quia praeiudicat bono communi Religionis.

Item peccat Superior **dignum repellendo** ob bonum quo Ordinem privat, nisi iusta habeatur repellendi causa; iusta autem habetur causa, si monasterium sufficientes non habeat reditus, si numerus Religiosorum a S. Congregatione praefixus sit completus, vel si plures aeque idonei simul recipi postulent, et Religio omnes admittere nequeat, vel si dubium sit, an Religioni revera profuturus sit.

Idem quod de Superiore resolvendum est de iis, qui cum ipso decidere debent de postulantis admissione. Si enim iuxta dicta suffragium in favorem indigni dent, vel illud sine iusta causa digno denegent, certo peccant (1).

14. Recipiendus ad Ordinem sit 1° legitimo toro ac honestis parentibus natus; 2° nullo modo de fide suspectus, sed vere catholicus, ita ut firmiter credat omnia quae credit ac tenet S. Romana Ecclesia, omnemque errorem et noxiam novitatem detestetur; 3° Confirmationis Sacramento insignitus; 4° matrimonio non ligatus; 5° non habens parentes in gravi necessitate constitutos, qui sine ipso vivere et sustentari nequeant; 6° non infectus morbo contagioso, nec habitualiter laborans alia gravi infirmitate, quae votorum et Regulae praeceptorum observantiam impedire possit; sed iuxta fidelis medici testimonium corpore, sensibus menteque sanus et integer sit atque ad ordinaria Religionis exercitia aptus; 7° non habeat maculam

(1) Cfr. Piatus tom. I qu. 51 et 52; Victorius qu. 32; Vermeersch nn. 178 et 179.

notabilem famae, nec sit suspectus vel inquisitus de aliquo gravi delicto, ex quo ipsi poena immineat; 8° non sit supra vires suas aere alieno gravatus, neque reddendis rationibus obnoxius, ita ut huiusmodi causa lis vel molestia ipsi vel Ordini timenda sit; 9° non sit metu aut violentia a quavis persona inductus, sed libera voluntate servitio Dei in Religione se offerat; 10° si ad sacerdotium destinetur, non sit irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus; 11° si sit clericus, non teneatur iureiurando, ex S. Sedis praescripto ad servitium alicuius dioecesis vel missionum; 12° in ea aetate constitutus sit, quam Decreta S. Sedis pro diverso statu clericorum et laicorum praescribunt.

Enumerantur hoc art. **conditiones generales requisitae ad admissionem** in Ordinem, validam vel saltem licitam, prout in singularum explicatione dicetur. Ex his conditionibus illae quae iure communi sunt statutae, ad normam eiusdem iuris intelligendae videntur.

1. **Sit natus legitimo toro** i. e. ortus ex legitimo matrimonio, saltem bona fide putato, aut per subsequens matrimonium legitimatus, dummodo hoc casu natus sit ex parentibus, inter quos tempore, quo genitus est, matrimonium rite consistere poterat. — Transsumpta est haec conditio ex Sixti V Const. *Cum de omnibus*, moderata tamen per Bullam *Circumspecta* Gregorii XIV et per Bullam *In Suprema* Clementis VIII: ex quibus patet illicitam tantum esse illegitimorum admissionem, nisi post diligentem de eorum vita et moribus inquisitionem spectatis ipsorum bona indole et virtutis specimine quod praeseferant, ac meritis personalibus quae suppleant defectum natalium et eorum maculam cooperiant, nec non commodo et utilitate Religionis ex eorum receptione, ab iis, ad quos spectat receptio, digni iudicentur

qui admittantur (1), « dummodo tamen filius illegitimus, in Religione, in qua pater sive ante sive post nativitatem dicti filii professus fuerit, ipso patre vivente non admittatur, quod expresse prohibemus (2) ».

Praeterea **sit natus honestis parentibus,** honestate scilicet negativa, qua hic intelligitur immunitas a quavis nota vel macula infamante, nempe in publica vel vulgari aestimatione. Hac igitur ex ratione excluduntur omnes qui nati sunt parentibus aliqua infamia maculatis sive illa facti sit sive iuris: facti autem infamia contrahitur, ante quamlibet sententiam, ex notorietate alicuius criminis vel defectus, quo quis apud graves et honestos viros fama et existimatione decidit; iuris vero infamia triplici hoc contrahitur modo: *a)* ob crimen, cui ex iure dedecus inhaeret, dummodo accesserit sententia iudicis declaratoria, vel etiam condemnatoria, quando delictum non est notorium: huiusmodi crimina sunt haeresis, sodomia, sacrilegium, incestus, adulterium, raptus mulierum, periurium factum in iudicio, exercitium usurarum, homicidium, duellum (cfr. Decr. S. C. C. die 9 Aug. 1890), paratio armorum contra parentes, crimen laesae maiestatis, Cardinalium vel Episcoporum iniuriosa et violenta percussio etc.; *b)* ob poenam infamantem cui nempe infamia a iure adnexa est, etiamsi agatur de delicto quod per se infamia iuris non comitatur, v. g. depositio et degradatio; *c)* ob exercitium officii vel artis, cui turpitudinis nota inusta est a iure, v. g. officium carnificis, artes mimi vel histrionis et huiusmodi, quoties illa ars turpiter exerceri soleat ita ut sine peccato mortali fieri nequeat (3). — Porro facti infamia, quando quis ea notatus non fuerit officio iudicis, deletur notoria emendatione, ad quam plures triennium exigunt; iuris infamia deletur indulgentia legitimi superioris, et si est ferendae

(1) Cfr. Const. Gregorii XIV *Circumspecta;* Piatus tom. I qu. 76; Kerckhove, cap. 1 § 1 nn. 37-39.

(2) Ita Gregorius XIV in cit. Const. *Circumspecta.*

(3) Cfr. De Brabandere-Van Coillie *Iuris can. compend.* tom. II n. 1504 aliive Canonistae.

sententiae, ante condemnationem hodie deletur poenitentia, et pene in facti infamiam recidit (1).

Ratio huius conditionis positae habetur ex eo, quod parentum infamia etiam in filios communi aestimatione redundare solet; et infamium prolibus Religionem dedecorari non decet. Horum tamen admissio et professio non foret irrita (2).

2. **Nullo modo de fide,** in iis scil. quae a sincero catholico teneri debent aut fide divina et catholica aut fide ecclesiastica aut saltem assensu religioso, **suspectus** sive per sententiam iudicis ecclesiastici sive per publicam populi famam sive ex aliis fundatis seu probabilibus indiciis, licet occultis: suspectus ex iudicis ecclesiastici sententia non potest ullatenus recipi, etsi post competentem temporis lapsum, puta trium annorum, bonam famam recuperasset, quia suspicio in tali casu non tollitur nisi per purgationem canonicam; suspectus ex publica fama « non potest licite recipi, ita Corduba (3), etiamsi in se esset vere fidelis et catholicus, quousque talis suspicio decidat ab eo apud homines; voluit enim Ordo etiam scandalo providere (4) fidelium ex tali suspicione provenienti »; de cetero suspectus potest recipi, modo eius in praesenti fidei integritas argumentis moraliter certis demonstretur, licet forte praeterito tempore in fide claudicaverit, quia statuta conditio de tempore praesente, non de praeterito, est intelligenda.

Gravissime igitur peccant Provinciales, qui scienter contra hoc statutum quemquam ad Religionem admittunt: nam praeterquam quod Religioni grave inferunt detrimentum, peccant contra Regulam, quae cap. 2 expresse mandat, ut « Ministri diligenter examinent eos de fide catholica et ecclesiasticis Sacramentis, et si haec omnia cre-

---

(1) Cfr. D'Annibale, *Summula theol. moralis* part. I. n. 122.
(2) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 1 n. 45; cfr. etiam nn. 40 et 41.
(3) In cap. 2 Regulae quaest. 4.
(4) Clarius: « scandalum praecavere.... proveniens ».

dant et velint ea fideliter confiteri etc.»; omnia autem, iuxta Clementem V in sua Declaratione art. 3 in fine, spectantia ad receptionem novitiorum sunt obligatoria et habent vim praecepti. Et quamvis Regula non faciat mentionem de suspectis in fide, id tamen posuit Ordo, ait Corduba loc. cit., secundum ius divinum et Regulam; nam requiritur, ut ingressuri nostram Religionem testimonium habeant etiam ab iis, qui foris sunt, et coram hominibus, ad quorum aedificationem est specialiter nostra Religio. — Facta autem admissio et professio non esset invalida quia nullo iure declaratur irrita (1).

Sed vere catholicus, qui nempe assensum praebeat non solum infallibilibus definitionibus, sed etiam aliis magisterii ecclesiastici iudiciis doctrinalibus, quae authentice quidem, sed non sententia definitiva et infallibili supremae potestatis proponuntur (2). Porro ex textu Regulae recipiendus ad Ordinem « in corde paratus esse debet fidem romano-catholicam confiteri ore et opere, usque ad mortem hanc fidem observare et in ea firmiter perseverare usque in finem (3) », ita ut, dicente S. Bonaventura, recipiendus ad Ordinem debet esse paratus ad martyrium.

3. **Confirmationis Sacramento insignitus,** congrue siquidem exigitur ab eo, qui sub seraphici Patris vexillo apostolicam vivendi formam imitandam sibi proponit, ut Confirmationis Sacramento insignitus accedat, cuius virtute firmatus *audacter* per martyrii tolerantiam *Christi confiteatur nomen* (4) ac *ad christianae* in sanctae Regulae observantia *soliditatis perfectionem adducatur* (5).

Hac tamen conditione non servata per se graviter illicita dicenda non videtur admissio, sicuti nec ad tonsuram ex Concilii Trid. et Pontificalis Romani praescripto

(1) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 1 nn. 4-7.
(2) Cfr. Theologi dogmatici.
(3) Kazenberger, cap. 2 quaest. 2 resp. 1.
(4) Conc. Florent. Denzinger n. 592 (Ed. Bannwart n. 697).
(5) Catechismus Romanus part. 2, cap. 3 n. 21.

Confirmationis Sacramentum iuxta theologos (1) sub gravi postulatur (2).

4. **Matrimonio non ligatus.** Intelligendum est imprimis matrimonium consummatum: consummato autem matrimonio ligatus dicendus est, qui post matrimonium valide contractum cum comparte habuit copulam ita perfectam ut per se sit apta generationi. — Porro ligatus matrimonio libere consummato Religionem ingredi et valide profiteri non potest tum ex variis Canonibus tit. *De convers. coniugat.* III. 22, cum ex iure naturae (uxoratus enim iuris sui non est, et quod uni iam valide traditum est alteri tradi non potest), nisi aut ex compartis consensu, aut ob patratum a comparte crimen tale propter quod dimitti possit. — In casu vero matrimonii rati et non consummati coniugibus iure canonico conceditur bimestre ad deliberandum de Religione ingredienda, quo durante alterutri patet ingressus, etiam altero invito. Intelligitur in casu ingressus in Religionem stricte talem (3).

5. **Non habens parentes constitutos,** actu constitutos vel saltem verisimiliter constituendos, **in gravi** et a fortiori in extrema **necessitate**: gravis autem est necessitas, quando vita sustentari nequit absque magna difficultate aut nisi cum magno dedecore vel notabiliter cadendo a proprio statu: extrema vero est quando quis est in tali vitae discrimine, ut nisi ei subveniatur moraliter certa est illius mors vel mortis periculum; ac insuper requiritur, ut existente praedicta necessitate parentes ex circumstantiis sint tales, **qui sine ipso** recipiendo **vivere et sustentari,** aut absolute aut absque magna difficultate iuxta dicta, **nequeant**; hinc si parentum sustentationi aliter satis sit provisum, haec conditio receptionem non impedit. Nec etiam quidquam obstat admissioni, si filius non habet nec sperare potest media, quibus indigentiae parentum subvenire valeat, aut si Religionem ingressus paren-

(1) Cfr. S. Alphonsus lib. VI n. 786.
(2) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 1 nn. 43 et 44.
(3) Pro ulteriore explicatione cfr. DD.

tum necessitatibus aeque providere potest ac in saeculo manens. — Similiter **parentes vetantur** ingredi Religionem, **nisi** apte providerint filiis instituendis et secundum statum suum alendis (1).

Quodsi contra praedicta filius admittatur et professionem emittat, valida, licet graviter illicita, erit huiusmodi admissio et professio: valida est, quia nullo iure redditur irrita, et nulla est incapacitas ratione personae admissae, nec prohibitio irritans ratione admittentium; illicita est ex naturali pietatis obligatione subveniendi parentibus in tanta necessitate constitutis; quae obligatio tenet, etiam si filius antea voto Religionem ingrediendi sese obstrinxisset, quum votum contra praeceptum naturale praevalere nequeat (2). Patet igitur, quanto iure meritoque Clemens VIII monuerit Superiores regulares, ut « diligenter exquirant... an eorum parentes ope et subsidio ipsorum indigentes destituantur » (3).

Nota. De quaestione, num filii, ut parentibus in casu subveniant, e claustro egredi teneantur vel possint, cfr. Kerckhove cap. 1 § 1 nn. 75-79; Piatus tom. I qu. 59; Victorius qu. 38; Vermeersch n. 147. — Ad haec notandum, absque Apostolicae Sedis licentia permittere non posse Superiores, ut Religiosus ad longum tempus extra monasterium maneat, ex Decreto Clementis VIII *Nullus omnino*, ubi sic legitur: « Ineatur ratio, qua sublatis licentiis et facultatibus hactenus quibuscumque concessis, degentes extra conventus claustra ad ea quamprimum revocentur: nec de cetero, nisi ex gravissima causa a S. Sede probanda, huiusmodi facultates concedi possint ». Cfr. Piatus, tom. I qu. 382; Constit. generalium art. 216.

6. **Non infectus** i. e. non obnoxius non tantum iam contracto, sed nec ex originaria, probabilibus saltem signis praesertim ex recipiendi prosapia manifestata, dispositione

(1) Cfr. Vermeersch n. 148.

(2) Cf. Kerckhove, cap. 1 § 1 nn. 71-74; Piatus, tom. I qu. 58; Vermeersch n. 146.

(3) Const. *Cum ad regularem.*

facile contrahendo **morbo contagioso** avito scil. seu in recipiendi familia haereditario, v. g. phthisi, phrenesi etc.; **nec habitualiter laborans** seu permanenter **alia gravi infirmitate quae votorum et Regulae praeceptorum observantiam** in suo complexu morali, vel saltem in pluribus **impedire possit**; tali morbo laborantibus generatim loquendo aequiparandi videntur senes, qui asperitates Ordinis experiri et ferre non valeant, nisi huiusmodi sint circumstantiae, ut ex admissione magna oriatur populi aedificatio, v. g. si esset persona adeo insignis et eminens, ut ex eius receptione intus et extra omnes ad devotionem excitarentur.

Hac conditione non servata admissionem graviter illicitam esse dubium esse non potest, tum quia recipientes inferunt Ordini grave damnum, onerando ipsum personis adeo incapacibus, tum quia dispensationes pro talibus necessariae destruunt regularem observantiam, quum frequens legum solutio aperiat viam ad eas omnino contemnendas, tum denique quia in professione, ad quam ordinatur admissio, profitens in se suscipit obligationem observandi toto tempore vitae suae non solum vota essentialia, sed et cetera Regulae praecepta; imprudenter autem et quasi derisorie hanc in se susciperet obligationem, qui eidem saltem in pluribus satisfacere se non posse certo sciret, et quidem non ad breve tempus tantum, sed vel perpetuo vel certe ad longum tempus. — Ex qua ultima ratione quidam deducunt, huiusmodi admissionem licet iure scripto expresse non invalidetur, tamen irritam esse ex ipsa rei natura, quum ordinetur ad professionem rei impossibilis, quae ipso iure naturae est invalida. Verum cum aliis Kerckhove probabilius putat in casu professionem, ideoque et admissionem, etiam in Ordine nostro, ex natura rei esse validam, quum professio directe ac principaliter respiciat vitae regularis substantiam, quae consistit in trium essentialium votorum observantia, cuius potens supponitur recipiendus (1).

---

(1) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 1 nn. 46-50.

Sed iuxta fidelis medici ex parte Ordinis electi **testimonium** in scriptis vel saltem immediate ipsi Superiori verbis datum (quod exquirendum hisce verbis praescribitur) **corpore, sensibus menteque sanus et integer et ad ordinaria Religionis exercitia,** claustralis scil. vitae officia, munia ac labores iuxta respectivae provinciae conditionem **aptus**. — Hac igitur conditione excluduntur corpore vel sensibus non leviter infirmi vel debiles: certum autem putem, ita Kerckhove (1), ad excludendum aliquem ab habitus susceptione vel iam suscepto spoliandum et e novitiatu dimittendum sufficere quamlibet infirmitatem, debilitatem, mutilationem aut defectum, v. g. in visu, auditu, gressu et aliis, quae ipsum ad communia Religionis exercitia iuxta statum suum, id est respective ad clericatum vel laicatum, inidoneum vel minus capacem redderent; quia praeterquam quod tales, licet forte Regulam observare possint, inidonei sint ad multas regulares observantias, sunt insuper plane inutiles, et necessarium est, ut ipsis ab aliis sanioribus Fratribus serviatur, ubi ipsi aliis servire, vel ad minus onus Religionis pari gressu cum aliis portare deberent.

His merito annumerantur corpore notabiliter vitiati, seu qui notabilem habent corporis deformitatem v. g. claudicationem, gibbositatem, nasi vel oculorum torvitatem et alia huiusmodi quae notabiliter deformant aspectum; item quibus deest brachium vel manus; item caeci, surdi, stare vel ambulare non valentes, nani qui brachia attollere non possunt super altare; item qui habent nares aut aures abscissas, oculo dextro vel sinistro cum notabili deformitate privati etc.; tales enim sunt irregulares et consequenter ad clericatum recipi non possunt, sed nec ad laicatum, quia vel sunt Religioni inutiles, vel saecularibus scandalo et despectui, nisi generis excellentia vel alterius virtutis eminentia corporis deformitatem temperarent (2).

---

(1) Cap. 1 § 1 n. 51.

(2) Ita Kerckhove, cap. 1 § 1 n. 52.

7. **Non habeat maculam notabilem famae** publicae scilicet seu vulgaris, sive huiusmodi famae macula iuris sit sive facti, iuxta explicata supra hoc art. sub 1. — Graviter illicita est receptio infamium, utpote quorum macula in Ordinem redundat: tamen si recipiantur, professio eorum erit valida, quantum est ex dispositione iuris, quia nullibi talis professio irritatur (1).

Nec sit suspectus vel inquisitus de aliquo gravi delicto etc.: haec conditio est recepta ex Sixti V Constitutionibus *Cum de omnibus* et *Ad Romanum spectat.* In priore Const. Pontifex prohibet ad Religionem admitti « aliquorum criminum (qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia aut graviora) reos vel suspectos, ut propterea damnati sint, aut ne damnentur formident »; quos a Religione excludi satis indicat ex eo quod « non pia intentione, sed ad evitandam legum et iudiciorum severitatem, quia tuto in saeculo vivere non possunt, tunc demum quaerunt a Religione auxilium, quando aliunde illud non sperant », et proinde « ut iis quoque subterfugii et impunitatis spes omnis tollatur ». Prohibitionem vero hanc idem Pontifex in posteriore Const. ita est moderatus, ut « tunc demum [eam] locum habere [velit] et non aliter, cum actis publicis constiterit, ipsos iudices et curiam saecularem ante susceptionem habitus de ipso crimine adversus eos accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse (2) ».

Hinc, ut criminosi vi legis Sixtinae a Religionis ingressu excludantur, requiritur *a)* ut actis publicis constet accusatio vel inquisitio eorum, non vero requiritur ut sint citati; *b)* ut facta sit inquisitio specialis seu in particulari contra eos, sic ut non sufficiat inquisitio generalis, qualis est dum constat de crimine et auctor ignoratur; *c)* ut fiat inquisitio vel accusatio contra illos ante habitus susceptionem, quia tunc in fraudem iurisdictionis assumptus praesumitur. Demum Kerckhove (3) cum aliis a se cit. re-

(1) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 1 n. 42.
(2) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 1 n. 85.
(3) Loc. cit. n. 86, 4.

quirit *d)* ut talis accusatio vel inquisitio fiat coram vel a iudice saeculari. Alii vero, quorum opinio rationabilior videtur, docent Sixtina lege comprehendi etiam criminosum coram iudice ecclesiastico accusatum vel ab eodem inquisitum; licet enim de solis iudicibus et curiis saecularibus fiat mentio in Const. posteriore, tamen quum haec sit prioris declaratio, et quidem iuxta dubium apud Suam Sanctitatem propositum quod tantum de iudicibus et curiis saecularibus fecerat mentionem, hinc non revocat ea quae generaliter in priore Const. sunt decreta; nam constitutio quae fit ad interpretandam aliam, secundum interpretatam est intelligenda, et terminis eius concludenda (1).

Vi legis Sixtinae non excluduntur a Religione *a)* criminosi per calumniam iniuste accusati vel inquisiti, et ex defectu probationis legitimae absoluti, etiamsi coram Deo vere sint rei, quia illud crimen tunc censetur occultum, et accusatio vel inquisitio quum sit terminata, perinde est ac si non praecessisset; *b)* criminosi qui convicti et damnati poenam impositam iam luerunt, et parti laesae satisfecerunt, quia Pontifex intendit solum praecavere ne colore Religionis criminosi maneant impuniti. Quod autem in priore Const. Sixtina dicitur: *Ut propterea damnati sint* intelligendum est de fugitivis, qui in absentia damnantur et nunquam satisfecerunt (2). — Notandum vero huiusmodi criminosos non excludi vi legis Sixtinae; fieri enim potest ut sint excludendi vel vi prioris huius conditionis partis, quia scilicet illa crimina habent ex sese infamiam annexam aut poena infamante sunt punita; vel etiam vi conditionis proxime sequentis sub n. 8, quia nempe ex suo crimine magnum damnum intulerunt, quod resarcire debent et possunt; tunc enim censentur debitis gravati (3).

Infamium et criminosorum receptio graviter est illicita, at eorumdem habitus susceptio et professio est valida;

(1) Ita Rodericus (seu Rodriguez), tom. III quaest. 54 art. 3; cfr. Piatus, tom I. q. 70 sub 3°.

(2) Kerckhove, cap. 1 § 1 n. 87; Piatus, tom. I qu. 70 sub 4° et 5°.

(3) Kerckhove, loc. cit. in fine.

siquidem inhabilitatem ac professionis nullitatem quoad criminosos a Sixto V statutam sustulit Clemens VIII (1), sed prohibitionem praefatos recipiendi et poenas contra recipientes latas in vigore relinquendo (2).

Tandem notandum, criminosos, quia sua crimina fraudulenter et dolose in receptione ac professionis emissione (monitione super his per Praelatos praemissa) tacuerint, in Ordine nostro vi privilegii a Leone X (3) concessi ab Ordine expelli posse, etiam professione iam emissa; neque ad hoc necesse est, ut eorum delicta per accusationem, denuntiationem vel inquisitionem in iudicium (ut volebat Sixtus) venerint, sed sufficit ut de illis fuerint diffamati et notati (4).

8. **Non sit supra vires suas aere alieno gravatus.** Intelligenda est haec conditio de debitis certis tum ratione sui cum ratione creditorum [debita saltem alterutra ratione incerta non obstant quominus quis recipiatur, etsi solvendo par non sit et in saeculo manens solvere posset] (5), ortis ex delicto, mutuo vel alio contractu, non ex sola liberali promissione, neque (saltem probabilius) ex sententia iudiciali ad mulctam pecuniariam damnante (6), quibus solvendi impar quis est, aut quibus tempore opportuno solvendis saltem per cautionem, sponsorem vel alio modo sufficienter non providit (7); insuper est intelligenda de solo casu, quo creditores ingressui

---

(1) Const. *In suprema.*

(2) Sixtus V in praefata Const. *Cum de omnibus* § 6 quoscumque Religiosos eorumque Superiores, qui aliquas personas, ut dictum est, inhabiles post hanc Constitutionem publicatam receperint, voce activa et passiva, necnon officiis, gradibus, honoribus et dignitatibus quibuscumque per eos obtentis eo ipso in perpetuum privat, et tam illis privatos, quam ad illa et alia quaecumque in posterum obtinenda perpetuo inhabiles, eorumque incapaces decernit et declarat.

(3) Const. *Cum sicut.*

(4) Kerckhove, cap. 1 § 1 n. 88.

(5) Kerckhove, cap. 1 § 1 n. 66; Piatus, tom. I qu. 67 *Praenot.* 1.

(6) Kerckhove, loc. cit. nn. 68, 69; Piatus, loc. cit. *Praenot.* 3.

(7) Kerckhove, loc. cit. n. 62-65.

obstant; si enim consentiant, debitor licite ingredi ac recipi potest (1). — Quae conditio non tantum est iuris ecclesiastici vi Sixti V Const. *Cum de omnibus*, sed et iuris naturalis, ex quo prius satisfaciendum est praeceptis quam consiliis, ac proinde professioni religiosae, quae tantum est consilii, praeferenda est debitorum solutio, quae est praecepti naturalis (2).

Considerato iure naturali haec videntur statuenda:

a) Debitis gravatus, qui manens in saeculo sine magno incommodo brevi tempore (3) comparare possit bona, quibus creditoribus ex toto vel ex parte notabili satisfaciat, non potest (nisi forte in saeculo periculum salutis subeat) licite Religionem ingredi; tali enim in casu creditores rationabiliter inviti essent, si non differret Religionis ingressum, quem absque notabili damno aliquantulum differendo ipsis satisfacere adeo facile potest (4).

b) Debitor qui nonnisi post longum tempus habere possit unde solvat, potest tuto etiam cum praeviso damno creditorum Religionem ingredi, idque etiamsi ex delicto et gravi culpa debita contracta fuerint; ratio est, quia debitor non est ita pro debitis adstrictus ut in sua persona sit debitor et quasi captivus instar servorum creditori; sed tantum obligatus est ad illi satisfaciendum, dum moraliter fieri potest: sed qui non potest absque notabili difficultate vel absque maximo boni spiritualis detrimento (quale est diu expectare in saeculo) acquirere unde solvat, censetur moraliter impotens. Unde in casu sufficit, ut debitor relinquat quae habet creditoribus ad hoc, ut quoad forum ani-

---

(1) Kerckhove, loc. cit. n. 65; Piatus, loc. cit. *Praenot.* 2; Reiffenstuel, lib. III tit. 31 n. 73.

(2) Kerckhove, cap. 1 § 1 n. 62: Vermeersch, n. 149, 1.

(3) In determinando hoc brevi tempore valde discrepant DD.: Suarez dicit sufficere unum annum; Sanchez et Lugo assignant biennium, quod Kerckhove commune dicit; alii quinquennium vel sexennium; alii tandem iudicio prudentis relinquendum volunt, considerata nempe qualitate spei, damni creditoris, vocationis debitoris etc.

(4) Kerckhove, loc. cit. n. 63; Piatus, tom. I qu. 67 I. 2°.

mae licite Religionem intret (1). — Quodsi spectatis omnibus circumstantiis dubium maneat, num debitor expectato debito tempore, et quidem sine notabili difficultate, possit bona comparare, quibus satisfaciat creditoribus, non poterit Religionem ingredi; ratio est, quia in tali dubio praevalet ius certum creditorum, suntque in possessione iuris ut sibi solvatur (2).

c) Debitis gravatus certis, utcumque contractis, qui sive licite sive illicite est professus, solvere debet ex iis, quae postea forsan casu ei obveniunt, ut haereditate, legatis etc. (3). Imo ex doctrina plurimorum (4) eiusmodi professus tenetur, supposita Superioris licentia, laborando iuxta suam conditionem vel alio honesto modo et statui suae Religionis conformi debitorum solutionem procurare; status enim religiosus non aliter excusat nec extinguit naturalem solvendi debita obligationem, nisi quatenus includat modum solvendi tali statui indecentem. Attamen Praelatus non tenetur illam licentiam dare, praesertim si ipse et Ordo bona fide processerint; praeterquam enim quod Praelatus vel Ordo nihil creditoribus debet, ipse ratione professionis habet ius gubernandi suum subditum et ei imponendi labores quos voluerit; si vero sine magno incommodo subditus intra vel extra claustra, retento

---

(1) Kerckhove, cap. 1 § 1 n. 63 ex Roderico, tom. III quaest. 10 art. 9, qui ibidem demonstrat, S. Thomam 2. 2. qu. fin. art. 6 ad 3 docentem quempiam posse Religionem ingredi, etiam invitis creditoribus, modo cedat bonis suis et ea illis relinquat, intelligendum esse de illo, qui fecit quod potuit ad solvenda debita, et tamen non potest nec poterit in futurum habere unde solvat. Cfr. Piatus, tom. I qu. I, 67, I, 3°, plures DD. pro tradita sententia citans, qui tamen addit, huic sententiae contradicere plures gravissimos auctores, quos citat. Quidquid autem est de hac controversia, fere unanimiter docent auctores debitorem statim posse Religionem ingredi, si nulla adsit spes fore ut in saeculo manens creditoribus satisfacere queat.

(2) Kerckhove, loc. cit. n. 64.

(3) Lehmkuhl, *Theol. moralis* tom. I n. 514 (Ed. 11 n. 667).

(4) Quos citat et sequitur Kerckhove, loc. cit. n. 70, contra alios, qui hanc professi obligationem negant ex eo, quod professio religiosa, ex ipsorum opinione, vim habeat extinguendi omnem obligationem civilem.

semper habitu, per media statui congruentia acquirere possit unde creditoribus satisfaciat, videtur charitas exigere, ut Superior nonnisi ex rationabili causa impediat. Nullimode vero admittendum videtur quod docet Corduba (1), scilicet Superiorem teneri ad dimittendum ad tempus vel ad semper talem subditum, ut in saeculo laboret et creditoribus satisfaciat; quodsi non dimittatur, Praelatum obligari ad dandam licentiam operandi intra vel extra monasterium; quae licentia si non detur, conventum debere procurare solutionem; quod si non faciat, talem subditum obligari ad egrediendum e Religione, etiam invito Superiore, ut sic procuret debitorum solutionem. Haec enim omnia durissima sunt, et tale medium est a communi usu longe alienum, ait Sanchez (2).

Tandem notandum ex Lehmkuhl (3): « Nihilominus in plerisque locis practice non omnia ea permitti possunt iis, qui utcumque aere alieno gravati sunt; nam cum leges civiles Religionis iura negligant, certe summum odium et detrimentum et Ordini et Religioso oriri potest, si creditor leges civiles invocaverit ».

Ex iure ecclesiastico (quod respicit tantum virorum ingressum et Religiones stricte tales) indistincte repellendi sunt gravibus poenis statutis in admittentes (cfr. pag. 35 in nota (2), qui ingenti aere alieno supra vires facultatum suarum sunt gravati, exceptis tamen illis — ex benigna DD. interpretatione —, qui sine gravi culpa debita et solvendi impotentiam contraxerunt, imo, ut plures volunt, etiam qui culpabiliter ad hunc statum pervenerunt, si non est spes fore, ut manendo in saeculo satisfacere possint creditoribus, dummodo illis relinquant bona quae habent (4).

---

(1) In cap. II Regulae qu. 5 punct. 5.

(2) Lib. IV cap. 19 n. 15 ex Navarro, lib. IV *De restitut.* cap. 4 in fine.

(3) *Theol. moralis* tom. I n. 514 (Ed. 11 n. 667).

(4) De hac conditione cfr. S. Alphonsus, lib. IV n. 71; Lehmkuhl, *Theol. mor.* tom, I n. 514 (Ed. 11 n. 667); Piatus, tom. I qu. 67 II sub 3°, 4° et 5°; Vermeersch, n. 149, 2.

Neque reddendis rationibus obnoxius, ita ut huiusmodi causa lis vel molestia ipsi vel Ordini timenda sit.

Reddendis rationibus seu ratiociniis obnoxius quis dicitur ex rei temporalis administratione, quam habet vel habuit, sive publica (ut tributorum publicorum susceptor, advocatus, tabellio) sive privata (ut tutor, procurator, testamenti executor). Duplex exinde distinguitur reddendarum rationum seu ratiociniorum obligatio, publica nempe et privata; alterutra autem obligatione obstrictos a Religione ingredienda excludi docet [contra nonnullos] (1) communis aliorum sententia; quae tenenda probatur ex Sixti V Const. *Cum de omnibus*, ex qua haec conditio est recepta; nam prohibitio Sixtina indistinctis et generalibus omnino exprimitur terminis; accedit quod ratio illius finalis (ne scil. in Religionis opprobrium, in Dei offensam et in scandalum plurimorum lis moveatur contra obligatos) militat etiam in reddendis rationibus seu in ratiociniis ex administratione privata. Neque quoad prohibitionem eiusmodi obligatos recipiendi revocata fuit Bulla Sixtina, sed quoad eam tantum partem, quae earumdem professionem invalidam declarabat, ut testatur Clemens VIII (2) qui ipsemet iubet (3) inquiri, num qui se praesentant « reddendae alicuius administrationis rationi obnoxii sint, iuxta formam Constitutionis fel. rec. Sixti V (4) ».

Verum ex eo quod in hac Constitutione additur: *Ut ex huiusmodi causa lis vel molestia eis sit iam illata vel timendum sit ne inferatur*, docent DD. ex eadem non impediri Religionis ingressum illius qui reddendis rationibus est obnoxius, *a)* si sufficiente ante ingressum prae-

---

(1) Qui ex sola administratione publica obligatos excludi censent argumentantur ex iure communi ante legem Sixtinam vigente cfr. Can. *Legem* unic. Dist. LIII), ad quod circa hoc punctum legem Sixtinam reductam a Clemente VIII putant.

(2) Const. *In suprema.*

(3) Const. *Regularis disciplinae.*

(4) Kerckhove, cap. 1 § 1 n. 81; Piatus, tom. I qu. 69, resp. 1 et 2.

stita cautione alius tanquam fideiussor obligationem in se suscipit reddendi rationes pro ipso; *b)* si eius patrimonium longe superat aestimationem administrationis praestitae; *c)* si iudicio viri prudentis, attenta qualitate et gravitate ratiociniorum quibus est obnoxius, ipse sine lite aut magno gravamine aut distractione rationes reddere posse moraliter certo creditur, quamquam et in his circumstantiis consultius est ante ingressum ratiocinia expedire, sicque regulariter est observandum, nisi specialis aliqua necessitas contrarium exigat (1).

Non impleta hac conditione receptio quidem est valida, ast graviter illicita, et recipientes poenis a Sixto V latis subiacent, sicuti supra sub 7 de infamium et criminosorum receptione est dictum.

9. **Non sit metu aut violentia a quavis persona inductus, sed libera voluntate servitio Dei in Religione se offerat.**

Per hanc conditionem consulitur ingredientium Religionem libertati, quae eo plenior est requirenda, quanto maior status religiosi perfectio, quanto plures et graviores eiusdem obligationes, et quanto arctior proinde cum aeterna salute observantiae religiosae nexus. Hinc ad ingrediendam Religionem non sufficit quaevis voluntas seu consensus quilibet, sed omnino liber a metu aut violentia, imo a fraude ac importunis blanditiis precibusve, ita ut qui talibus mediis iniquis aliquem ad ingressum inducunt, maximam illi irrogent iniuriam, et scienter recipientes iniuriae cooperentur, ideoque tum hi cum illi mortaliter peccent. Imo si quis ad statum religiosum inducitur gravi metu iniusto, ac ex eodem emittit professionem, ipsa est irrita et invalida saltem iure ecclesiastico, uti deducitur ex cap. *Perlatum X. De his quae vi metusve causa fiunt* I. 40, et supponit Trid. Sess. 25 cap. 19. *De regul. et monial.* (2). Patet igitur quam sedula sollicitudine de impleta in po-

(1) Kerckhove, cap. 1 § 1 nn. 82 et 83; Piatus tom. I q. 69 resp. 3.
(2) Kerckhove, loc. cit. nn. 20-26.

stulante hac conditione invigilare debent Praelati, ne recipientes invitum ipsum damnationis periculo ac Ordinem magno scandalo ad intra et maiori dedecori ad extra exponant.

10. Si ad sacerdotium destinetur, non sit irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus.

Ex hac conditione inter novitios ad sacerdotium promovendos licite admitti non possunt qui irregularitate aut alio canonico impedimento a sacra ordinatione arcentur, nisi tamen aut iam ante admissionem ab existente irregularitate vel alio canonico impedimento dispensationem obtinuerint, aut certo constet fore ut ante consuetum ordinationis tempus per ablationem causae irregularitas aliudve impedimentum tollatur. — Hinc haec conditio nihil impedit quominus admittatur illegitimus, siquidem, cessante per professionem solemnem irregularitate ex defectu natalium, habilis fit ad sacros ordines suscipiendos.

11. Si clericus sit non teneatur iureiurando, ex S. Sedis praescripto, ad servitium dioecesis vel missionum.

Haec conditio intelligenda videtur de iis clericis, qui emisso iureiurando speciatim atque expresse liberum religionis ingressum sibi praeciderint, non vero de iis qui simpliciter tantum se obligarint ad manendum in dioecesi vel ad transeundum ad exteras nationes ad iuvandas animas, hi nimirum dictam obligationem in se suscipisse censendi sunt sub tacita illa conditione: « *Nisi ad Religionem transiero* (1) ».

Dicitur autem: « *ex S. Sedis praescripto* », siquidem Episcopo fas non est proprio suo arbitratu clericos in seminarium recipiendos iis adstringere conditionibus, quae eosdem in sua libertate amplectendi statum religiosum, per Canones asserta, impediant (2).

---

(1) Cfr. Nilles, disput. academica *De libertate clericorum Religionem ingrediendi* nn. 43 et 44.

(2) Cfr. Nilles, loc. cit. n. 41, 2° et n. 45 alinea *Quaestioni solvendae* (pag. 120 seqq.).

Ceterum clericos ac sacerdotes saeculares Religionem ingredi ac recipi posse, etiam contradicente Episcopo, sententia fere unanimis affirmat, etiamsi agatur de beneficiatis (1); quam sententiam Benedictus XIV (2) expresse docet atque variis iuris textibus et auctoritate DD. probat (3).

Equidem « nemo dubitat — verba sunt Benedicti XIV loc. cit. — quin presbyter, ecclesiae regimen aut ministerium dimissurus (4), ante omnia debeat Episcopo consilium suum, eiusque capiendi rationes, quantum earum natura fert, aperire. In quo non tam officio et honestati, quam naturalis legis praecepto satisfaciet; cum enim presbyteri in cura animarum aliisque gravibus muneribus ad pastorale regimen spectantibus Episcopi ministri sint, ita cum eo se gerere debent, ut is animarum quas ipsi regebant, et negotiorum quae administrabant, necessitatibus opportune consulere valeat ». Ast si permissio ab Episcopo denegetur, « huiusmodi dissensus, ex auctoritatibus superius citatis, presbyterum non adstringet, quominus Religionem ingredi valeat ». Cui ne minimam quidem obstare reverentiam et obedientiam in ordinatione Episcopo promissam, demonstrat Pontifex argumento deducto ex cap. *Licet* 18 *De regularibus*, ex quo Religiosus

---

(1) Cfr. Piatus, tom, I. qu. 72; Vermeersch, nn. 135 et 136; Nilles, *De libertate clericorum Religionem ingrediendi.*

(2) Const. *Ex quo dilectus* diei 14 Ian. 1747.

(3) Idem valere etiam si agatur de Instituto, in quo *vota* tantum *simplicia* emittuntur, patet ex Declaratione S. C. Episc. et Regul. die 21 Iulii 1837 ad 2: « An dictis oblatis extendi debeat Const. Benedicti XIV incipiens *Ex quo dilectus* circa liberum ingressum clericorum saecularium in regularia Instituta, licet Episcopus opponatur, et oblati emittant tantum vota simplicia? Resp. Affirmative, ne impediatur vocatio ad statum perfectiorem ». Cfr. Piatus, t. I qu. 74.

(4) Notanda haec verba; si enim agatur de clericis, qui in cura animarum non laborant, neque alio munere ad pastorale regimen spectante funguntur, non ex stricta obligatione, sed ex sola decentia ac honestate Episcopi licentiam esse exquirendam plures docent DD. Cfr. Fagnanus, in cap. *Licet* 18 *De regularibus;* Schmalzgrueber, lib. III tit. 31 n. 34; S. Alphonsus lib. V n. 75.

(qui tamen multo solemniore reverentiae et obedientiae promissione suo Superiori obstringitur) potest zelo sanctioris vitae ad Religionem transire strictiorem, petita prius licentia Praelati sui, licet non obtenta.

Dein ex cit. cap. *Licet*, adducta in confirmationem auctoritate Innocentii IV in praefatum cap., deducit Pontifex, « certis in casibus iustisque exigentibus causis Episcopo competere, ut suum clericum Ordini regulari adscriptum repetere possit... Huius tamen iuris (addit) persecutio in casibus particularibus non admodum facilis esse videtur... cum [enim] negari nequeat, praelationis munus seu statum minus securum esse, Religionis vero esse statum maioris securitatis in ordine ad spiritualem salutem; unusquisque parochus, religiosae vitae cupidus, hac una exceptione in iudicio se tuebitur adversus Episcopum, qui ipsum ad animarum curam revocare contendat ».

Nec asserta clericorum libertas ingrediendi Religionem generatim et per se obstringitur obligatione restituendi expensas pro eorumdem educatione a dioecesi forsan factas; de qua obligatione erudite scribens Nilles Disput. academica *De libertate clericorum Religionem ingrediendi* suam doctrinam compendiose exponit prout sequitur:

a) Clericos illos, quos Deus nonnisi post percepta seminarii commoda ad perfectiorem vitae statum vocat, ad restitutionem impendiorum non obligari;

b) Episcopos ab iis, qui ex intentione in seminarium admittuntur ut sacerdotes saeculares fiant, exigere in ingressu non posse, ut data promissione in antecessum sese obstringant ad impensas postea solvendas, si quando per divinam gratiam ad religiosam vitam evocentur;

c) in ipsa erectione et fundatione seminarii vel in ipsa largitione beneficii haec duo constituere licere quod ad sumptus faciendos: ut ille iuvenis seminarii commodis et beneficiis minime frui valeat, qui firmiter iam constituit Religionem suscipere: ut ille qui, postquam seminarium ingressus quidem est intentione statum clericorum saecu-

larium amplectendi, temporis progressu tamen Spiritus S. afflatus propositum capit Religionem capessendi, id statim Episcopo significare teneatur simul ac sanctum eius propositum satis maturuit, ut eum videlicet vel retinere possit, si velit, vel etiam ad Religionem statim dimittere, si ita expedire videatur....

Quod si clericus post maturatum Religionis propositum tum in seminario, cuius leges quae diximus statuunt, dioecesi sumptus facere pergat, proposito suo cum Episcopo non communicato, tunc et iniustitiae peccato reus erit, et ex tempore maturati propositi ad restitutionem tenebitur. Secus autem arbitrandum de illo erit, qui in seminario educatur, cuius leges ista positive non constituunt. Loc. cit. n. 42.

12. **In ea aetate constitutus sit, quam Decreta S. Sedis pro diverso statu clericorum et laicorum praescribunt.**

Legitima recipiendi ad Ordinem aetas, ex Decretis S. Sedis, pro diverso statu clericorum et laicorum haec est quae sequitur:

1. In clericis requiritur aetas quindecim saltem annorum completorum.

Fundatur haec conditio in Conc. Trid. Sess. 25 *De regularibus cap. 15* praescripto de non emittenda sub poena nullitatis professione ante decimum sextum annum completum. Quum enim idem Conc. loco cit. cap. 16 ordinet, ut « finito tempore novitiatus Superiores novitios, quos habiles invenerint ad profitendum admittant, aut e monasterio eos eiiciant », hinc ad strictiorem praefati praescripti observantiam ea praescribitur in adspirante aetas, ut si habilis inveniatur, finito anno novitiatus seu probationis statim profiteri possit. — Imo necessario requiri videtur aetas hoc art. praescripta ex Decreto S. C. super Statu Regularium diei 16 Maii 1675, quo innovans Decreta Innocentii X et Alexandri VII statuit, neminem censeri habilem ad religiosum habitum suscipiendum ut clericum, nisi annum aetatis suae decimum

quintum expleverit(1). Ex quo Decreto omnino reiicienda videtur doctrina, quam DD. veteres quasi communiter indubiam habent, ex iure communi novitiatum inchoari posse pubertate completa.

2. In laicis requiritur aetas viginti annorum completorum.

Aetas anni vigesimi requiritur ex iure communi lato in Clementis VIII Const. *Cum ad regularem;* et licet, stando rigori terminorum cit. Const. defendi possit sufficere annum vigesimum incoeptum, tamen ex Decreto S. C. super Statu Regularium allato superius sub 1, accedente disciplina vigente, in praxi omnino requirendus videtur annus vigesimus completus. — Nec ex dicto Decreto ante praefatum annum adspirantes ad laicatum admitti possunt tamquam postulantes (uti dicitur), qui scil. inchoatae probationis causa in conventu habitant, etiamsi in habitu saeculari, ut si idonei reperti fuerint, adepta de iure requisita aetate habitu religioso vestiantur et novitiatum incipiant; ita enim in illo Decreto statuitur: « Ut de cetero neminem pro tertiariis, vel oblatis, seu donatis, aut commissis, vel servientibus, nec pro hospitibus (2) seu postulantibus, vel cantoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis, ac quovis habitu indutis, vel induendis, seu quovis praetextu, vel causa, aut quaesito colore recipiant seu admittant ad habitandum (3) intra claustra, nisi vigesimum aetatis suae annum expleverit, omnesque sic receptos seu admissos (iis tantum exceptis, qui completa aetate annorum quindecim pro clericis seu choristis, in habitu novitiorum annum probationis agunt) a monasteriis seu domibus regu-

---

(1) Apud Bizzarri, *Collectan.* p. 305. Idque sub poena privationis dignitatum et officiorum, quae tunc temporis obtinent, ac perpetuae inhabilitatis ad illa vel alia in posterum obtinenda, vocisque activae et passivae ipso facto absque ulla declaratione incurrenda. *Ibid.* p. 306.

(2) Intelligendi videntur illi soli, qui sub nomine hospitum postulantibus assimilantur, non hospites proprie dicti.

(3) Mendosa est lectio « *ad habitum* » quae apud Ferraris verbo *Habitus* nn. 32-35 aliosque pro verbis « *ad habitandum* » habetur.

laribus omnino amoveant et eiiciant infra terminum duorum mensium (1) ».

Quoad praedicta attendendum est ad S. C. de Religiosis Decretum *Sacrosancta* 1 Ian. 1911 (2), quo « Mode« ratoribus generalibus facultas fit permittendi toties quo« ties [hinc pro singulis admissionibus repetenda est hu« iusmodi permissio, expressis (ut videtur) recipiendorum « nominibus, vel saltem numero] Superioribus provinciali« bus, ut excipere valeant eos quoque iuvenes, ad lai« corum munia destinatos, qui vix expleverint decimum « septimum aetatis annum, servatis servandis » (cit. Decretum sub 1). — Non obtenta praedicta permissione servandum est ius commune proxime explicatum.

15. Praeterea, nullimode, absque speciali venia Sedis Apostolicae, et sub poena nullitatis, sive ad clericatum sive ad laicatum recipi possunt postulantes: 1° qui e collegiis etiam laicis ob inhonestos mores vel ob alia crimina expulsi fuerint; 2° qui e seminariis et collegiis ecclesiasticis vel religiosis quacumque ratione fuerint dimissi; 3° qui sive ut novitii sive ut professi ab alio Ordine vel Congregatione religiosa dimissi fuerint, vel dispensationem votorum obtinuerint; 4° qui iam admissi, sive ut professi sive ut novitii, in unam provinciam Ordinis, et ab ea dimissi, in eamdem vel in aliam provinciam recipi nitantur. Postulantes vero qui in singulis supradictis casibus etsi non formaliter, sed aequivalenter tamen dimissi fuerint, non recipiantur.

Hoc art. refertur Decretum S. C. de Religiosis *Ecclesia Christi* 7 Sept. 1909 (3) de quibusdam postulanti-

(1) Cfr. Vermeersch, n. 138 in nota 2.

(2) *Monumenta* pag. 94; Vermeersch, *Periodica* tom. V pag. 280.

(3) *Monumenta* pag. 67 sqq.; Vermeersch, *Periodica* tom. V pag. 54 et 124.

bus in religiosas Familias non admittendis. Sunt autem dimissi e collegiis, necnon dimissi vel ex dispensatione egressi ex ipsis religiosis Institutis. — Notandum hac in lege dimissos intelligi eos solos qui exire iussi sunt, non autem qui sponte collegia reliquerunt, nec, si agatur de religiosis Institutis, qui sponte egressi sunt vel dispensationem a votis impetrarunt.

Ex praefato Decreto in religiosas Familias admitti nequeunt:

1. Dimissi e collegiis. Distinguenda sunt collegia ecclesiastica et laica: quae distinctio definienda est, non ex moderatoribus et praefectis, sed ex fine, ita ut ecclesiastica seu religiosa dicenda sint, in quibus alumni speciali cura in spem amplectendi status clericalis vel religiosi educantur, cetera dicantur laica; inter laica etiam numerat Vermeersch, quae ex fine mixta dici possint, in quibus scil. multi etiam admittuntur alumni qui de amplectendo statu clericali vel religioso nullatenus cogitant.

Porro ut dimissi e collegiis vel scholis laicis ab amplectendo statu religioso impediantur, requiritur dimissio ob inhonestos mores vel ob aliam gravem culpabilitatem propriam cum inhonestis moribus comparabilem v. g. gravem vulnerationem, furtum. — Ut autem similiter impediantur dimissi e collegiis vel scholis ecclesiasticis seu religiosis, sufficit dimissionis causa quaelibet, personalis tamen et ordinem moralem attingens, qualis est indoles parum tractabilis, pigritia etc. Hinc non comprehenduntur dimissi ob male affectam valetudinem, ob defectum idoneitatis litterariae in candidatis ad laicatum, vel ob vitium parentum dummodo certo constet huiusmodi candidatos ob solas hasce causas dimissos fuisse. Cfr. dicenda inferius sub 3.

Nota. In dimissione e collegio laico Vermeersch requirit, ex verbo *expellendi* posito in textu Decreti, dimissionem quandam solemnem, i. e. quae etiam palam fiat. At considerato Decreti fine haec interpretatio aequo

strictior mihi videtur, quia verbum *expellendi* potius adhibitum videtur ex eo quod in casu agitur de dimissione ob delictum et in poenam.

2. Dimissi vel ex dispensatione egressi ex ipsis religiosis Institutis. Imprimis qui sive ut professi sive ut novitii (sive etiam ut postulantes, ut ex fine Decreti mihi videtur addendum contra Vermeersch cum Besson) dimissi fuerint, impediuntur a denuo ingrediendo tum aliud quum idem (sive in eadem sive in alia provincia) Institutum; — praeterea qui professi dispensationem votorum obtinuerint, impediuntur quidem a denuo ingrediendo aliud Institutum, non autem a repetendo idem Institutum; — denique qui ut novitii (vel ut postulantes) sponte sua egressi fuerint, eamdem quam ante ingressum servant capacitatem, ita ut tum idem quum etiam aliud Institutum denuo ingredi valeant; — hisce aequiparandi videntur, qui ob male affectam valetudinem e novitiatu (vel postulatu) etiam coacte egressi fuerint. Ceteri autem omnes qui, quacumque demum ex causa, ex defectu quoque idoneitatis litterariae, etiam relative tantum seu comparate ad quodpiam Institutum (quando agitur de admittendis inter clericos), idonei non videntur ideoque dimittuntur, praesenti lege comprehensi videntur.

Nota. Qui praesenti lege comprehensi ante eiusdem publicationem seu promulgationem ad novitiatum fuerint admissi, ad professionem valide admitti non possunt absque venia Apostolicae Sedis. — Qui vero hac lege comprehensi ante eiusdem publicationem seu promulgationem primam tantum professionem iam emiserant, valide quidem admitti possunt ad alteram professionem, scil. solemnem in Ordinibus regularibus et perpetuam in ceteris Institutis; sed Superiores gravi obligatione tenentur: *a)* opportunas, secretas iuratasque informationes exquirere Superiorum seminarii, vel collegii, vel Instituti religiosi *a quo* circa veras causas exitus alumnorum de quibus agitur; *b)* moraliter

aliunde certi fieri et de bonis eorum religiosis moribus, et de solidae vocationis argumentis, et si agitur de clericis candidatis, etiam de idoneitate litteraria. Et Superiores *a quo*, graviter eorum onerata conscientia, tenentur sincere et sub iuramento secretas huiusmodi informationes a Superioribus *ad quos* exquisitas transmittere (S. C. de Religiosis Declaratio 5 April. 1910 ad I et II) (1).

3. Qui e seminariis vel e collegiis sive ecclesiasticis sive religiosis, vel a novitiatu, etiam a postulatu non formaliter quidem, sed aequivalenter dimissi fuerint, i. e. quos Superiores induxerunt vel hortati sunt ut sponte discederent ne dimitterentur, valide quidem per se admitti possunt, at eorumdem admissio est omnino illicita. — Recipi etiam valent ii qui in aliqua Congregatione vota temporanea professi, peracto tempore, professionem sponte non renovarunt. At in praefatis casibus, ad fraudes vel abusus e medio tollendos in re tanti momenti, exquirendae sunt opportunae et accuratae informationes fide iuramenti firmatae rectoris seminarii vel collegii aut Superioris maioris Instituti religiosi, ut supra, circa veras causas exitus. — Quod si huiusmodi informationes non obtineantur, aut ex iisdem certo non constet, candidatos non fuisse aequivalenter dimissos, hi repellendi sunt, cum de eorumdem idoneitate non constet. Quod si de candidatis clericis agatur, pariter constare debet de eorum idoneitate litteraria (S. C. de Religiosis 5 April. 1910 ad III et IV (2).

Tandem qui professi a votis dispensati egressi aequivalenter dimissi fuerint, licet valide, non tamen licite in idem Institutum denuo admitti possunt.

Ceterum cfr. generale praescriptum art. 33.

Hoc impedimentum respicit admissionem, absque speciali venia Sedis Apostolicae factam, sive ad novitiatum sive ad emissionem votorum, et quidem sub poena

(1) Cfr. *Monumenta* pag. 68, 69.
(2) Cfr. *Monumenta* pag. 68, 69.

nullitatis professionis, et extenditur ad omnia religiosa Instituta, tum votorum solemnium quum simplicium, sive virorum sive mulierum, saltem iuris pontificii. — De Institutis iuris dioecesani dubitari possit; indubium tamen videtur praedictis normis de valida vel licita admissione teneri, qui ex Instituto iuris dioecesani egressi in Institutum iuris pontificii vel in Ordinem regularem transire desiderant. Haec ex iure pontificio seu communi.

16. Pro dispensatione obtinenda a quolibet ex praedictis impedimentis, quod non sit de iure naturae, ad Ministrum generalem recurrendum est; qui, iuxta casuum diversitatem, vel dispensationem ipse concedet, vel ut a S. Sede impetretur curabit.

Hoc art. **praescribitur recursus ad Ministrum generalem pro obtinenda dispensatione** a quolibet ex statutis art. 14 et 15 impedimentis, sive sit iuris communis sive iuris peculiaris Ordinis. Ratio esse videtur ut ipsius iudicio decernatur dispensatiónis in casu petendae vel concedendae opportunitas.

§ II.

De studiis ante ingressum in Ordinem requisitis et de collegiis seraphicis.

17. Nemo ad novitiatum inter clericos admittatur, qui studia primaria et gymnasialia seu humaniorum litterarum debite non peregerit. In casibus tamen specialibus, accedentibus gravibus causis, Minister provincialis permittere poterit ut ad novitiatum admittatur qui quartum annum gymnasialem rite expleverit, dummodo antequam

ad studium philosophicum seu lyceale promoveatur, integrum curriculum studiorum humaniorum litterarum in scholis domesticis compleat.

Hoc art. determinantur **studia admissioni praemittenda** ad normam Declarationum S. C. de Religiosis 7 Sept. 1909 (1) circa articulum sextum Decreti *Auctis admodum* diei 4 Nov. 1892, quae sunt studia primaria seu elementaria et gymnasialia seu humaniorum litterarum (cit. Declarat, ad IV).

Praefata studia ut habeant valorem legalem seu qui sufficiat ad licite admittendos candidatos,

a) expleri debent ex integro, tum quoad constitutas eorumdem disciplinas, tum quoad tempus eisdem impendendum, facta tamen Ministro provinciali facultate permittendi admissionem post expletum quartum annum gymnasiale, dummodo hoc non fiat passim seu communiter, sed in casibus specialibus tantum, accedentibus gravibus causis, ac ante incoeptum studium philosophicum seu lyceale integrum curriculum gymnasiale compleatur in scholis domesticis ad hoc institutis. — Quod si agatur de admissione anno quarto non expleto, recurrendum est ad Sanctam Sedem (cit. Declar. ad V).

b) Haec studia complecti debent non tantum unam alteramve disciplinam e principalioribus, sed omnes consuetas disciplinas etiam accessorias iuxta normam in bene ordinatis seminariis regionis vigentem, spectatis insuper, praesertim quoad studia primaria seu elementaria, legibus quibus apud excultas nationes, et prae ceteris apud nationem respectivae provinciae patriam studia reguntur: quae normae et leges saltem in substantialibus sunt servandae (cit. Declarat. ad VII).

c) Praefata studia non sufficiunt peracta privatim sed requiruntur peracta publice in scholis rite ordinatis. — Cui tamen praescripto si non fuerit satisfactum,

---

(1) *Mon.* pag. 109 sqq.; Vermeersch, *Periodica* vol. V pag. 46. sqq.

in casibus extraordinariis, qui respiciunt particularem aliquem alumnum tantum, qui diligenter studiis incubuit, et in periculo seu examine idoneus inventus fuerit, obtineri potest convalidatio, qua scil. declaretur studium privatim peractum in casu sufficere ad licitam admissionem. — Pro qua convalidatione obtinenda, si agatur de omnibus disciplinis etiam unius tantum anni scholaris, recurrendum est ad S. C. de Religiosis, exhibita iurata fide examinatorum tum de tempore transacto in studio privato, tum de bene superato periculo; si vero agatur de una tantum vel altera disciplina accessoria, gravi de causa a particulari aliquo alumno privatim exculta, convalidatio dari poterit a Superiore generali, accedente voto deliberativo sui Consilii, praehabita tamen iurata fide examinatorum ut supra (cit. Declarat. ad VI).

Praeterea ad bonum Ordinis requirenda videtur in candidato aptitudo ad ulteriorem competentem scientiam in proximo comparandam iuxta Ordinis nostri finem, quem Deo volente eidem praefixit seraphicus Institutor, specialem, qui est *non sibi soli vivere, sed aliis proficere*. Hinc « quum, seraphico Doctore teste (1), praedicationis officium ex regulari professione Ordini annexum sit, et etiam confessionis », aptitudo ad scientiam in proximo comparandam huiusmodi sit necesse est, ut studiis absolutis omnis sacrae doctrinae genere exculti, in excipiendis confessionibus lepram possint a lepra distinguere, orthodoxam fidem populis praedicare, eamque contra omnes Ecclesiae adversarios defendere et illustrare (2).

Patet igitur quam sollicite sit requirenda huiusmodi aptitudo, ne pluribus ignaris et idiotis Ordo et tota Ecclesia gravetur, ac Religioni notabile damnum inferatur; quae quum pro suis ministeriis indigeat viris prudentia,

---

(1) *Determinat. Quaest. circa Regulam* quaest. 111.

(2) Cfr. Bernardus Van Loo, *Stimulus seraph. convers.* cap. 32 p. 276.

doctrina et morum probitate conspicuis, ex aggregatis sibi forsan hominibus ineptis, indoctis, imprudentibus et otiosis nihil fructus utilitatisque consequens, prae dolore ingemiscens suam deplorare deberet calamitatem cum Isaia (cap. 9): « Multiplicasti gentem, et non magnificasti laetitiam (1) ».

18. Institutio seminariorum seu collegiorum seraphicorum, ob praesentium temporum circumstantias, ultro approbatur eorumque erectio omnibus Ordinis provinciis commendatur.

Hoc art. agitur **de collegiorum seraphicorum erectione**, quae non solum plene approbatur, sed et provinciis commendatur. — Huiusmodi collegia seraphica intelliguntur scholae superiores unice vel saltem principaliter institutae ad hoc ut educentur candidati ad Ordinem.

19. Illi tantum pueri ad collegium seraphicum admittantur, quorum indoles et voluntas spem afferant, eos seraphicae Religioni nostrae perpetuo inservituros, et in disciplinis elementaribus eatenus iam instructi sint, ut studiis gymnasialibus cum profectu vacare possint.

Statuitur **duplex conditio exigenda in admittendis ad collegium seraphicum** : desiderium nempe ingrediendi Ordinem, et sufficiens in elementaribus disciplinis instructio, de qua constare debet per testimonium a moderatoribus respectivarum scholarum in forma authentica obtentum, vel, si gravi aliqua de causa haberi nequeat, per speciale examen coram peritis magistris subeundum (2). Et quidem provida ex ratione ita statuitur, ne scil. ex imprudenti admissione potius in detrimentum quam in bonum provinciarum cedat collegiorum seraphicorum erectio.

---

(1) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 1 n. 61.

(2) Cfr. Declar. sub art. 17. cit. ad IV; *Monumenta* pag. 110.

20. Studia gymnasialia in collegio seraphico tradenda in quinque saltem scholares annos distribuantur, et ab unaquaque provincia, iuxta programmata quibus in respectiva regione studia illa reguntur, apte ordinentur, ita quidem ut finis specialis horum studiorum pro Ordine nostro quo melius fieri possit attingatur.

Generatim indicatur **apta studiorum ordinatio** in collegiis seraphicis, nimirum ut prae ceteris doceantur illae disciplinae, quae pro insequenti studio philosophico ac theologico, ac pro sacro ministerio exercendo maiorem afferant utilitatem.

21. Alumni non solum scientiis, verum etiam, et praecipue, virtutibus suae aetati congruis diligenter imbuantur, ut in collegio seraphico ad vitam religiosam mature iam se praeparent. Quapropter, praeter alia pietatis exercitia quotidie certisque temporibus in communi peragenda, ad frequentem imo et quotidianam SS. Eucharistiae receptionem omni qua par est diligentia inducantur.

Inculcatur hoc art. omni zelo **curanda alumnorum in collegiis seraphicis educatio spiritualis**, quae sit praeparatio ad vitae rationem religiosam et claustralem postea amplectendam. Hinc iis praesertim virtutibus imbuantur quae vitae religiosae ac claustralis sunt propriae; ac aptis devotionis exercitiis, etiam in communi peragendis, necnon frequenti, imo et quotidiana SSmae Eucharistiae receptione ad solidam pietatem inducantur.

22. Collegium sit a conventu distinctum, aut saltem muro a caeteris conventus partibus prorsus separatum. Alumnis quaevis conversatio cum Religiosis communitatis et in conventum ingressus omnino prohibentur.

Praescribitur hoc art. **collegii a conventu aut distinctio totalis**, aut **saltem separatio** talis qua impediatur omnis inter collegii alumnos et conventus Religiosos communicatio.

23. Ad munia et servitia pro collegio necessaria obeunda Religiosi tantummodo assumantur prudentia, morum gravitate ac pietate probati.

Assignantur hoc art. **qualitates in Religiosis collegio servientibus**, praeter idoneitatem ad respectivum munus vel servitium, requisitae.

24. Rector collegii, auditis professoribus, bis saltem in anno ad Ministrum provincialem de indole et in studiis profectu cuiusque alumni in scriptis referat.

Praescribitur bis saltem in anno scripto facienda **relatio de collegii alumnis**, qua rector collegii suum professorumque iudicium de cuiusque alumni indole et de profectu in studiis communicet cum Ministro provinciali, ut ex iterata hac relatione ipse de singulis decernat utrum in collegio perstare possint, an potius sint dimittendi.

§ III.

De requisitis pro receptione ad laicatum.

25. Aspirantes ad laicatum illi tantum recipiantur, qui, praeter alias conditiones requisitas, doctrinae christianae saltem praecipua capita noverint et ad labores manuales statui nostro congruentes apti appareant.

Statuitur hoc art. **in aspirante ad laicatum exigenda**, cum congruente doctrinae christianae cognitione, **aptitudo ad labores manuales statui nostro congruen-**

tes. Haec conditio est ex iure nostro peculiari hoc art. statuto, et quidem provida ex ratione, praesertim quum laici ad laborem inepti Ordini sint prorsus inutiles, et facillime deflectant ad otium, quo nihil magis regulari obest observantiae. Hinc in admittendo ad laicatum caute procedendum, et illi soli recipiantur, qui cum pietate et devotione corporis vires coniunctas habent, ut supportandis Religionis oneribus apti existant.

26. Nemo ad novitiatum admitti potest, sub poena invalidae professionis, nisi tres saltem annos probationis praeviae, quae postulatus appellatur, expleverit.

Praescribitur hoc art., ad normam Decreti S. C. de Religiosis *Sacrosancta Dei Ecclesia* 1 Ian. 1911 n. 2 (1), sub poena invalidae professionis, **praemittendus novitiatui postulatus** apud nos saltem **triennalis.**

Hoc praescriptum respicit solos laicos, non clericos, uti manifestum est ex huius paragraphi inscriptione, et intelligendus est novitiatus laicatus stricte dicti, qui scil. est pro receptione ad primum Ordinem: in recipiendis tertiariis seu oblatis postulatus non est praescriptus (2). — Postulatus triennium requiritur mathematice completum, ita ut, si vel unicum tantum momentum ex illo desit, professio secuta invalida sit dicenda. — Postulatus peragi potest sive in veste saeculari sive etiam ut tertiarius seu oblatus, dummodo in posteriore casu serventur omnia quae hac paragrapho statuuntur. — Incipit postulatus a die immediate sequente adventum in conventum, si peragatur in veste saeculari, aut a momento legitime assumpti tertiariorum seu oblatorum habitus, si peragatur ut tertiarius seu oblatus. Incepti postulatus dies vel momentum accurate notetur in libro ad hoc destinato, asservando in archivo respectivi conventus.

(1) *Monumenta* pag. 94.
(2) Cfr. *Const. genles* art. 115.

Tandem notandum, ex praefato Decreto *Sacrosancta* n. 3 (1), novitiatum laicatus stricte dicti ante vigesimum primum aetatis annum incoeptum legitime initium habere non posse; quae tamen aetas, iuxta Wernz (2), requiritur de liceitate tantum, non de valore.

27. Hoc postulatus tempus valide quidem in quolibet conventu peragi potest, dummodo ibi vita communis et religiosa disciplina iuxta praesentes Constitutiones serventur; attamen procurandum est ut postulantes, saltem primo post ingressum anno, in conventu novitiatus commorentur, in loco tamen a novitiis separato; neque hoc primo anno foras mittantur, nisi urgente causa.

Statuitur hoc art. **postulatus peragendi locus,** qui, quantum fieri potest, sit conventus novitiatus, saltem primo post ingressum anno, ut ita efficacius requisitae postulantium educationi sit provisum.

28. Ut postulantes statim ab initio spiritu religioso et seraphico imbuantur, a Ministro provinciali pro unoquoque conventu ubi illi morantur aliquis ex Patribus designetur, quem et aetas probaverit et vita, qui eorumdem congruenti instructioni et educationi omnem diligentiam impendat.

Praescribitur hoc. art. **instituendus postulantium magister,** qui eorumdem congruenti instructioni et educationi omnem diligentiam impendat.

29. Praefatus magister saltem ter in hebdomada specialem instructionem habeat, in qua ipsis explicet universam doctrinam christianam, praeser-

---

(1) *Monumenta* p. 94.
(2) Tom. III n. 642, II.

tim quoad Sacramenta Confessionis et Communionis rite et fructuose percipienda, modum eorum indoli adaptatum mentali et vocali oratione vacandi, principia vitae religiosae, caeremonias quoque et consuetudines Ordinis ad eos pertinentes, necnon urbanitatis et modestiae religiosae regulas ab ipsis servandas in conversatione, in ipsa corporali refectione sumenda et in corporis habitusque munditie.

30. Quoad necesse videbitur, etiam circa usum linguae patriae, scribendi facultatem, legendi rectam normam postulantes rudiores debite instruantur.

Assignantur hisce art. **summa capita instructionis postulantibus dandae,** quae ut diligenti cura fiat ipsa rerum, de quibus agitur indoles expostulat.

31. Quolibet semestri Guardianus cum magistro exactam relationem mittat Ministro provinciali de uniuscuiusque postulantis vita et moribus ac in proprio munere habilitate.

Praescribitur hoc art. **iterata de postulantibus relatio** a Guardiano et magistro communi consilio exaranda et ad Ministrum provincialem transmittenda; quae relatio talis sit, ut exinde Minister provincialis iudicare possit de uniuscuiusque postulantis religiosa vivendi ratione ac habilitate ad labores manuales statui nostro congruentes.

§ IV.

De modo recipiendi postulantes ad Ordinem.

Praenotandum. **Potestas recipiendi novitios ad Ordinem,** vi verborum Regulae, competit solis Ministris

provincialibus; dicitur enim in Regula (1): « Quibus [id est Ministris provincialibus] solummodo et non aliis recipiendi Fratres licentia concedatur »; quibus tamen verbis nullimode excluditur Minister generalis, quippe qui eminenter totam potestatem Provincialium velut in digniore et nobiliore continet; porro novitios recipere potest Minister generalis pro toto Ordine, Minister provincialis pro sua provincia tantum (2). — Sunt qui praefatum Regulae textum explicent in eum sensum, ut Regula recipiendi novitios potestatem Ministris provincialibus proprie non concedat, sed concedendam, a Ministro scil. generali, determinet; quae explicatio confirmari videtur auctoritate Gregorii IX (3) non permittentis Ministrorum provincialium Vicariis « recipere venientes, vel reiicere iam receptos, quia hoc neque Ministris ipsis permittitur, nisi eis specialis super hoc licentia concedatur, quibus etiam generalis Minister sicut concedere,sic negare potest licentiam praedictam ». Ast praefatam explicationem cum S. Bonaventura et Quatuor Magistris communiter expositores reiiciunt, et quidem iure merito; imprimis enim praedictus Regulae textus in sensu obvio, saltem aeque probabiliter, intelligitur de licentia concessa: accedit intellectus ac praxis iam ab initio in Ordine vigens, quae cum Quatuor Magistris (4) testatur Hugo de Digna: « Hoc ergo, inquit, a peritis traditum reperi: quod nihilominus ab antiquis, qui tempore primitivo Ordinis Ministri provinciales extiterant, diligentius investigans, accepi, quod ante expositionem apostolicam provinciales Ministri ex suo recipiebant officio sine commissione alia speciali, et receptionem aliquando Fratribus committebant ».

---

(1) Cap. 2.

(2) Cfr. Kazenberger, in cap 2 Regulae quaest. 1 resp. 2°; Gabriel-Angelo da Vicenza, ibid. § 2.

(3) Const. *Quo elongati*.

(4) In cap. 2 Regulae.

Quidquid autem est de hac controversia, certum est apud omnes, saltem ex concessione apostolica, Ministros provinciales novitios recipiendi gaudere potestate, at supremac Ministri generalis potestati iuridice subordinata; sic enim habet Nicolaus III (1): « Concedimus et praesenti statuto firmamus, licere non solum generali, sed etiam provincialibus Ministris, personas fugientes a saeculo in Fratres recipere, quae Ministrorum provincialium licentia per ipsum Generalem, sicut expedire viderit, possit arctari ». — Eamdem facultatem habent, ex aequalitate substitutae potestatis, Vicarius generalis in toto Ordine, et Vicarii provinciales in suis provinciis (2); nec obstat Nicolai III Declaratio (3), quae sic sonat: « Vicarii vero Ministrorum provincialium ex officio vicariae licentiam hanc sibi noverint interdictam, nisi per Ministros eosdem, quibus hoc posse committere Vicariis et aliis licere decernimus, hoc ipsis Vicariis specialiter committatur » ; Vicarii enim ibi intelliguntur, qui hodiedum vocantur Delegati provinciales (Const. genles art. 550), qui scilicet substituuntur, quando Provinciales vadunt ad Capitulum generale, vel aliqua ex causa exeunt e provincia iterum reversuri; non autem intelliguntur Vicarii, qui vacante Provincialatu, sive per mortem sive per resignationem Provincialis, auctoritatem Ministrorum provincialium in omnibus habent, excepto solo nomine Ministri provincialis (4). — Recipiendi potestatem habent etiam Commissarii provinciales independentes (Const. genles art. 557 et 559), non autem Commissarii provinciales constituti pro aliquo commissariatu vel missione a provincia dependente (Const. genles art. 561).

Haec Ministrorum Vicariorumque potestas, in utroque supradicto explicandi modo, est iuridice ordinaria, quum sit commissio perpetua et ipsis competens iam ratione suorum officiorum, et non temporalis, concessa

(1) In sua Regulae Declaratione, art. 18.
(2) Kerckhove, cap. 1 § 2 n. 1.
(3) Loc. cit.
(4) Kerckhove, loc. cit. n. 3.

ad certum aliquod et determinatum tempus (1); unde per se, nisi aliter statutum fuerit, hanc suam potestatem aliis committere seu delegare possunt (2). « Caveant tamen non Provinciales — verba sunt Nicolai III (3) — quod hoc ipsi indiscrete, non passim, sed sic considerate committant, sicque illos, quibus hoc committi contigerit, fidelibus consiliis fulciant, quod omnia discrete procedant » ; ad quod animadvertendum, ex sententia Marchant (4) peccare mortaliter Ministros provinciales, non solum qui post arctatam hac in re eorumdem potestatem illam iterum committere praesumunt, sed et illos (ubi eorum potestas non est arctata) qui indiscrete et passim committunt, cum res sit gravissimi periculi, ut in nonnullis mundi partibus experientia docuit. — Haec de Ministrorum potestate recipiendi novitios considerato Ordinis iure speciali; quae autem statuit ius pontificium explicantur in sequenti commentario ad art. 32-35.

Statutus hac paragrapho **modus recipiendi respicit** non solos postulantes stricte dictos, sed omnes omnino ad Ordinem candidatos, sive aspirent ad clericatum sive ad laicatum, etiam tertiarios seu oblatos, exceptis iis quae eorumdem statui non conveniunt.

32. Ante receptionem ad habitum Ordinis nostri, etiam inter tertiarios seu oblatos, exquirendae omnino sunt litterae testimoniales Ordinarii, tum originis, tum etiam cuiusvis loci in quo postulans, post expletum decimum quintum aetatis suae annum, ultra annum commoratus fuerit. Pro tempore vero transacto in collegio seraphico sufficit testimonium iuratum ipsius collegii rectoris. Lit-

(1) Cfr. Miranda, tom. I quaest. 15 art. 1 *Quarta conclusio, Secundo est advertendum.*

(2) Cfr. supra cit. Nicolai III Declaratio.

(3) Loc. cit.

(4) In cap. 2 Regulae tit. 1 quaest. 2 in fine.

terae testimoniales pro aspirantibus ad laicatum ante admissionem ad postulatum exquirendae sunt.

33. Si agatur de candidatis qui in aliquo seminario vel collegio aut in aliqua Religione vixerint, requiritur insuper testimonium clausum et iuratum rectoris seminarii vel collegii, aut Superioris maioris respectivae Religionis.

34. Pro postulantibus in sacris constitutis, praeter testimonium ultimae ordinationis authenticum, requiruntur et sufficiunt litterae testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesibus ultra annum post ordinationem vixerint.

Exhibetur his art., ex S. Congr. super Statu Regularium Decreto *Romani Pontifices* d. d. 25 Ianuarii 1848:

1. **Lex communis de exquirendis ante receptionem Ordinariorum litteris testimonialibus**; quae praescriptae videntur ob grave deceptionis periculum, in quo ut plurimum versantur Superiores in instituenda de postulantibus inquisitione. — In huiusmodi litteris referre debent Ordinarii « de postulantis natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxius (1) » — Sufficiunt autem testimoniales datae ab Ordinariis per litteras privatas et secretas (2); immo et tales, in quibus Ordinarii non testantur in specie de iis omnibus, quae in supradicto Decreto *Romani Pontifices* praescribuntur, sed dumtaxat in genere referunt de qualitatibus postulantis, quo in casu tamen a Superioribus regularibus servari debent alia de iure servanda ad singulas qualitates postulantium cognoscendas (3).

(1) Decr. cit. *Romani Pontifices;* cfr. *Monumenta* pag. 70 n. 2.
(2) Declaratio d. d. 1 Maii 1851 ad 1 et 4; cfr. *Monum.* p. 71.
(3) Declaratio cit. ad 2; cfr. *Monumenta* p. 71.

2. Petendae sunt ex regula generali testimoniales ab Ordinariis tum originis, tum loci vel locorum, in quo vel in quibus postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit (1); pro tempore transacto in collegio seraphico sufficit testimonium iuratum ipsius collegii rectoris; notandum etiam pro Hispania in receptione postulantis militis testimoniales petendas esse tam ab Ordinario originis quam a Patriarcha Indiarum, qui per suos capellanos iurisdictionem exercet in universo exercitu (2); quod similiter observandum non immerito videtur in iis regionibus, in quibus adest Episcopus pro exercitu.

Regulae speciales statutae habentur quae sequuntur: *a)* Pro candidatis qui in aliquo seminario vel collegio (saltem ecclesiastico) aut in aliqua Religione sive ut postulantes sive ut novitii sive ut professi, vixerint, praeter litteras testimoniales ad normam supradictae regulae generalis, obtinendum est testimonium clausum et iuratum rectoris seminarii vel collegii, aut Superioris maioris respectivae Religionis. *b)* Si agatur de postulantibus in ss. ordinibus constitutis, una cum authentico testimonio ultimae ordinationis requiruntur et sufficiunt testimoniales Ordinariorum dioecesum, in quibus ultra annum post ordinationem commorati fuerint (3). *c)* Quoad professos, qui in Congregatione vel Ordine actu permanent, dummodo ab Apostolica Sede facultatem ad alium Ordinem transeundi obtinuerint, testimoniales litterae petendae sunt a Superioribus, nempe vel a Provincialibus Ordinis a quo, vel quatenus agatur de Congregatione et Ordine, in quo Provinciales non habeantur, loco Provincialium a Superioribus localibus; et si professus in diversis domibus vel conventibus commoratus fuerit, sufficiunt testimoniales Superioris generalis vel provincialis, vel Superioris domus

(1) Decr. cit. *Romani Pontifices* coll. cum Declaratione d. d. 29 Maii 1857 ad 1; cfr. *Monumenta* p. 70 n. 1. et p. 73 C n. 1.

(2) Declaratio d. d. 5 Novembris 1852 ad 3; cfr. *Monum.* p. 73.

(3) Declaratio d. d. 29 Maii 1857 ad 1; cfr. *Monum.* p. 73.

(quatenus Provincialis non habeatur), in qua postremo tempore moratur (1).

3. Quodsi Ordinarius rescribat, **se dare non posse praescriptas informationes** eo quod postulantem non cognoscit, vel se ab expediendis testimonialibus alia de causa prohiberi, postulans ad habitum et novitiatum admitti poterit, dummodo tamen testimonialium defectus per aliam accuratam informationem et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de iure servanda, ac insuper, casu quo testimoniales non dantur eo quod Ordinario est ignotus postulans, hic, antequam admittatur ad habitum, saltem per tres menses maneat in conventu, ibique diligenter probetur (2). — Si vero Ordinarii, praescripto n. 2 cit. Decreti *Romani Pontifices* non obtemperantes quavis de causa litteras testimoniales dare recusent, recurrendum erit ad S. Congregationem super Statu Regularium (nunc ad S. C. de Religiosis) (3).

4. Si quis Superior regularis vel etiam alii Religiosi, qui de iure ad receptionem concurrere debent, contra iuris praescriptum de obtinendis litteris testimonialibus, **absque iisdem aliquem ad habitum religiosum receperint**, poenam privationis omnium officiorum vocisque activae et passivae, ac inhabilitatis ad illa, Apostolicae Sedi reservatam, eo ipso incurrunt (4). — Ipsa vero habitus susceptio in casu est illicita, non tamen invalida; omissae autem testimoniales quamprimum sunt obtinendae, alias novitii ad professionem licite admitti minime poterunt (5); si nihilominus admittantur, professio non est invalida, sed illicita (6).

---

(1) Declaratio d. d. 5 Novembris 1852 ad 1 et 2, et Declaratio d. d. 29 Maii 1857 ad 3; cfr. *Monum.* p. 73 et 74.

(2) Declaratio d. d. 1 Maii 1851 ad 3, 4 et 5; cfr. *Monum.* p. 71 et 72.

(3) Declaratio d. d. 1. Maii 1851 ad 6; cfr. *Monum.* p. 72.

(4) Decretum cit. *Romani Pontifices;* cfr. *Monum.* p. 70.

(5) Declaratio d. d. 1 Maii 1851 ad 8; cfr. *Monum.* p. 72.

(6) Declaratio d. d. 1 Maii 1851 ad 9; cfr. *Monum.* p. 72.

35. Praedictas litteras testimoniales et alia documenta secundum regiones necessaria Minister provincialis cum duobus Definitoribus, iisque deficientibus cum duobus Patribus ad hoc a Definitorio designatis, exclusis postulanti consanguineis in secundo vel affinibus in primo gradu, diligenter inspiciat, et quatenus illi faveant, examini ipse subiiciatur, ac si idoneus fuerit inventus, a Ministro provinciali ad Ordinem recipi poterit.

Inculcatur hoc art. **lex communis de adhibendis in receptione examinatoribus.**

Sixtus V Const. *Cum de omnibus* statuerat, ut novitiorum receptio non fieret, nisi in Capitulis generalibus vel provincialibus; dein vero Const. *Ad Romanum spectat*, praedictae declarativa, permisit, ut Ministri provinciales etiam cum consilio trium Patrum ex antiquioribus novitios recipere possint, quem recipiendi modum necessarium fecerat idem Pontifex non tantum ad liceitatem, sed etiam ad validitatem admissionis et secutae professionis. Clemens vero VIII Const. *In suprema* Sixtinam illam dispositionem ita moderavit, ut eius observatio necessaria foret ad liceitat[illegible]on ad validitatem. Praedicta Sixti V dispositio, sic a Clemente VIII moderata, constituit adhuc ius commune, ita ut adhuc vigeat obligatio formam a Sixto V praescriptam servandi, vigeant etiam poenae ab ipso in contravenientes latae, quin tamen ex eius violatione sequatur novitiatus et professionis nullitas. In Ordine nostro servanda est praefata Constitutio cum hac modificatione, ex huius art. statuto, ut cum Provinciali sufficiant duo alii examinatores: servanda autem est tam intra quam extra Italiam et insulas adiacentes, nam praescripta ab Apostolica Sede pro Italia et insulis adiacentibus per Decretum *Regulari disciplinae* specialis novitios recipiendi forma pro Ordine nostro est

abrogata (1). — Porro ad licitam novitii receptionem sufficit et (ut videtur) etiam requiritur, ut saltem alter ex examinatoribus cum Provinciali consentiat; hinc peccaret (et quidem, ut videtur, graviter, siquidem agitur de re magni momenti) Provincialis, non solum qui absque examinatorum consilio novitios reciperet, sed etiam qui reciperet contra utriusque examinatoris sententiam. Provincialis tamen non tenetur absolute sequi examinatorum licet unanimem sententiam candidato favorabilem, sed potest ex suo solius rationabili iudicio novitium repellere.

Examinatores cum Provinciali *a)* serio perpendant Ordinariorum litteras testimoniales et alia documenta secundum regiones necessaria, quae si candidato faveant, *b)* documentis perpensis, non antea, candidatum diligenter examinent de qualitatibus recipiendorum aliisque requisitis iuxta explicata paragraphis praecedentibus I-III ac dein *c)* suam de candidati idoneitate sententiam ferant. — Meminerint examinatores, se eadem obligatione qua Ministrum provincialem teneri, ut caveant ne indigni ac inidonei ad Ordinem admittantur, ac insuper cooperantes se ad receptionem contra iuris praescripta subiacere poenis a iure latis (2).

Ad haec notandum, ex S. C. Episc. et Regul. Decreto 14 Iun. 1904, munere examinatoris in casu fungi posse etiam magistrum novitiorum pro receptione ad habitum, non vero pro admissione ad professionem, nisi agatur de novitiis quorum curam non habet.

36. Receptus habitu non induatur, nisi prius summatim instructus sit de praeceptis Regulae in conscientia obligantibus, et nisi facta sit ipsi protestatio, quod si morbo caduco aut contagioso,

---

(1) Cfr. Decretum approbans novam Constitutionum generalium editionem una cum epistola Rmi Secretarii S. C. de Religiosis apud *Acta Ordinis* An. XXXII (1913) pag. 149.

(2) Cfr. Const. *Cum de omnibus* Sixti V, ac Decret., *Romani Pontifices* Pii IX.

sive alia gravi et habituali infirmitate laboraverit, et hoc celaverit, eius receptio ideoque et professio nulla habebitur. Quae protestatio, a Superiore et duobus testibus ac ipso admittendo subscripta, in archivo asservetur.

37. Pariter a quolibet candidato, ante vestitionem, exigatur authentica declaratio in scriptis, qua attestetur se libera voluntate Ordinem ingredi intendere atque ad omnia servitia, iuxta dispositionem Superiorum, gratuito praestanda paratum esse, ita ut nullam retributionem temporalem ab Ordine exigere valeat, si quandocumque Ordinem relinquat vel ab eo dimittatur. Haec declaratio ad Ministrum provincialem transmittenda est et in archivo asservanda.

38. Ante habitus susceptionem candidatus exercitia spiritualia peragat, et faciat confessionem generalem, nisi confessario ab ipso electo aliter visum fuerit.

Statuuntur hisce art. **praemittenda habitus susceptioni** pro novitiatu stricte dicto seu primi Ordinis inchoando. Sunt autem:

a) Instructio summaria de status assumendi obligationibus, ad normam Clementis VIII Const. *Cum ad regularem*, in qua sic legitur: « Provideant quoque ut omnes, etiam conversi recipiendi, priusquam ad habitum regularem admittantur, ab iis, quibus munus hoc incumbit, de Regula, quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statuque regulari, et aliis cuiusque Ordinis peculiaribus institutis et constitutionibus diligenter instruantur (1) ». Cuius instructionis praecipuum intentum hoc est, ut vitam regularem maiore cum deliberatione

(1) Cfr. *Monumenta* pag. 76, 4.

amplectantur candidati, ad quod obtinendum instructio summaria sufficere merito videtur. Prae ceteris tamen, ex huius articuli praescripto, summatim instruantur candidati de praeceptis Regulae in conscientia obligantibus, maxime de iis Regulae obligationibus, quae ad cuiusque vitam, ut ita dicam, individualem dirigendam tendunt, quo plenius nempe iam ab initio vitae suae regularis cognoscant, ad quid venerint et quem vitae statum arripere intendant.

b) Protestatio specialis candidato facienda, intelligenda est de morbo vel infirmitate, quae ex art. 14 6° admissionis impedimentum statuitur; facienda autem est ante vestitionis solemnitatem a Superiore seu Guardiano conventus novitiatus coram duobus testibus dicti conventus discretis, et quidem iis verbis, ut protestationis sensus ac effectus bene percipiatur; prudens tamen sit Superior in hac protestatione facienda, ut eam ultra sensum in hoc art. intentum non extendat. Quae quidem protestatio a dicto Superiore et duobus testibus ac ipso admittendo subscripta in archivo asservanda praescribitur, ut eadem facta, quando opus fuerit, in foro externo rite ac efficaciter probari possit.

Si, non obstante praefata protestatione, quempiam morbum vel infirmitatem celasse constiterit, post emissam professionem etiam solemnem, poterit ipse expelli ratione professionis invalidae defectu consensus ex parte Ordinis, modo quod subticuit vel negavit, sit de re notabili; nam ad valorem professionis requiritur consensus tam ex parte admittentis quam ex parte profitentis, adeoque quum in hoc casu admittentes tantum consenserint sub conditione, ut talis defectus in profitente non esset, conditione non existente nihil operatur consensus. Notandum vero dictum: modo.... sit de re notabili: nam ipsa ratio dictat ad casum celati levis alicuius defectus vel morbi, v. g. levis herniae, minoris perspicaciae visus etc., factam protestationem non extendi, et exinde professio in tali casu non censetur invalida (1).

(1) Kerckhove, cap. 1 § 1 nn. 93 et 94.

Tandem animadvertendum, expulsionem seu dimissionem in casu fieri debere modo et forma a iure praescriptis, prout dicetur in comment. ad art. 97, *Scholion* sub 3.

c) Authentica declaratio a candidato etiam clerico in scriptis facienda de plena sua in ingrediendo Ordinem libertate ac de servitiis, iuxta dispositionem Superiorum, gratuito praestandis et de non exigenda ulla retributione temporali in casu egressus sive liberi sive coacti, ut scil. praecaveantur difficultates et provinciae damnum.

d) Exercitia spiritualia, ac confessio generalis (si ita confessario visum fuerit), ut nempe Ordinem ingressuri, per continuatam aliquot subsequentibus diebus rerum divinarum meditationem renovati spiritu mentis suae, ac per generalem totius vitae anteactae culparum confessionem expurgato vetere corruptionis fermento cum habitu religioso induant novum hominem, qui secundum Deum creatus est, Deoque serviant in novitate vitae vere religiosae.

Nota. A Summo Pontifice Paulo V in Const. *Romanus Pontifex* 23 Maii 1606 concessa est candidatis cuiusvis Ordinis regularis utriusque sexus indulgentia plenaria lucranda die prima eorum ingressus in Religionem, necnon die professionis dummodo vere poenitentes et confessi SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint, de qua notandum (1):

a) Dies primus ingressus intelligendus non est dies, quo ante habitus susceptionem (ut moris est) ad convivendum sub habitu saeculari in claustra admittuntur, sed dies, quo habitum Religionis de manu legitimi Superioris causa profitendi recipiunt et induunt.

b) Novitius, qui habitu regulari rite suscepto et dein Religione relicta denuo in eumdem vel alium Ordinem recipiatur, iterum praefatam indulgentiam lucrari potest.

---

(1) Ex *Collect. Indulg.* auctore Petro Mocchegiani a Monsano, Ordinis nostri Ex-Def. gli et S. Congr. Indulg. Consultore nn. 1278-1281.

c) Num vero novitius, qui, nondum expleto novitiatus anno, in proximo mortis periculo constitutus professionem regularem emittit, dictam indulgentiam lucrari possit, lis est inter auctores. Ast ad praxim spectare non videtur hoc dubium; nam ex una parte lucrari potest novitius, si decedat, indulgentiam in articulo mortis in praefata Pauli V Const. Regularibus concessam; ex altera vero indulgentia, de qua lis movetur, si revera a novitio in mortis periculo professionem emittente lucrifieri possit, operari videtur eodem modo, quo indulgentia in articulo mortis; plures autem indulgentiae eodem tempore lucrifieri nequeunt.

39. Candidatus a Ministro provinciali, vel ab alio sacerdote per ipsum in scriptis delegato Ordinis habitu induatur, iuxta normam in Rituali Ordinis praescriptam.

Designatur hoc art.

1. **Vestitionis minister competens,** qui est Minister provincialis (1), non excluso tamen Ministro generali idque potestate ordinaria, ita ut alium ad hoc delegare possit, quae delegatio, ex huius articuli praescripto, in scriptis fiat, ut scil. de eadem legitime facta in foro externo constet; delegatio autem etiam oretenus facta valida censenda est. — Convenit omnino ut, quando Minister provincialis ipse vestitionem peragere non solet, vel in casu particulari non peragit, regulariter (nisi peculiaris ratio aliter suadeat) delegetur conventus novitiatus Guardianus. — Delegatus vero absque speciali Ministrorum concessione, suam potestatem alteri subdelegare non valet. — Investitio peracta a non legitime delegato est invalida, ita ut novitiatus annus inde inceptus legitimus dicendus non sit (2).

2. **Vestitionis ritus** servandus praescribitur qui habetur in Rituali Ordinis. Hinc quicumque alius vestitionis ritus, forsan alicubi usitatus, est abolendus.

(1) Cfr. dicta ad art. 32 Praenotandum.

(2) Cfr. Kerckhove cap. 1 § 14 n. 4.

40. Quo autem loco, anno, mense, die et hora, a quo item quis Religionis habitum suscepit, mentio fiat in libro ad id destinato, et in archivo conventus asservando, nomine, cognomine, loco et dioecesi nativitatis, aetateque novitii diligenter notatis, ipsius adhibita subscriptione induentis ac duorum Patrum testium. Deque his omnibus testimonium ad Ministrum provincialem transmittatur, ut singula in respectivo provinciae libro inscribantur.

Statuitur hoc art. **facienda vestitionis peractae inscriptio** non solum in libro ad hoc destinato et in archivo conventus asservando, sed etiam in respectivo libro qui habetur in archivo provinciali; hinc de omnibus in art. notatis testimonium ad Ministrum provincialem est transmittendum. — Quae inscriptio facienda statuitur provida ex ratione, ut scil. publica fide privataque subscriptione ac consignatione non solum de vestitione facta, sed et de factae momento certo constet, quo facilius quaestiones quae exinde dependent, authentica probatione definiantur (1).

41. Nemini liceat quidquam a novitiis vel ab aliis exigere vel recipere intuitu admissionis ad habitum vel professionem. Si vero novitiis aliquid conventui elargiri sponte placuerit et servata sit forma a sacris Canonibus praescripta, admitti possit; sed nonnisi secuta professione solemni de rebus huiusmodi in utilitatem conventus disponere licebit.

1. Cavetur hoc art., **ne quidquam a novitiis vel aliis quibuscumque exigatur vel recipiatur intuitu admissionis ad habitum vel professionis**; hinc prohibetur

(1) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 2 n. 21 coll. cap. 1 § 1 n. 91.

non solum simoniaca (1) rei temporalis pro ipsa ad habitum vel ad professionem admissione exactio vel receptio, sed et receptio rei temporalis sponte oblatae, non quidem tamquam admissionis pretium, sed ut facilius admittatur vel aliis praeferatur; imo apud nos nec etiam licet quidquam exigere vel recipere titulo sustentationis, licet pro solo novitiatus tempore; ex communibus enim eleemosynis novitii sunt alendi; ideo S. C. Episc. et Regul. die 30 Martii 1838 reprobavit cuiusdam provinciae consuetudinem recipiendi a novitiis aliquam pensionem ratione victus (2). — Non tamen videtur improbandus mos, ut ingressuris permittatur, vel etiam suadeatur, ut, si commode possint ac velint, secum asportent libros quosdam vel pauca utensilia, usui quotidiano necessaria vel utilia.

2. **Permittitur acceptatio donationis** ante vel post habitus susceptionem **libera voluntate a candidato factae, modo fiat ad normam legis a Conc. Trident.** (Sess. 25 *De Regularibus* cap. 16) **latae,** cuius legis textus hic est, ut « nulla quoque renuntiatio aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento vel in favorem cuiuscumque causae piae, valeat nisi cum licentia Episcopi sive eius vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem [quae nunc intelligitur solemnis], ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione; aliter vero facta, etiamsi cum huius favoris expressa renuntiatione etiam iurata, sit invalida et nullius effectus ». Qua lege considerata una cum interpretatione DD. haec statui posse videntur:

a) Lege Tridentina non comprehenduntur, ideoque valide et licite admitti possunt donationes omnes, quae ante ingressum et absque eiusdem intuitu, seu sine animo ingrediendi fiant, etiam si postea ingressus contingat; at in foro externo praesumitur intuitu ingressus facta donatio, quae paulo ante ingressum fiat (3). — Verum

(1) Cfr. Reiffenstuel Decret. lib. V tit. 3 n. 162.
(2) Cfr. Bizzarri *Collectan.* p. 85. sqq.
(3) Cfr. Reiffenstuel lib. III tit. 31 nn. 138 et 139.

ex plurium sententia contra alios comprehensae videntur et, saltem probabilius, admitti non possunt, (nisi fiant ad normam cit. legis Trident.) notabiles donationes, quae fiunt quidem ante ingressum sed eiusdem intuitu (1).

b) Item lege Tridentina non comprehenduntur, proinde valide et licite admitti possunt, etiam post incoeptum novitiatum, donationes, quae habita ratione bonorum novitii, vere modicae dici possunt: item dispositiones testamentariae aliaeve mortis causa, etiam de re notabili; ex iisdem enim novitii libertas Religionem deserendi laedi non praesumitur (2).

c) Lege Tridentina comprehenduntur, hinc nec valide nec licite admitti possunt notabiles largitiones ex bonis ipsius candidati factae post incoeptum novitiatum usque ad professionem solemnem (3) nisi fiant in forma statuta per legem Tridentinam (4). — Idem resolvendum est de largitionibus factis ex bonis parentum, quorum candidatus est haeres necessarius, imo etiam — ita contra plures DD. in praxi tenendum videtur ob varias S. C. C. Declarationes (5) — ex bonis aliorum consanguineorum (6): excipiendae tamen forsan illae parentum et consanguineorum ex propriis bonis largitiones, quae nullo prorsus habito respectu ad candidatum, ex ipsorum mente fiunt absolute in favorem conventus vel provinciae tamquam eleemosynae eorumdem statui et conditioni congruentes; huiusmodi enim largitiones ad Concilii intentum nullimode pertinere videntur.

---

(1) Cfr. Reiffenstuel loc cit. nn. 141-152 contra Ferraris verb. *Novitiatus* n. 73 sqq.

(2) Cfr. Reiffenstuel loc. cit. nn. 134 et 136.

(3) Cfr. dicenda in comment. ad art. 90 sub 2.

(4) Cfr. ibidem sub 3; Reiffenstuel loc. cit. nn. 130-133 et 135 cum aliis communiter.

(5) Cfr. Ferraris verb. *Novitius* n. 57; Pallottini verb. *Regulares* VII, 42.

(6) Cfr. Piatus tom. I qu. 133; Vermeersch n. 201 d)

Nota. In admittendis largitionibus attendendum ad Regulae cap. 2. praeceptum de non inducendo candidato ad dandum. Cf. comment. ad art. 91.

3. Inculcatur ad normam praedictae legis Tridentinae ut **de rebus donatis nonnisi secuta professione solemni in utilitatem conventus disponatur**; siquidem vi dictae legis huiusmodi res nonnisi emissa professione solemni plene ad usum conventus vel provinciae pertinent, vel saltem abeunti, sive sponte sive coacte, ante professionem solemnem restitui debent. — Verum restringendum hoc videtur ad eas res donatas, quae ex dictis lege Tridentina comprehenduntur (1); ex iisdem autem apud nos ne ratione expensarum vel alimentationis quidem quidquam retineri potest (2).

42. Ut exacte servetur quod S. Sedes de professione religiosa statuit, declaramus, probationis annum ita continuum esse debere, ut si novitius legitime dimissus fuerit, vel illegitime extra conventum, sive cum habitu religioso sive absque illo exierit, non computetur ei tempus quod antea in probatione transegerat, sed denuo probationis annum incipiat.

Praefatum statutum S. Sedis (3) ita habet: «... Nec qui minore tempore quam per annum, post susceptum habitum, in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla... » Hinc **annus novitiatus,** sub poena nullitatis professionis debet esse:

1. **Integer** atque **completus,** et quidem mathematice, i. e. a momento legitime incepti novitiatus (in no-

(1) Cfr. Reiffenstuel lib. III tit. 31. n 121. Non tamen indistincte admittenda esse, quae ibidem dicuntur de donationibus parentum, consanguineorum etc. patet ex dictis sub 2. c).

(2) Cfr. Ferraris verb. *Novitius* n. 69.

(3) Cfr. Conc. Trident Sess. 25 *De Regularibus,* cap. 15.

stro Ordine a legitime suscepto novitiorum habitu) usque ad momentum eiusdem diei anni sequentis iuxta calendarium computandi, proinde et incluso in anno bissextili die addito. Ita argumento deducto ex cit. Trident. textu communis DD. (1), confirmata variis S. C. C. Declarationibus (2), hinc omnino tenenda. Professio igitur vel minima horae parte ante completum novitiatus annum emissa invalida est dicenda; ex quo ad dubia hac in re evitanda usus invaluit, ut professio non fiat nisi die sequente diem anniversarium vestitionis; qui usus licet ex hisce Constitutionibus non sit obligatorius, tamen ubique servandus consulitur.

Nota. Ex S. C. de Religiosis Decreto *Spirituali* 10 Sept. 1912 (3) permittitur in omnibus Institutis religiosis **professio in articulo mortis** sub determinatis tamen conditionibus (cit. Decretum nn. 1-3) et cum determinatis effectibus (cit. Decretum nn. 4 et 5).

2. Annus novitiatus debet esse **continuus** et **non interruptus**, et quidem ex plurium (contra alios) sententia in praxi omnino tenenda (4) usque ad professionem, ita ut si novitius, etiam legitime peracto novitiatus anno, Religionem relinquat et postea redeat, non possit, nisi ex speciali S. Sedis indulto, absque novo integro et continuo probationis anno ad professionem admitti. — Nec dictis obstat privilegium Iulii II Ordini nostro concessum, quo Pontifex permittit, ut iuxta discretionem et determinationem Superiorum possit annus probationis interruptus per egressum e Religione iterum continuari et perfici, si no-

---

(1) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 11. nn. 1-3; Miranda, tom I. qu. 22; Reiffenstuel, lib. III. tit. 31 nn. 94-102; Ferraris, verb. *Annus probationis* nn. 25-28.

(2) Cfr. Piatus, tom I qu. 100; *Acta Ordinis Minorum*. An. V (1886) p. 23; Ferraris, loc. cit. in nota proxime praeced.

(3) Cfr. *Monumenta* pag. 102 sq.

(4) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 11; n. 11; Piatus, tom. I qu. 105; Angelus a SS. Corde Iesu, *Manuale Iuris communis Regularium* tom. I n. 101.

vitius de novo ad Religionem redeat, computando tempus posterius cum priore quo in probatione fuit; nam privilegium hoc a Concilio Trident. revocatum eo ipso quod requirit novitiatus annum integrum, docet communis sententia; insuper ita declarasse S. C. Concilii testantur plures DD. (1).

3. **Interrumpitur** autem annus novitiatus generatim loquendo, quando novitius morali iudicio desinit esse in statu probationis, ad quem statum requiritur ex natura rei voluntaria permanentia sub obedientia particularis Religionis (2) iuncta, ex iure positivo ac praxi, cum commoratione intra claustra domus novitiatus (3). Hinc in specie novitiatus annus interruptus censendus est:

a) Per liberum egressum e Religione i. e. animo non revertendi (qui animus semper praesumitur ex habitus dimissione), item per proprie dictam dimissionem, etiam ad tempus tantum; utroque enim facto interrumpitur seu cessat permanentia sub obedientia regulari (4). Requiritur autem in utroque casu, ut novitius iam extra septa conventus egressus sit, secus enim actus egrediendi vel dimittendi non foret consummatus; ex quo patet non sufficere solam sive egrediendi voluntatem sive dimissionis sententiam, etiam manifestatam, iunctam insuper cum habitus dimissione et vestimenti saecularis assumptione, quamdiu novitius intra septa conventus permaneat (5); sufficit tamen huiusmodi egressus brevissimus, utpote quo actus egrediendi vel dimittendi vere consummatus existit (6).

---

(1) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 11 n. 12; Piatus, tom. I qu. 104.

(2) Cfr. Wernz, tom. III n. 634.

(3) Cfr. dicenda ad art. 43.

(4) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 11. n. 18.

(5) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 11 n. 14.

(6) Cfr. Reiffenstuel, lib. III tit. 31 n. 105; Ferraris, verb. *Annus probationis* n. 19. Anno 1772 S. C. C. Secretarius scribebat: « Communior tamen magisque recepta opinio quod annus probationis interruptus censeatur, quando novitius cum habitu aut sine habitu religioso a novitiatu exierit deliberato animo deserendi Religionem, etsi postea poenituerit, et statim revertatur » (apud Piatum, tom. I p. 103 in nota (1).

b) Per egressum illicitum seu sine licentia e conventu i. e. extra eiusdem septa, etiam retento habitu, siquidem stando extra conventum contra voluntatem Superioris vero sensu rumpitur iugum obedientiae; et licet plures DD. in casu requirunt commorationem extra conventum per aliquantum (1) temporis, tamen omnino tenendum videtur in hoc casu sicuti in casu sub *a)* sufficere, saltem in Ordine nostro, egressum brevissimum ex huius art. statuto, ex quo novitius extra conventum illegitime egrediens, absque ulla distinctione vel determinatione, denuo probationis annum incipere debet: ubi autem ius non distinguit neque nos distinguere debemus, idque eo magis, quod praecise ad removendum hoc in casu omne pro praxi dubium approbante S. Sede hoc statutum latum esse videtur.

c) Quod autem spectat ad commorationem extra conventum cum Superioris licentia, docent DD. fere communiter ex huiusmodi commoratione novitiatus annum non interrumpi (2). Verum haec doctrina limitanda videtur ad commorationem per tempus non notabile (3): commoratio enim extra conventum huiusmodi licet non rumpat iugum obedientiae, tamen si protrahatur ad tempus notabile, puta ad duas vel tres hebdomadas (4), spectatis iure positivo ac praxi de probatione facienda in conventu necnon probationis fine, omnino obstare videtur, quominus probatio in sensu Tri-

---

(1) In quo determinando valde discrepant; cfr. Piatus, tom. I qu. 103, 2°.

(2) Cfr. Reiffenstuel, lib. III tit. 31 n. 107.

(3) Quae Nervegna (*De iure practico Regularium* p. 107) tradit de vera interruptione novitiatus, si novitii a Superioribus comitati [cum licentia Superiorum?] ante civilem auctoritatem sese sistant et per unam noctem extra claustra permaneant, si sensu obvio accipiantur, continent doctrinam ex iure communi nimis rigidam atque erroneam. Ita Wernz, tom. III n. 636 nota (259).

(4) Pro praxi illud tempus notabile determinandum putaverim ad duas vel tres hebdomadas, quia hoc temporis spatium in lege de residentia (qui casus similis videtur) a Theologis habetur notabile.

dentino dicatur continua (1); saltem in casu novitiatus dicendus videtur suspensus, ita scil. ut tempus quod extra conventum stetit novitius (saltem si notabile fuerit), supplere debeat (2). Ast cum communi DD. admitti posse videtur, non interrumpi novitiatus annum, si novitius in conventu etiam per longum tempus infirmetur, nisi diu amentia sit correptus, quo casu interim suspensus censetur probationis annus (3). — Notat vero Angelus a SS. Corde Iesu (4), in praxi quacumque ex causa novitiatum etiam materialiter interrumpi contingat, semper peti sanationem ab Apostolica Sede (5).

4. **Annus novitiatus** legitime peractus **protrahi** a Superioribus regularibus generatim loquendo non potest; obstat enim Decretum Conc. Trident. (6), quod statuit: « Finito tempore novitiatus Superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e monasterio eos eiiciant ». Quod vero Decretum cum moderata latitudine, scil. quando nulla subest rationabilis et iusta prorogandi causa, esse intelligendum DD. communiter docent, et declaravit S. C. Episc. et Regul 12 Ian. 1731, siquidem ad dubium: « Utrum absque dispensatione et periculo nullitatis possit aliquando differri professio tam clericis quam laicis, qui finito anno et die novitiatus attigerunt aetatem pro professione requisitam, si ad prudens iudicium P. Vicarii generalis aut PP. conventualium Capituli conventualis adsint causae graves differendi professionem »? S. C. respondit: Affirmative et amplius (7); ad haec S.

---

(1) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 11 n. 17, praesertim quae ibidem refert ex Peyrinis.

(2) Cfr. Vermeersch n. 189 sub c).

(3) Cfr. Reiffenstuel, lib. III. tit. 31 n. 108.

(4) Tom. I n. 98.

(5) Cfr. S. C. Episc. et Regul. Rescriptum die 15 Ian. 1890 datum ad Rmum P. Ministrum genlem Ordinis nostri in *Acta Ordinis Minorum* anni IX (1890) p. 65.

(6) Sess. 25 cap. 16 *De Regularibus.*

(7) Cfr. Bizzarri, *Collectan.* (Ed. an. 1885) p. 325.

Pius V concessit anno 1569, « quod Superiores possunt prolongare illorum [novitiorum nondum habilium] professionem, dummodo habeant spem probabilem, quod efficiantur habiles intra sex menses (1); et S. C. Episc. et Regul. 12 Ian. 1731 rescripsit posse differri professionem novitiorum, qui bona fide susceperunt habitum ante tempus, donec praescriptam ad profitendum aetatem attigerint. — Haec autem Superiorum facultas protrahendi novitiatus annum communiter restringitur ad breve tempus, quale hac in re censetur (forsan ex cit. S. Pii V concessione) sex mensium spatium, ita ut, ad licite protrahendum novitiatus annum, etiam gravi ex causa, ultra sex menses, speciale S. Sedis indultum obtineri debeat: et sic fuisse decisum a S. Congr. refert Fagnanus in cap. *Ad Apostolicam* 16 *De Regularibus* etc. (lib. III. tit. 31 nn. 9-11) (2). — Si autem quaeratur cuinam ex nostris Superioribus praedicta facultas competat, videtur respondendum eamdem competere solis Ministris, utpote quibus admissio ad Ordinem ex Regula est reservata, quod tamen prohibere non videtur, quominus hic et nunc rationabile extante causa et Superiores locales unum alterumve diem professionem differre possint.

§ V.

De locis novitiatus.

43. Ad novitiorum institutionem studiose rectoque peragendam, et Maiorum nostrorum legibus et apostolicis Decretis pie prudenterque praescriptum est, ut novitii in delectis quibusdam locis et ad hunc finem aptioribus educentur. Nemo

---

(1) Cfr. Rodericus, tom. III qu. 17 art. 10.

(2) Cfr. Ferraris, verb. *Annus probationis* nn. 29-35; Kerckhove, cap. 1 § 11 n. 19.

ergo ad novitiatum nisi in eiusmodi locis legitime designatis valide admitti potest.

Inculcatur hoc art.

1. **Novitiatus constituendus in locis ad hoc legitime designatis**; quod iam inde a primis Ordinis temporibus lege cautum demonstrant Constitutiones generales Narbonenses anni 1260, S. Bonaventura Ministro generali; sic enim habent (1): « ut autem novitii melius valeant informari, volumus, quod in qualibet custodia a Ministro assignetur domus aliqua magis apta, vel duae si una non sufficit, in qua, vel in quibus omnes novitii de custodia collocentur usque ad tempus professionis suae » — Huiusmodi designatio ex praxi Ordinis fit per Capitulum provinciae. Haec est lex in Ordine nostro generalis ubique, etiam extra Italiam, servanda, et quidem ad validitatem, ita ut novitiatus in alio conventu peractus non sufficiat ad professionem valide emittendam.

2. **Pro Italia et insulis adiacentibus** existit certa lex ex Clementis VIII Const. *Regularis disciplinae* 12 Mart. 1596, ut novitiatus sub poena nullitatis professionis peragatur in conventibus a Sede Apostolica designatis; a qua tamen lege idem Pontifex Const. *Sanctissimus* 20 Iun. 1599 plures Ordines, inter quos et Ordinem nostrum, excepit. Quae exceptio etiamnum valde probabiliter sustinetur (saltem theoretice), ex eo quod post Constitutiones tum Urbani VIII *Sacra Congregatio* 21 Sept. 1624, tum Innocentii XII *Debitum pastoralis officii* 4 Aug. 1698 (quae ad abrogatam exceptionem probandam afferuntur) S. C. super Regulari Disciplina in Decreto *Cum S. Congregationi* 20 Oct. 1698 iterum eosdem Ordines excepit: nisi forte dici debeat praefatam S. Congregationem auctoritate pontificia ad servanda Clementis VIII Decreta intra Italiam et insulas adiacentes generaliter,

---

(1) Rubrica I *De Religionis ingressu;* cfr. S. Bonaventurae Opera omnia (ed. novissima tom. VIII p. 450 col. 2).

abrogatis scil. exceptionibus, obligasse per litteras 16 Febr. 1872 (1), quibus ab omnibus Superioribus generalibus Ordinum postulavit inter alia, num de S. Congregationis licentia ad tramites Constitutionum apostolicarum erectae sint domus novitiatus (2). — Quidquid autem est, quum praedicta Clementis VIII lex in Italia et insulis adiacentibus ab Ordine nostro de facto servetur, ab hac praxi vigente non est recedendum.

Nota. Praeterea **advertendum**, habendos esse tamquam in Italia existentes conventus, qui licet extra fines Italiae siti sint, reipsa tamen pertinent ad aliquam provinciam italicam (3).

3. Praefatae legis **extensionem ad omnes Regulares ubique locorum existentes** (quae a nonnullis affirmatur) communis aliorum et certa (ut videtur) sententia negat; etenim non solum nullum argumentum convincens pro extensione producitur; sed potius contrarium demonstrat, cum aliis documentis authenticis, Benedicti XIV Constitutio *Si datam* 27 Mart. 1749, in qua Pontifex agens de variis causis nullitatis professionis regularis et hanc enumerat: « Si nempe aliquis professionem emiserit in coenobio ad novitiorum institutionem minime destinato in iis tamen locis, in quibus fel. mem. Praedecessor Noster Clemens VIII Decreta de Regularibus a se edita vim habere mandavit (4) ». — Patet igitur nullo certo argumento confirmari sententiam, ex qua, extra Italiam et insulas adiacentes, sub poena nullitatis conventus novitiatus designari debeat a Sede Apostolica; nec etiam ad liceitatem, extra Italiam et insulas adiacentes, huiusmodi designatio requiri videtur; etenim Clementis VIII Constitutionem *Nullus omnino*, in qua hoc gene-

(1) In his litteris de Italia et insulis adiacentibus tantum agi dubitari non potest.

(2) Cfr. Kerckhove cap. l. § 6 nn. 1 et 2; Piatus tom. I qu. 114; Vermeersch tom. II *Supplementa et Monumenta* Suppl. IV.

(3) S. C. Episc. et Regul. 19 Sept. 1686.

(4) Cfr. Kerckhove, Piatus et Vermeersch loc. proxime cit.

raliter praescribi putari possit, revera vim omnino saltem universalem habere a pluribus in dubium revocatur, imo et negari posse videtur ex quadam S. C. Concilii Declaratione, quam ex Pignatelli *Consultat. canonic.* tom. I cons. 283 affert Vermeersch (1).

Tandem notandum, ex S. C. C. Declaratione 21 Iul. 1663 ad 2, nihil obstare quominus novitiatus peragatur partim in uno partim in alio conventu, modo uterque ad hoc sit designatus (2).

Nota. Disputant DD., num habitus propriae Religionis deferendus de essentia sit novitiatus (3); verum saltem minus congruere cum Concilio Trid. sententia negans dicenda videtur; expresse enim statuit Trid. (Sess. 25. cap. 15 *De Regularibus*), idque sub poena nullitatis professionis, ne « qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit ad professionem admittatur » ; quibus verbis saltem innui in Religionis habitu peragendum esse novitiatum, nemo est qui dubitet, praecipue cum ab ipsa habitus susceptione novitiatus ipse ac probationis annus sumat initium (4). Insuper refert Ferraris (5), a S. C. Episc. et Regul. expresse declaratum in una *Senogaliensi* 17 Aprilis 1602, et una *Mediolanensi* 25 Octobris eiusdem anni, novitiatum fieri non posse in habitu saeculari.

« Et quantum ad nostram Religionem Fratrum Minorum de substantia est, ut novitius probet regulam in habitu regulari, cum in ea praecipiatur, ut certo habitu novitii induantur (6) ». Quibus omnibus consideratis saltem consultius videtur ut, extra circumstantias omnino speciales ac inconsulta S. Sede, novitiatus absque habitu Ordinis proprio non peragatur.

---

(1) Cfr. Vermeersch et Piatus loc. proxime cit.

(2) Cfr. Pallottini verb. *Professio religiosa* II, 53.

(3) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 3 nn. 4-8.

(4) Cfr. Wernz *De iure decretalium* tom. III n. 634 cum nota (247).

(5) Verb. *Habitus* n. 3.

(6) Rodericus, tom. III quaest. 15 art. 9. Contradicit Kerckhove loc. proxime cit.

44. Sit ibi locus ab eo in quo degunt professi segregatus propria clausura, ceterisque, ad praescriptum Decretorum S. Sedis, qualitatibus instructus, in quo cum novitiis magistri tantum commorentur.

Quae hoc art. statuuntur **de locis novitiatus** recepta sunt ex Clementis VIII Decreto *Cum ad regularem* 19 Martii 1603 (1). — Statuitur autem ut novitiatus constituatur in loco a cetero conventu propria clausura segregato et distincto, in quo non solum die ordinarie commorentur, sed et nocte dormiant cum novitiis magistri; habeat igitur hic locus tot ad dormitandum cellulas separatas, quot erunt numero novitii, vel dormitorium ita capax, ut pro singulis singuli lectuli commode sterni possint, ac insuper cellulam, vel certum et determinatum locum pro magistro eiusque socio. In eo etiam adsit aptus locus ad spirituales collationes seu conferentias faciendas, ac lectiones instructionesque magistri audiendas, et in quem, hiemis tempore, ad calefaciendum se igne communi recipiant, necnon oratorium seu capella ad novitios in spiritualibus, praesertim in caeremoniis et ecclesiasticis functionibus exercendos; hortus quoque ad honestam recreationem bene conclusus, sin minus hortum communem ingrediantur, quo tempore curabit magister, cum loci Superioris auctoritate, ne ad eumdem quisquam alius accedat (2).

45. In conventibus novitiatus omnia ad vitam monasticam spectantia exacte ab omnibus observentur. Propterea Ministros provinciales monemus, ut in dictis conventibus tales dumtaxat Religiosos collocare studeant, qui Regulae praecepta et Constitutiones, ut ieiunia, excalceationem, chori die

---

(1) *Monumenta pag.* 75. — De huius Decreti, item Decreti *Nullus* obligatione in Ordine nostro cfr. Rescriptum S. C. de Religiosis 24 Ian. 1913. *Monumenta* pag. 181.

(2) Clementis VIII Const. *Cum ad regularem* nn. 6-9.

noctuque frequentationem et similia, absque dispensatione observare possint, et de facto observent.

Statuitur in hoc art. **ut in conventibus novitiatus omnia ad vitam monasticam spectantia exacte ab omnibus observentur,** quae res est maximi momenti; nihil sane fructuosam novitiorum informationem magis iuvabit, quam ut ipsi virtutis ac disciplinae vere regularis exempla continuo ante oculos habeant; siquidem oculis potius quam aure bonis moribus instruuntur praesertim iuvenes. Qua de causa omnes, quas possunt, curas in hoc conferant Ministri provinciales, ut in novitiatus conventibus non collocent nisi Religiosos in Regulae necnon Constitutionum generalium ac Ordinationum provincialium observantia vere exemplares, quique insuper nostrae vitae monasticae austeritates ferre non solum animo velint, sed et viribus, absque habituali dispensatione, possint.

§ VI.

De novitiorum magistris.

46. Magistri, ad minus triginta quinque aetatis annorum et decem professionis, deligantur viri pii et discreti, doctrina, vitaeque anteactae exemplo praestantes, et, quantum fieri potest, cantus ecclesiastici artem callentes.

47. Magistro, si opus fuerit, socius detur triginta annorum, doctrina et moribus, quoad fieri potest, consimilis, qui in his, quae ad novitiatus regimen spectant, eidem magistro immediate subiectus sit.

Describuntur his art. **novitiorum magistri eiusque socii qualitates** (1). Sunt autem:

(1) Cfr. Clementis VIII Const. *Cum ad regularem* n. 13.

1) Maturitas quaedam aetatis et conversationis religiosae, nempe ipse magister habeat aetatis annos saltem triginta quinque et professionis decem, socius vero habeat aetatis annos triginta et sit solemniter professus. Porro determinati anni completi intelligi debent. — De concedenda dispensatione super defectu praedictae aetatis cfr. art. 433.

2) Pietas, discretio nec non doctrinae et vitae anteactae exemplaris praestantia, ut nempe Sanctorum scientiam praeceptis experientiaque edocti ipsi concreditos sibi novitios verbo et exemplo docere possint.

Novitiorum magistri eiusque socii indolem ac qualitates describens Clemens VIII (1): « Sint ambo, inquit, doctrina vitaeque anteactae exemplo praestantes; orationis et mortificationis operibus addicti; prudentia, charitate, affabilitate, zelo Dei cum mansuetudine referti; ab omni animi perturbatione, irae praesertim et indignationis, quae charitatem erga alios impedire consueverunt, alieni; ac demum bonorum operum exemplar praebentes, ut eorum curae subiecti illos non tam metuant, quam revereantur, nec illis unquam detrahere quicquam possint ».

48. Eligantur ambo in provinciali Capitulo; extra tempus Capituli, si casus occurrat, per provincialem Ministrum, Patrum Definitorum consensu, consimiles subrogentur. Magistri autem non removeantur absque gravi causa, Definitorio provinciali probata.

Statuitur hoc art. **magistri eiusque socii instituendi modus,** qui est ut ambo eligantur in provinciali Capitulo *non* autem *a* toto Capitulo, sed a *solo* Definitorio per ballotationem (cfr. art. 423); hoc itaque sensu, iam pridem in Ordine nostro (sicuti et in aliis) consuetu-

(1) Loc. cit.

dine admisso, et cit. art. (approbante S. Sede) confirmato, in praxi intelligendum quod statuit Clemens VIII (1), ut nempe « eligantur tam magister quam socius per provinciale Capitulum ».

Extra tempus capitulare amborum subrogatio pertinet ad provincialem Ministrum, attamen de Patrum Definitorum, i. e. eorum omnium, qui sunt de corpore Definitorii, non tantum consilio, sed et consensu (2), ita ut huiusmodi subrogatio valida non sit, nisi consentiente maiore Definitorii parte (3).

49. Magister eiusque socius perpendant, quod si munere suscepto exacte functi fuerint, Ordinis saluti magna ex parte prospectum erit. Ut itaque plene officii sui partes exequantur, ab omnibus aliis vacent quae novitiorum regimen impedire possint.

Inculcatur hoc art. **magistratus officium omni diligentia implendum** ex officii bene gesti efficacia et fructibus in bonum Ordinis; siquidem sunt novitiorum ingenia, dum ad Religionis doctrinam accedunt, tamquam agri aut fundi ipsarum Religionum, ex quibus suos proventus imposterum percepturae sunt; optimum certe fructum referent, si diligenti cultura excolantur, sin autem, spinas et tribulos germinabunt (4).

50. Habeat magister circa novitiorum institutionem et novitiatus regimen plenam et absolutam potestatem, ita ut nemini, praeter Superiores, in eius officium se ingerere liceat.

51. Magistri poterunt iniungere poenitentias novitiis, sed non publice coram communitate,

---

(1) Decr. *Cum ad regularem* n. 12.
(2) Decr. *Cum ad regularem* n. 12.
(3) Cfr. Reiffenstuel, lib. III tit. 10 n. 2; Sancti, lib. III tit. 10 n. 4.
(4) Kerckhove, cap. 1 § 7 n. 6.

praesente Superiore; manifestabunt tamen defectus eorum publice corrigendos ipsi Superiori.

Agitur hisce art. **de novitiorum magistri potestate.** — Prior art. receptus est ex Clementis VIII Decreto *Cum ad regularem* n. 14.

Notant plures auctores hanc magistri potestatem forum internum dumtaxat respicere; potestas enim fori externi seu iurisdictionis solis competit Praelatis, at novitiorum magistri non sunt Praelati. Alii hanc potestatem ipsi adscribunt etiam in foro externo, non quidem iure proprio, sed ex delegatione Papae; quorum alii praefatam potestatem extendunt usque ad censuras, alii vero ab eadem eximunt potestatem censuras ferendi (1).

Ex verbis autem Clementis VIII magistri potestas extendenda videtur ad plenam novitiorum institutionem et ad totum, etiam externum, novitiatus regimen, ceteroquin ipsa potestas, considerata officii natura, potius directiva quam proprie iurisdictionalis est dicenda: quem intellectum etiam posterior articulus supponere videtur; nam dum novitiorum magistris concedit facultatem iniungendi poenitentias (non proprie dictas poenas), et hoc non publice in refectorio, praesente Superiore, sed privatim tantum, praescribit expressis verbis ut defectus novitiorum a magistris manifestentur ipsi Superiori publice corrigendi; ex quo concludendum novitiorum magistros nonnisi consentiente Superiore iniungere posse poenitentias publice in refectorio agendas. Quae omnia sane cum supposita in magistro potestate proprie iurisdictionali parum cohaerent.

52. Prope terminum cuiusque trimestris magister de agendi ratione cuiuslibet novitii relationem exhibeat in scriptis Ministro provinciali.

Praescribitur hoc art. **relatio de novitiis Provinciali in scriptis exhibenda**; cuius praescripti finis hic

(1) Piatus Montanus, tom. I qu. 118, 8°.

esse videtur, ut Minister provincialis, per iteratam relationem indolem conversationemque cuiuslibet novitii edoctus, eiusdem admissionem aut dimissionem perfecta cum cognitione deliberare possit; hinc magister ea praesertim referat, ex quibus novitii non tantum vocationem, sed et futuram utilitatem discernere possit Minister provincialis.

§ VII.

De novitiorum educatione.

53. Novitii sub magistri directione spiritualibus exercitiis et sanctae orationis studio ac diurnis nocturnisque divinis Officiis potissimum incumbere debent.

54. Ad ecclesiasticos ordines non promoveantur, neque, si sacerdotes fuerint, praedicare vel sacramentales confessiones excipere eis permittatur.

55. Omnem porro curam magister adhibeat ut novitii in regulari disciplina sedulo instituantur, agnoscantque divinae vocationis excellentiam et Ordinis nostri seraphici indolem.

56. Quapropter in quotidianis instructionibus edoceantur de vita S. P. N. Francisci aliorumque Sanctorum Ordinis, de natura et obligationibus votorum tum simplicium tum solemnium, de genuino sensu sacrae Regulae nostrae secundum pontificias Declarationes et magis probatos expositores, de divino Officio rite pieque persolvendo, de modo cum fructu confitendi, communicandi, mentaliter orandi, sacris functionibus assistendi ac ministrandi. Seraphici Doctoris S. Bonaventurae et aliorum pro-

batorum scriptorum Ordinis nostri documenta aurea de vita et disciplina regulari, ea maxime quae in libellis *de Profectu Religiosorum* et *Speculo disciplinae* continentur, frequenter eis proponantur.

Hisce art.

1. Proponitur **praecipuum obiectum instructionis novitiis tradendae** ad normam Decreti Clementis VIII *Cum ad regularem* n. 15. Hanc maximam muneris sui obligationem saepius recolant magistri novitiorum, recogitentque, quam strictam Deo reddituri sint rationem, si eorum culpa et negligentia novitii non fuerint in Regulae intelligentia instructi, si in disciplina regulari, in passionum mortificatione, vitiorumque expugnatione, virtutum praxi et perfectionis scientia non fuerint exercitati et exculti (1). Omni proinde die suos novitios convocet magister, Regulam ceterasque vitae regularis obligationes ac officia explicaturus, ac perfectionis religiosae documenta traditurus; novitii vero a magistro tradita diligenter addiscant, ne Sanctorum scientia non satis instructi vocationis divinae gratiam negligant, ac strictas status sui obligationes ex ignorantia, sane culpabili, transgredientes rei coram Deo existant.

Specialiter praescribuntur **novitiis ingerenda auctorum Ordinis documenta aurea,** ut, quem hi ex corde pleno in suis scriptis effusum spiritum Ordinis seraphicum posteris transmiserunt, eumdem et ipsi mente intelligant moribusque exprimant. Ex quibus documentis maxime commendantur libellus *de Profectu Religiosorum* cum ceteris eiusdem auctoris fr. Davidis Augustani, S. Bonaventurae coëtanei, opusculis (2), et *Speculum disciplinae* notissimum, quod saltem iubente et dirigente et fortasse non pauca subministrante S. Bonaventura scripsit fr. Bernardus a Bessa,

---

(1) Bernardus Van Loo, *Stimulus seraphicae conversationis,* p. 215.

(2) Doct. seraph. S. Bonaventurae Opera omnia (ed. novissima), tom. VIII p. LXXVI col. 2, b.

eiusdem seraphici Doctoris comes et socius (1); quorum prius opusculum de formando interiore homine, posterius de componendo homine exteriore disserit: utrumque in Ordine nostro semper magni habitum, et pro educandis novitiis ac iuvenibus usitatum.

2. **Novitiis prohibetur cura animarum,** et **ad ordines quoscumque,** etiam minores nec non ad tonsuram **admissio;** haec enim cum in curas a fine novitiatus alienas incipientium dirigant animos, non possunt non obstare ipsorum profectui spirituali, qui omni cura novitiatus tempore debet intendi, utpote a quo maxime dependet et tota spiritualitas viri religiosi, et ipsius Religionis bonus status et profectus (2).

57. Quum uniformitas exterior, praesertim in divini officii ministeriis, Religionem admodum exornet, novitii sedulo edoceantur pias Ordinis consuetudines ac probatos usus et ritus domesticos urbanitatisque regulas adamussim servare.

1. Ad actionem communem praesertim in sacris functionibus inter nos perfectam conservandam, hoc art. praescribuntur **novitiis sedulo ingerenda speciales caeremoniae in officio chorali sacrisve functionibus,** aliaque pietatis exercitia tum conventualia tum privata, nec non ceteri **usus et ritus in vita domestica** ex antiquo more in Ordine observata. Praeterea

2. novitii sunt edocendi adamussim **servare illas communis urbanitatis regulas, quae virum religiosum decent,** ne in verbo et actione, ad mensam praesertim et in modo interius exteriusque conversandi, rude aliquid et indecorum prae se ferant. Qua in re subditis praesertim iuvenibus sedulo invigilent magistri et Superiores, ne (quod non raro accidit) ex quorumdam modo agendi et conver-

---

(1) Ibid. p. XCVI col. 2, alinea *Licet igitur.*
(2) Kerckhove, cap. 1 § 8 nn. 2 et 4.

sandi inculto ac rudi tota religiosa familia, imo et provincia ac Ordo saecularibus in contemptum veniant.

58. Iuxta S. Sedis praescriptum, novitii clerici singulis diebus, festis tantum exceptis, per unam horam studiis litterarum privatim incumbere debent.

59. Hisce studiis praecerit ipse magister vel eius socius, dummodo respondente scientia polleant; alioquin unus ex lectoribus litterarum humaniorum a Ministro provinciali designatus. Horum erit, ordinarie ter in hebdomada, novitios in unum collectos, scholari modo instruere, aut saltem progressus eorum in studiis exquirere.

60. Speciales materiae in isto studio novitiorum pertractandae ordoque in eis servandus a Definitorio cuiuslibet provinciae, pro regionum diversitate, iuxta normas a S. Sede praescriptas, designentur.

Praescribitur hisce art. **aliqua in novitiatu studiis opera danda** ad normam Decreti S. C. de Religiosis *Ad explorandum* 27 Aug. 1910 (1). Quo Decreto una cum hisce art. considerato haec statuenda:

a) Hoc praescriptum, quantum spectat Ordinem nostrum, extenditur ad solos novitios clericos, licet etiam demonstret laudabilem agendi modum cum laicis destinatis ad labores domesticos, praesertim qui elementari litterarum cognitione carent (Cfr. art. 30).

b) Praescriptum studium complectitur exercitationes litterarias, tum privatas, per unam horam singulis diebus, festis tantum exceptis, tum scholares, non ultra ter in hebdomada per unam horam (praeter aliam quotidie ab iisdem dictis exercitationibus privatim addi-

(1) *Monumenta* pag. 81; cfr. Vermeersch *Periodica* tom. V pag. 195 sqq.

cendam). — Huiusmodi exercitationes scholares, licet veri nominis schola censeri nequeant, non tamen veluti merum mortificationis exercitium habeantur, et apta methodo ita moderentur, ut novitii omni diligentia in easdem incumbant ac verum fructum ex iisdem percipiant, et etiam ipsi magistri de uniuscuiusque tyronis talento ac sedulitate iudicium adipiscantur, ac progressum curent.

Numquam autem dictae exercitationes locum tenere possunt studiorum forsan supplendorum ad normam art. 17.

c) Genus studiorum sit accommodatum ad statum clericalem et sacrum ministerium exercendum, demandato Definitorio provinciali munere designandi speciales materias in eisdem tractandas ordinemque servandum pro regionum diversitate iuxta explicata in cit. Decreto n. 3.

d) Studiis praeerit magister novitiorum vel vicemagister, modo respondente scientia polleant, vel aptius aliquis ex professoribus humaniorum litterarum. — Qui scholae praeest circa finem novitiatus mittat ad Moderatorem provincialem testimonium scriptum de cuiusvis novitii scientia et progressu, considerandum in ferenda de admissione sententia.

61. Per actus humilitatis et poenitentiarum, quas antiqui Ordinis Patres et fecerunt et docuerunt, non tam in culparum poenam, quam ad virtutis exercitium, novitii nonnumquam probentur, et ad propriae voluntatis abnegationem adducantur; cum discreta tamen moderatione in omnibus, maxime mortificationibus exterioribus, ne in primo fervore per indiscretionem debilitati, ad onera Religionis postea reddantur inhabiles.

Commendatur hoc art. in novitiis educandis **humilitatis et poenitentiarum, ac propriae voluntatis abnegandae exercitium,** utpote quod perfectionis religiosae adipiscendae et disciplinae claustralis conservandae singu-

lare efficacissimumque est medium. In quam proinde rem praecipuas curas conferant novitiorum magistri, nostris praesertim temporibus, quorum ratio atque inclinatio propria in elata mentis voluntatisque pervicacia atque contumacia est sita.

Tandem notandum in novitiorum educatione tum a nimio rigore, tum a nimia lenitate esse cavendum. « Errant sane, ita Albertus a Bulsano (1), Superiores et magistri, qui novitios, praesertim ab initio, dure tractant, non nisi torvis oculis eos aspiciunt, vix unquam benignum ipsis auditum praestant, ob errores inculpabiliter commissos graviter eos reprehendunt, ac publicis quoque humiliationibus subiiciunt, priusquam eos solide docuerunt, cur et quomodo humiliationes perferendae sint. Aedificium isti construere tentant sine fundamento, atque ideo vel arundinem quassatam confringent (Matth. XII, 20; Is. XLII, 3), vel non humiles sed hypocritas generabunt, qui falsa simulantes vera Superioribus manifestare non audent. Attendant isti dictum S. Gregorii M.: « Quisquis divina inspiratione compulsus relictis saeculi huius actionibus ad Deum converti festinat, ita cum charitate suscipiendus est, et blandis per omnia consolationibus refovendus, ut in ea, quam elegit, Deo adiuvante, delectetur modis omnibus conversatione persistere ». Nullatenus tamen indulgendum est immodicae lenitati. Si enim novitii iam satis instructi, regularem observantiam violent, vel obedientiae praevaricatores existant, primo quidem paterne admoneantur, sed hac admonitione non proficiente publice arguantur et puniantur. Sine hac disciplina educatio novitiorum in Religione, in qua continuis sui ipsius mortificationibus opus est, desideratos fructus ferre haud valet. Meminerint ideo novitiorum Superiores verborum Spiritus S.: *Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadet praeceps. Lacta filium, et paventem te faciet, lude cum eo, et contristabit te. Non des illi potestatem in*

(1) *Expositio Regulae FF. Min.* § 24 n. 6. (Ed. novissima).

iuventute, et ne despicias cogitatus illius (Eccli. XXX, 8 et seq.).

62. Hac de causa etiam moderatis exercitationibus corporalibus interdum vacent, modestamque animi recreationem interponant, quae in solitario loco extra clausuram potest semel in hebdomada longior institui, magistro tamen vel socio semper praesente.

Hoc art. statuitur, ut novitii interdum **vacent moderatis exercitationibus corporalibus**, ac iisdem opportune concedatur **modesta animi recreatio**, interdum etiam longior et extra clausuram, in solitario tamen loco, ac magistro vel socio semper presente.

63. Circa debitam novitiorum laicorum educationem pariter magister, una cum conventus Superiore, omnem curam gerat, ut ipsi non tantum quoad corporales labores debite probentur et exerceantur, verum etiam, pro eorum capacitate, de spiritualibus diligenter instruantur.

64. Ideoque magister in quotidianis instructionibus eosdem tractatus vitae religiosae et minoriticae qui nn. 55-56 recensiti sunt, laicorum statui et indoli adaptatos, laicis novitiis explanet, studeatque ipsorum animum illis virtutibus et praesidiis praecipue roborare, quae eorum conditio peculiari quadam ratione exposcit, nempe, humilitate, obedientia, spiritu orationis et laboris sanctificatione.

Praescribitur his art., ex Clementis VIII Ordinatione (1), **diligens de novitiorum laicorum religiosa instructione**

(1) Const. *Cum ad regularem* n. 21.

cura habenda. — Imo putat Peyrinis (1) maiore cum studio procurandam esse laicorum quam clericorum bonam institutionem: quippe qui liberius et frequentius tractant cum saecularibus, vacant occupationibus valde distractivis, communiter sunt moribus rudiores, et maioribus subiacent periculis, nisi in perfectione multum sint radicati. Nescio tamen, ait praefatus auctor, quo incantamento ita eorum negligatur cura in Religionibus.

65. Circa novitiorum confessarium tam ordinarium quam extraordinarium fideliter serventur S. Sedis praescriptiones.

Agitur hoc art. **de novitiorum confessario,** circa quem inculcantur fideliter servandae S. Sedis praescriptiones, ex quibus haec statuenda:

a) Ex communi et certa sententia novitii, sicuti professi, a proprii Ordinis Praelatis et a confessariis ab ipsis deputatis, sine ulla alia approbatione, valide absolvuntur, etiam a casibus ab Episcopo reservatis; subiiciuntur autem novitii reservationi Ordinis nisi ex eiusdem praxi aliud certo constet; quod enim Vermeersch (2) affirmat de novitiorum exemptione a reservatis in Ordine, id generatim verum non videtur (3); sane quum Superiores possint reservare casus etiam respectu novitiorum, non apparet ratio cur a facta reservatione generatim exemptos ipsi velint novitios.

b) Iuxta Clementis VIII statutum in Const. *Cum ad regularem* n. 16 (4) novitiorum confessiones audiendi cura committenda est soli magistro, salva tamen in omnibus concessione Pii X, de qua sub *c)* immediate sequente. —

---

(1) Tom. II qu. 1 cap. 5 n. 13 (apud Kerckhove cap. 1 § 10 n. 1).

(2) *De Religiosis* tom. I n. 194, 2 *c*).

(3) Cfr. Wernz tom. III n. 638, II in nota (274).

(4) Quod statutum plures intelligunt hoc sensu, ut novitii non possint eligere confessarium e ceteris pro communitate approbatis; alii vero hunc sensum non admittunt, nisi ex Superioris approbantis intentione novitii exclusi censeri debeant. Cfr. Piatus tom. I qu. 467.

Insuper, ex praxi generali omnino servanda, aliquoties in anno novitiis concedendus est confessarius extraordinarius, ad quem accedere debent, etiamsi eidem confiteri nolint.

c) Ex concessione Pii X, per Decretum S. C. de Religiosis 5 Aug. 1913 (1), novitiis quoque libera facultas est confitendi cuilibet confessario ab Ordinario loci approbato, qui iisdem valide et licite absolutionem a peccatis in Ordine etiam sub censura reservatis impertire potest.

§ VIII.

De novitiatus disciplina externa.

66. Ad novitiatum nemini quovis praetextu aditus pateat, nisi conventus Superiori, si quandoque ingrediendum sibi necessarium existimaverit: quo tamen casu aliquem ex senioribus Patribus conventus comitem sibi semper assumat.

Prohibetur, **ne ad locum novitiatus aditus pateat,** ex quibus ultimis verbis concludendum hic speciatim agi de solo ingressu libero, absque magistrorum interventu, mediante scil. eiusdem loci clavi propria, quae proinde ex huius praescripti mente nemini, licet conventus Officiali, ullo unquam tempore sub quovis praetextu concedatur, nisi soli conventus Superiori (2), idque ad usum exclusive proprium, ita ut ipse Superior, praeter praescriptum sui ingressus socium, nemini alteri per eamdem clavem aditum permittere possit. Cfr. art. seq.

67. Non liceat novitiis professorum nec aliorum novitiorum cellas ingredi, nec professis in cellas suas novitium admittere. Soli magistro liceat ex gravi causa ingressum illuc alicui permittere. Contrafacientes severe corrigantur.

---

(1) A. A. S. vol. V pag. 431.

(2) Clementis VIII Constit. *Cum ad regularem* n. 10.

Hoc art. ex maiorum statuto, iam ab antiquo a sanctis Patribus lato, prohibetur **novitiorum in aliorum**, praeterquam magistrorum et Praelatorum, **cellas ingressus**: quae prohibitio tanti momenti res semper habita fuit, ut contrafacientes gravi omnino poena digni censerentur, imo ex anterioribus Constitutionibus novitius tertio in ea re delinquens, ex Ordine dimitti posset. Patet igitur quanta cura huius statuti observantiae invigilare debeant Superiores (1).

Clavis novitiatus asservari debet apud magistrum, ab ipso singulis vicibus pro occurrente necessitate requirenda. Magistro soli, excluso etiam Superiore locali, ingressum in novitiatum alicui permittere licet, idque tantum ex gravi causa (2).

68. Nulli novitio cum saecularibus quibusvis, nec cum cuiusvis Ordinis Religiosis, nisi necessariam ob causam a magistro probatam, ac nisi eodem magistro vel socio praesente loqui liceat, exceptis tamen aliquoties patre et matre. Qui novitius in hoc deliquerit, et admonitus idipsum commiserit, aut ad saeculum remittendus, aut saltem graviter puniendus est.

Ex praedicta Clementis VIII Const. sub n. 11 **novitio neminem**, praesertim e saecularibus vel alterius Ordinis Religiosis, **nisi magistro vel socio praesente, alloqui licet.** Imo huiusmodi allocutio, etiam magistro praesente, ex huius art. praescripto non est permittenda nisi ob causam accommode necessariam seu valde rationabilem, a magistro probatam; et merito, vix enim credi potest, quantum obsint novitiis saecularium praesertim, quantumvis consanguineorum, colloquia (3). — Rara exceptio fa-

(1) Kerckhove, cap. 1 § 8 n 7.
(2) Clementis VIII Const. *Cum ad regularem* n. 11.
(3) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 8 n. 6.

cienda permittitur pro novitii patre et matre, vel etiam pro iis, qui novitio sunt loco parentum. — Hac in re praesertim post monitionem iterato delinquenti semper gravis poena infligenda, imo et ab Ordine dimissio, attentis transgressionis circumstantiis aggravantibus, decernenda statuitur; quae poenalis sanctio aequo severior videri non poterit, cui perspecta sint gravia mala ex conversatione extranea novitiis impendentia, quae insuper graviter monent Superiores de maxima cura in huius art. observantiam conferenda.

69. Pro necessitatibus quae accidere possunt unus ex novitiis ipsis, aetate moribusque provectior, deputetur, qui, absente socio, omnia prout opus fuerit agat; cui etiam ianuae custodia et rerum levioris momenti provisio intra novitiatum committi poterit.

Inculcatur hoc art. iuxta Clementis VIII statutum (1) **deputandus pro necessitatibus occurrentibus unus ex novitiis,** cuius officium duplex est distinguendum: alterum extraordinarium, quo absentis socii vices gerens iuxta magistri ordinationem omnia prout opus fuerit agit, ordinarium alterum, quo, etiam praesente socio, ex speciali magistri commissione res levioris momenti intra novitiatum providet, ac insuper ianuae custodiam habet, ita tamen ut clavem continuo non servet (cfr. art. 67).

70. Novitiis laicis a clericorum novitiatu separatus ad dormiendum locus assignari debet; qui tamen novitiorum magistro subditi sint.

71. Inhibentur Superiori locali ne eos in conventus officinis uti primarios officiales, sine gravi necessitate et intelligentia magistri occupet.

---

(1) Clementis VIII Const. *Cum ad regularem* n. 20.

Inhibetur hoc art. **ne**, extra casum gravis necessitatis, **novitii laici in conventus officinis constituantur primarii officiales**, et quidem ex provida ratione, ut nempe magister opportuno tempore ab occupationibus eos avocare possit ad spirituales conferentias audiendas; hinc generatim consulendum, ut Superior in novitiis laicis quomodolibet occupandis procedat ex intelligentia magistri.

72. Superiores et subditi novitium quovis praetextu impedire non praesumant, quominus ad aliam Religionem, quam maluerit, transeat vel etiam ad saeculum revertatur, ne coacte professionem emittat.

Cavetur hoc art., ut conformiter ad Conc. Trid. dispositionem (1) plenissima **novitiorum libertas sit salva.** Et licet praefata Tridentina poenalis dispositio est de solis cogentibus aut impedientibus feminas, nec extendi possit ad eos, qui cogunt vel impediunt viros, tamen dubium esse non potest, quin hi rei sint peccati, propter quod Concilium excommunicat eos, qui cogunt vel impediunt feminas. — Notandum vero hunc art. esse intelligendum de inductione vel impeditione iniusta, quae nempe fit mediis illegitimis aut iniuriosis; neque hoc statutum neque aliud quidquam obstat, quominus novitius discedere paratus (qui tamen vocatus putatur) suasione charitativa ad perseverandum inducatur; haec enim non est inductio iniusta, sed actus charitatis (2).

Nulla etiam stricta obligatio, per se loquendo, obstat, quominus novitius absque iusta causa Religionem deserat et ad saeculum redeat; imprimis enim status religiosus a Deo proponitur non per modum praecepti, sed per modum suasionis, cuius sane neglectus ex se pecca-

---

(1) Sess. 25 cap 18 *De Regularibus et monialibus.*

(2) Kerckhove, cap. 1 § 9 nn. 1 et 2; Bucceroni *Theol. mor. Institut.* tom. II n. 260; Reiffenstuel lib. III tit. 31 nn. 109-113.

tum non est, alioqui praeceptum et consilium plane confunditur; neque ullum ex ingressu ius in novitium acquisivisse Religio dici potest, sed liber omnino ipse manet. Dictum est: per se loquendo, nam, praeterquam quod subiectiva egredientis absque iusta causa ratio facillime fundatur in peccaminosa (quamquam generatim venialiter tantum) aliqua affectione ad res terrenas, obstare per accidens potest emissum votum amplectendi statum religiosum, vel etiam periculum cui exponitur salus aeterna novitii egredientis (1).

Nota. Ad **novitiorum obligationes** et **privilegia** quod spectat haec notanda:

a) Ad observantiam Regulae et praeceptorum communium vel statutorum Religionis per se et directe in conscientia non obligantur novitii, non enim apparet ex quonam capite haec eorum obligatio oriatur; ex decentia tamen et honestate illa servare tenentur; imprimis enim « dignum est, ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam (2) »; accedit quod alias facile sequi possit perturbatio et confusio, ad quam evitandam suscipiendo s. habitum tacite se obligasse merito censentur. Insuper sub poena ad praefata tenentur novitii, ita ut eam pro exigentia transgressionis, et arbitrio suo eis imponere possit Superior, quamdiu in Religione manent, et in ea perseverare cogitant (3).

b) Novitii ex regula generali gaudent omnibus privilegiis Religionis; licet enim nondum sint vere Religiosi, tamen ex iure in favorabilibus Religiosi habentur; hinc gaudent privilegio fori et canonis, gaudent iisdem indulgentiis quibus professi (4).

---

(1) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 9 nn. 3-5; Lehmkuhl *Theol. moralis* tom. I n. 510 (Ed. 11 n. 662); Génicot *Theol. mor. Institut.* (Ed 6ª) tom. II n. 77; Bucceroni *Theol. mor. Institut.* tom. II. n. 259.

(2) Cap. *Recolentes* 3 X *De statu monach.* lib. III tit. 35.

(3) Cfr. Reiffenstuel lib. III tit. 31 nn. 124-126.

(4) Cfr. Reiffenstuel lib. III tit. 31 nn. 115-119.

§ IX.

De suffragiis pro novitiis ferendis.

73. Pro unoquoque novitio ad professionem admittendo quarto quoque mense a communitate Fratrum in conventu novitiatus actu de familia exsistentium secreta suffragia exquirenda sunt, quae in Capitulo conventuali, ad hunc finem a Guardiano convocato, per calculos albos et nigros ferri debent.

74. Suffragandi autem ius et obligationem illi tantum Fratres habent, qui solemnem professionem iam emiserunt, duosque saltem menses incolatus in eodem conventu expleverunt, et ultimis duobus mensibus suffragationem immediate praecedentibus a communitate continuo absentes non fuerunt.

Fertur his art. **lex de ferendis suffragiis de novitiis,** qua Ministrorum in admittendis novitiis ad professionem potestas (1) coarctatur, provida quidem ex ratione, ut nempe in re tanti momenti, quae est admissio ad Ordinem absoluta, non ex unius tantum iudicio, sed ex plurium procedatur suffragio.

Quem in finem

1. **Suffragatio instituenda est quarto quoque circiter mense,** quod sane hoc intelligendum sensu, ut ultima suffragatio aliquibus diebus anticipetur; suffragatio autem praescribitur triplex, tum ut novitii triplicatae disquisitionis metu cautius in probatione procedant: tum ut si forte aliquis defectus primis quatuor mensibus latuerit, alio tempore detegatur, et ne infructuosa planta Ordinis

(1) Cfr. Comment. ad art. 32. *Praenotandum.*

campum diutius occupet, neve in terra sanctorum nocivam protrahat mansionem: tum denique ut Religio experiatur, an novitius defectus, quos secum e saeculo contulit, emendare conetur, an vero in iis sordescat etc. (1). Statuuntur ferenda suffragia secreta, tam ad maiorem libertatem suffragantium, quam ad praecavenda varia incommoda, quae ex divulgatione suffragiorum tam pro quam contra novitium nata sunt oriri (2), et quidem per calculos albos, qui suffragium favorabile, et nigros, qui infavorabile indicant.

2. **Iure suffragandi potiuntur** a) omnes Fratres tam laici et clerici quam sacerdotes solemniter professi (etiam in suffragatione ipso solemnis professionis emissae die forsan instituenda, dummodo cetera requisita concurrant), qui b) in conventu novitiatus actu de familia existunt: intelliguntur, qui per competentis Superioris litteras obedientiales vel voluntatem aliter clare expressam de iure pertinentes ad familiam conventus novitiatus, etiam in familia dicti conventus de facto habitant, ita ut sufficientem ad rationabiliter suffragandum cognitionem de conversatione et moribus novitiorum habere queant; hinc qui habitat in domo distincta a conventu novitiatus, aut ob infirmam valetudinem vel ob senium semper vel fere semper extra communitatem vitam degit, iure suffragandi caret: ac c) insuper integros duos menses (3) incolatus in eodem conventu expleverunt, nec ultimis duobus mensibus suffragationem immediate praecedentibus continuo absentes fuerunt, quae temporis determinatio, ut omne fraudis periculum praecaveatur, physice et stricte, non moraliter et late tantum, est intelligenda. Notandum etiam ab hac suffragandi iuris restrictione ne Guardianum quidem excipi; nec admitten-

---

(1) Kerckhove, cap. 1 § 12 n. 11.
(2) Kerckhove, cap. 1 § 12 n. 9.
(3) Mensis intelligitur spatium 30 dierum.

dum, quod docet Kerckhove (1): « Si Provincialis [intellige casum quo in novitiatus conventu sedem fixam non habet] apud nos velit assistere Capitulo conventuali et suffragium ferre ut ceteri conventuales, hoc posse facere... ».

Iuris in suffragando restricti ratio ex eo habetur, quod alias non censetur quis habere perfectam cognitionem de conversatione et moribus novitiorum, et ignorans ad electionem procedit contra naturale principium, nam electio cognitionem supponit (2).

Tandem notandum omnium, qui ex praedictis iure suffragandi potiuntur, suffragium esse exquirendum.

Nota. « Qui iure suffragandi in admissione ad professionem gaudent, gravissimae suae obligationis memores sint, ne per eorum suffragium vel Ordini vel novitio damnum et iniustitia inferatur (3) ». Ex communi sane DD. sententia mortaliter peccant tum qui votum suum digno denegant, tum qui indigno tribuunt; in priore enim casu novitio inferunt grave damnum, in posteriore vero Ordinem in re gravi iniuste onerant (4). Magna ergo cum circumspectione et prudentia in suffragiis ferendis procedatur necesse est. Quod ut fiat, utile visum est regulas quasdam ex probatis auctoribus afferre, secundum quas prudens possit formari iudicium:

« Ut Religiosi, dum vota ferunt, recte discernant, an novitius ad professionem admittendus sit annon — ita Albertus a Bulsano (5) — eiusdem scientiam seu capacitatem, morum probitatem, et corporis sanitatem bene ponderare tenentur.

« Requiritur sane in novitio sive clerico sive laico talis scientia, qua recte cognoscat ea, quae promittere et observare tenetur: hac scientia deficiente ad professionem admitti non potest... Ceterum Fratres haud facile

(1) Cap. 1 § 12 n. 26.
(2) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 12 n. 12.
(3) Encycl. Rmi P. Ministri glis Fr. Aloysii Lauer 25 Martii 1901.
(4) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 12 nn. 2 et 3.
(5) *Expositio Regulae FF. Min.* § 26 nn. 3-5.

scientiam et capacitatem novitii explorare valent ac ideo iudicio Guardiani [vel alterius Patris prudentis] acquiescere possunt. Cavendum vero est, ne novitius ob errores quosdam commissos aut inepte gesta statim ut stupidus habeatur, cum etiam bono ingenio praediti ob rerum novitatem multorumque praesentiam hinc perturbentur. Neque etiam opinandum est, omnes qui Ordini aggregantur tam praestanti ingenio esse debere, ut Superioris, lectoris, aut concionatoris [scil. extraordinarii seu praestantioris] munere fungantur; dantur enim in Ordine etiam inferioris generis officia, ad quae peragenda etiam mediocri ingenio praediti satis idonei esse possunt, et ipsi Patres simplices Missam devote celebrantes, chorum diligenter frequentantes, S. Eucharistiam dispensantes etc. haud parva emolumenta afferunt ». — Verum qui tenui ingenio impediuntur, quominus concionando et confessiones audiendo plene fungantur ordinario ministerio sacro, admodum parce admittantur et nonnisi tales, quos indubia indolis bonitas, animi demissio ac devotionis fervor specialius commendant; secus enim fructus acerbi merito exspectari possunt.

« Ad diiudicandam morum probitatem, in novitio maxime necessariam, sine speciali revelatione divina certitudo infallibilis haberi nequit, sed tantum moralis, quae a signis externis seu ab exteriori novitii conversatione desumi potest. Si enim novitius sit in officiis suis diligens, in conversatione modestus, in loquendo cautus, in obediendo promptus, in ecclesia devotus, in oratione assiduus ac praesertim ita humilis, ut etiam correctiones bono animo suscipiat, et si talem se per longius tempus ostendat, dignus sane censendus est qui ad professionem admittatur: neque enim in illo hypocrisis supponi potest, quae se in variis occasionibus prodere solet iuxta ea, quae Christus ipse de hypocritis dixit: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (Matth. VII, 20). Quid autem faciendum, si morales defectus in novitio observantur? Cum magna tunc prudentia et discretione procedendum est. Triplicis generis defectus distinguere oportet. Dantur enim

defectus, qui ex humana infirmitate, ex inadvertentia, aut ex quadam negligentia oriuntur, uti e. g. error in legendo, levis impatientia, modica locutio tempore silentii, omissio alicuius accidentalis caeremoniae etc.: isti defectus corrigi quidem debent, sed novitium sacra professione indignum haud reddunt. — Dantur vero et alii defectus, qui licet in se leves sint, tamen cum deliberatione committuntur, et ex quadam non recte mortificata passione progignuntur, quales sunt si quis oculos curiose huc illuc et praesertim ad feminas convertat, socios suos lacessat et male tractet, extra refectorium manducet et bibat, ex horto fructus surripiat etc.; isti defectus si saepius, etiam post factas correctiones, repetantur, haud parvi pendendi sunt, sed si iudicio prudentum malignam quandam passionem in corde novitii dominantem indicant, gravem rationem praebent hunc sacra professione indignum declarandi; de tali enim novitio iure timetur, quod per malam passionem suam, quam ne in anno quidem probationis mortificavit, in maiora usque mala praecipitetur, quoniam *si in ligno viridi haec faciunt, in arido quid fiet?* — Dantur denique defectus graves, qui magnam cordis corruptionem manifestant, et tales committuntur ab illis, qui Superioribus suis praefracte obedientiam denegant, vel aliis atroces iniurias inferunt, vel ob iniurias acceptas diuturnos rancores et odia ferunt, vel graves murmurationes, detractiones et calumnias spargunt, vel vinum immodice amant, vel per inhonesta verba aut gesta lasciviam suam produnt etc.: de hisce dici potest: *Pedes eorum in malum currunt* (Is. LIX), et ideo ad sacram professionem admittendi non sunt, nisi constet, quod ex improvisa tantum occasione in tales defectus ceciderint, vel quod manifesta de illis emendatio secuta fuerit.

« Quod ad sanitatem corporis spectat, admittendi ad professionem non sint valde debiles, frequenter aegrotantes, aliisve incommodis subiecti, ob quae merito praevidetur, quod nequeant vitam communem observare,

et officia sua rite implere, et quod ideo membra Ordinis non solum inutilia, sed et molesta futuri sint».

De eodem argumento gravis exstat instructio in fine antiquorum statutorum particularium Recessus S. Bonaventurae in Urbe, in qua sequentia (1) inter alia leguntur de cautela adhibenda in admissione novitiorum ad professionem:

« Religiosi sollicite attendere debent, ut ipsum Ordinem conservent et in sanctitate promoveant, atque ideo prae omnibus caveant, ne sint faciles et prompti ad recipiendum eos, quorum non habuerint integram notitiam. Circa quae ut quid lucis afferam dico: Superiores et magistros novitiorum exactissima uti debere diligentia, ut cognoscant illorum naturam et indolem, ut rite discernant utrum apti sint pro Religione necne. Quos si invenerint carere bono rectoque iudicio, imo illud habere stupidum atque obtusum, vel parvum ac debile: vel propter corporis complexionem aptos non esse ad communem vitam agendam, indeque dispositos esse ad obtinendas dispensationes, postquam fuerint professi: vel prae se ferre naturam excessive melancholicam, ita ut multa quae non conveniunt velint et excogitent: vel nimis cholericam, ut facile moveantur ad iram et impatientiam, honoremque magni faciant, et correcti ab aliis valde indignentur: vel indolem habere levem, ut immodeste et imprudenter se gerant: vel suspiciosam, vivendo sine pace et quiete interna: vel morosam, ut facile disputent aliisque se opponant, non volentes exequi, nisi ea quae sibi ipsis placent: vel timidam et scrupolosam, ut seipsos inquietent atque implicent: vel duplicem, ut adhibeant in omnibus rebus subdola consilia et artes subtiles: vel ipsos esse pertinaces in proprio suo iudicio, ut difficulter renuntient suae opinioni aliorumque iudicio se conforment: vel esse sensuales, et more pecudum se gerere in edendo, dormiendo et aliis necessitatibus corporalibus: vel mendaces, ut saepe

(1) Recepta ex Fr. Bernardo Van Loo *Stimulus seraph. convers.* p. 228 et sqq.

contra veritatem loquantur: vel pigros, ut difficultates et laborem in virtutis exercitio fugiant: vel esse naturae prorsus durae, ut proposita documenta ipsorum animis inseri non possint: vel denique habere eos indolem quocumque alio modo vitiosam, et virtuti assequendae vitaeque religiosae ducendae nimis difficilem; tum sibi persuasum habeant, quod tales non sint idonei ad Religionem, nec unquam futuri sint boni Religiosi, si professionem emiserint. Ratio est, quia, cum (uti diximus) pravas habeant inclinationes, non possunt virtutem assequi, nisi vel magnam violentiam adhibeant, ut se emendent, quod raro fit, vel Deus ipsis concedat magnam gratiam efficacem, quam non dat nisi paucis; unde necessarium est, ut e Religione dimittantur; nec audiendi sunt illi qui dicunt, fortasse illos se esse emendaturos, et in Religione sanctos evasuros esse. Nam Deus nullo modo nos obligat, ut operemur mala sub spe boni futuri, neque ut res futuras cognoscamus, sed ut bene et recte de praesentibus iudicemus.... Uno verbo, si quis Religionem aliquam bene regulatam in decore suo conservare, et ad perfectionis splendorem adducere desiderat, oportet ut sit difficilis ad recipiendum, facilis ad dimittendum (1), et summe sollicitus ad bene educandum».

Patet igitur ex dictis, non ob crimina tantum denegandum esse novitio suffragium, sed etiam ob defectum illarum qualitatum, quae verum Religiosum exornare debent. Hi ergo soli admittendi sunt, de quibus Ordo laetitiam merito possit sperare, quique signa dant manifesta quod religiosam perfectionem assequi velint, atque aliorum aedificationi et regulari disciplinae tuendae futuri sint utiles. Hinc qui iure suffragandi potiuntur, omni affectu humano secluso (2), coram Deo mature deliberent,

(1) « Intellige, dummodo fundata adsit ratio: non enim ex solis suspicionibus aut inconsideratis delationibus eiici possunt novitii ». Ita notat A. R. P. Fr. Bernardus Van Loo loc. cit.

(2) Cfr. P. Gabriel Angelo da Vicenza *La Regola etc.* cap. 2 § 8. *Riflessione.*

quodnam votum sit ferendum; qui suo iudicio rem diiudicare non potest, consilium petat a suo confessario vel a magistro vel ab alio viro prudente, qui studio partium non abripiatur. Quodsi omnibus consideratis novitii idoneitas ob rationabilia motiva dubia iudicetur, ex plurium (contra alios) sententia veriore (ut videtur) ad professionem non est admittendus, quia praevalet publicum Religionis bonum, quod admissione in casu in discrimen adduceretur, et de cetero nullum est, quod contrariae sententiae fautores praetendunt, novitii ad professionem ius, nisi certe idoneum ipse se probaverit (1).

Tandem notandum, novitium repelli non posse ex scientia in confessione sacramentali acquisita; ita enim habet Decretum a Clemente VIII die 26 Maii 1593 editum: « Tam Superiores pro tempore existentes, quam confessarii, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur... Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi sint, observari mandavit ». Adde opinionem contrariam a S. Congr. R. et U. Inquisitionis die 18 Nov. 1682 fuisse damnatam (2).

75. De scrutinii suffragiorum exitu Fratres secretum servent; Guardianus vero relationem authenticam ab ipso et Discretis subscriptam transmittat ad Ministrum provincialem, qui illos novitios dimittere debet qui pluralitatem votorum favorabilium non obtinuerint; et hoc tam prima quam secunda vel tertia vice. Si vero, praesertim ultima vice, tertia pars votorum novitio defuerit, eius receptio pro suspecta habeatur; ac propterea Provincialis, auditis Patribus Definitoribus, omnibusque serio perpensis, secundum Deum provideat.

---

(1) Cfr. dicenda ad art. seq.

(2) Cfr. Denzinger-Bannwarth n. 1220.

Determinatur hoc art. **suffragiorum effectus**, qui duplex exprimitur:

1. **Novitius qui pluralitatem votorum favorabilium non obtinuerit dimitti debet**, ita ut liberum non sit Ministro provinciali illum retinere ne ad ulteriorem quidem probationem. — Porro pars maior (ad quam requiritur et sufficit quilibet numero excessus supra medietatem) statuenda est relate ad numerum eorum omnium, quibus competit ius suffragii, licet de facto votum suum non tulerint vel ferre non potuerint, inclusis (prout teste Kerckhove (1) fert consuetudo in Ordine nostro) etiam Superioribus.

Ex praedictis manifestum est, in admissione ad professionem suffragia communitatis adhiberi non solum per modum consilii, sed vere per modum consensus, ita nempe ut contra maioris partis sententiam emissa professio non tantum sit illicita, sed et ipso facto invalida, et a fortiori invalida est professio, quae fuerit emissa sine receptione votorum conventus, in quo novitius sit (2). — Quod tamen non impedit, quominus Minister provincialis suffragiis communitatis non receptis, vel etiam contra maiorem votorum favorabilium partem, imo et omnibus in admissionem consentientibus, ad saeculum remittat novitium, quem ex iusto motivo indignum iudicat, quum in hoc nulla ex ratione restricta sit eiusdem exclusiva, quam ex Regula habet, potestas recipiendi novitios ad Ordinem (3); imo etiam contra maiorem votorum infavorabilium partem novitium ad professionem admittere potest Minister provincialis, si certo constet Fratres suffragantes iniuste processisse; iniusta enim suffragia nulla habenda sunt, conformiter ad cap. *Dudum 22* X *De electione etc.* (Lib. I tit. 6), ubi deciditur indigno a maiore parte electo substitui debere dignum, qui minora vota habuit;

---

(1) Cap. 1 § 12 n. 14.

(2) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 12 nn. 21-24.

(3) Cfr. Marchant, *Expos. in Reg.* cap. 2 tit. 2 quaest. 3 concl. 2 *Infero 4.*

accedit quod, quotiescumque consensus est in aliquo actu necessarius, si qui illum praestare debet sine causa denegaverit, habetur pro praestito, ut ex multis iuribus probat Tamburini, sed ex dictis novitium dignum approbare sub gravi tenentur suffragantes (1). — Animadvertendum autem, ad inquirendum in iniustitiam forsan commissam procedere non posse Ministrum provincialem ex meris coniecturis, nuda praesumptione, vel levibus indiciis, sed ex solis motivis valde rationabilibus. Quae iniustitia ut detegatur, inferiores ad vota concurrentes tenentur — ut bene notat Marchant (2) — dare rationem sui suffragii, si a Superiore inquirantur, et in casu, quo rationem dare negent, suffragium habendum pro nullo; cum enim iudicium idoneitatis vel inidoneitatis (quod solum competit inferioribus) fundetur in ratione, patet quod subditus rogatus teneatur ipsam deponere.

Denique ex huius art. parte altera concludendum videtur, in casu iniustitiae commissae novitium contra maiorem suffragantium partem ad professionem admitti non posse, nisi de consilio Patrum Definitorum (3).

2. **Si vero tertia pars** (relate ad numerum omnium ius suffragii habentium) **admissioni contradicat, fieri debet recursus ad Ministrum provincialem,** ut secundum eiusdem iudicium admittatur aut reiiciatur talis novitius (4); utrum autem facta contra hoc statutum professio, etsi cum maiore votorum favorabilium parte, dicenda sit illicita tantum, an etiam invalida decidere non audeo; ratio dubitandi habetur ex supposito defectu consensus Ordinis, siquidem Ordo difficulter potest supponi consentire in admissionem, quam pro suspecta habendam esse expressis verbis declarat.

Non potest tamen in hoc casu Minister provincialis ad libitum suum talem novitium admittere vel eiicere,

---

(1) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 12 nn. 15-17.

(2) *In resolut. casuum concernentium Regulares,* casu 19 resol. 4 apud Kerckhove, cap. I § 12 n. 19.

(3) Cfr. inferius hoc. art. dicenda sub **2.**

(4) Cfr. Kerckhove. cap 1 § 12 n. 28.

sed omnibus bene perpensis secundum Deum providere curabit; quod si omitteret, omnino peccaret, quia sine ratione ad utramlibet partem se determinaret, vel in detrimentum Religionis, vel certe ipsius novitii (1); ac insuper non nisi auditis Patribus Definitoribus seu de eorum consilio (non tamen consensu) procedat necesse est; quod ita intelligendum videtur, ut non auditis Patribus Definitoribus, Provincialis in casu, etiam ex motivis suo iudicio rationabilibus, non possit licite decernere admissionem vel ulteriorem probationem, possit vero, supposita causa sufficienti, novitium e novitiatu omnino dimittere; si enim ex superius dictis etiam omnibus in admissionem consentientibus Provincialis potest ad saeculum remittere novitium, quem ex iusto motivo indignum iudicat, a fortiori hoc poterit, si tertia suffragantium pars novitio defuerit.

Quodsi omnibus bene perpensis res dubia manet, e nostris Kerckhove et Sanctorus cum aliis docent, generatim in novitii favorem decernendum esse. Cui sententiae contradicit, eamque acute refellit Ordinis nostri chronologus glis P. Augustinus Maria Neapolitanus (2).

« Non possumus — scribit — clarissimum utrumque auctorem probare, dum docent ambo, debere Ministrum, quando ob non relatas a novitio plus quam duas ex tribus suffragiorum partibus res ad ipsum devolvitur, in professionem ordinarie saltem propendere: « nisi evidenti ratione in oppositum trahatur », ut ait Sanctorus (3), vel, ut ait Kerckhove (4), « si nihil notabile obstet », seu « ceteris paribus ». Nam haec sane pugnant cum iis, quae auctor uterque late persequitur de summo huius rei pondere ac momento.

« Affert P. Kerckhove nescio quod ius ad rem novitio acquisitum: quando ius istud novitio leges Or-

(1) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 12 n. 29.

(2) *Chronologia historico-legalis seraphici Ordinis* tom. IV Ed. Rom. p. 578.

(3) Cap. 2 Stat. 20 § *Resp. ad 1.*

(4) Cap. 1 § 12 n. 30.

dinis neutiquam tribuant, nisi postquam ille plus quam duas tulerit ex tribus suffragiorum partibus(1). Affert quoque ipse et Sanctorus regulam iuris, qua dicitur reo favendum esse potius quam actori. — At haec regula nihil pertinet ad rem praesentem. Etenim, ut hoc utamur exemplo, si quis nobilis quempiam in suas aedes reciperet, ut illum postea in ministrum suae domus adsciscceret annuo tamen praevio experimento; huius autem decursu temporis non ea habuisset habilitatis et probitatis indicia, ut illum fidenter ac tuto posset perpetuo in domum suam admittere; is certe rideret, si quisquam sibi admissionem suaderet, allegans debere ipsum in dubio reo potius, quam sibi actori favere, non obstante periculo rerum suarum. Quod si ille irrationabilem huiusmodi suasorem existimaret merito ac repelleret, uti loquitur res ipsa per sese, iure potiore illa laudatorum auctorum opinio, tamquam a ratione et veritate evidentissime aliena, repudianda est.

« Sane regula eadem reo dicit favendum esse potius quam actori, cum sunt partium iura obscura. Ubi vero hic est illa iurium obscuritas? Ius Praelatorum, imo debitum et obligatio gravissima est ex Ecclesiae et Ordinis legibus, quin imo ex divino ipso naturali iure, ut eos tantummodo ad professionem admittant, quos ex praemisso experimento compererint re vera idoneos esse. Ius proinde novitii hoc solum est, ut videlicet admittatur, si reipsa compertus fuerit idoneus. Haec ambarum partium iura certissima, indubitata, quam clarissima sunt. Ergo dum novitius, experimento praehabito, non est reapse compertus idoneus, sed dubium ipse in mente Religiosorum creavit, num idoneus sit, certissimum clarissimumque ius est, imo ineluctabilis obligatio Praelatorum, ut illum di-

(1) Cfr. Sanctorus cit. Stat. 20 § *Resp. quoad 1.* Imo ne in hoc quidem casu istud ius absolutum dici posse videtur, sed conditionatum tantum, nempe si idoneus reperiatur; libens tamen admiserim in casu novitium pro se habere favorem iuris, ideoque maiore cum circumspectione esse procedendum in quaestione de illo dimittendo.

mittant; novitii autem certissime clarissimeque ius nullum est, ut admittatur.

« Dein ea regula agit de casu proferendae sententiae quae actori sit utilis, non autem reo. Hic vero res contra se habet. Sicut enim novitii indigni admissione fit iniuria non Religioni solum, verum etiam novitio ipsi, ut scitissime observat Montalvus (1), dum admittitur hic ad statum, qui ei iuxta suos mores non expedit, ideoque cum discrimine salutis aeternae ac temporalium quoque malorum; ita etiam admissione novitii, cum dubitatur sit necne idem indignus, tum Religioni tum simul novitio irrogatur iniuria; quia, cum de summo agatur negotio et Religionis et novitii, de illius videlicet bono publico, de istius aeterna praesertim salute, non debet res tanta periculo exponi, quando et mercatores et satores frugum et alii passim in privatis agendis longe minus gravibus negotiis suis moralem postulant certitudinem.

« Atque ex his etiam intelligitur, subscribi nullo modo posse eidem P. Montalvo, dum probabile dicit, quod Religiosus potest novitium suffragari [scil. in illius favorem], si adhibita diligentia dubium expelli non valet (2). Nititur ipse ea ratione, quia praesumitur pro eius idoneitate, nisi contrarium sufficienter probetur. Verum praesumptiones et verisimilitudines non habent locum, ubi clara probatio requiritur. Clara autem probatio requiritur, ut ad professionem novitius admittatur, sicuti paulo ante animadvertebamus ». Superiores — inquit Tridentinum (3) — novitios quos habiles invenerint, ad professionem admittant. Non quos praesumpserint, sed quos INVENERINT habiles, quos nempe cognoverint experimento annuo re ipsa habiles esse, eos tantum Praelati possunt ac debent ad profitendum admittere. Tridentino concinunt omnia S. Sedis Decreta, omnes praesertim nostri Ordinis Constitutiones ».

---

(1) Tom. 1 cap. 4 art. 5 n. 40.
(2) Loc. cit. n. 44.
(3) Sess. 25 *De Regular.* cap. 16.

76. Si novitius ad alium novitiatus conventum mitti debeat ante terminum unius ex praescriptis tribus scrutiniis, in conventu a quo discedit votatio anticipetur, dummodo a vestitione vel a praecedente votatione saltem bimestre expletum fuerit; ac de suffragiorum exitu tum Provincialis tum Guardianus loci ad quem transfertur opportune moneantur.

Hoc art. definitur **suffragationis lex in casu novitiatus mutandi**; quae lex praescribit, ut si novitius conventum mutat infra completum tempus pro quavis suffragatione constitutum, communitatis, ex qua transfertur novitius, suffragia recipi debeant, ac de eorumdem exitu moneantur tum Provincialis tum Guardianus loci, ad quem transfertur. Quod praescriptum, ex huius art. tenore, hoc intelligendum est sensu, ut in casu novitiatus conventus mutandi petenda sint suffragia illius communitatis, in qua novitius post incoeptum novitiatum (in prima suffragatione), aut post antecedentem suffragationem per duos menses commoratus fuerit.

Nota. Decretum *Regulari disciplinae*, de quo fit mentio in anterioribus Constitutionibus art. 56, pro Ordine nostro est abrogatum. Cfr. supra pag. 65 in fine.

§ X.

De professione votorum simplicium.

77. Novitius, ante professionem votorum simplicium, de bonis temporalibus, si quae possideat, ita disponat, ut, eorum dominio radicali solummodo sibi retento, caetera, seu administrationem, usumfructum et usum, pro tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserit, cedat quibus ei placuerit, non tamen Ordini nostro.

78. Si post emissa vota simplicia iisque perdurantibus professo bona adveniant, de quibus cessio praedicta facta non fuerit, ipse, non obstante voto paupertatis, illam secundum normas superius datas facere potest et debet.

1. **Praenotandum.** Per litteras Encyclicas a S. C. super Statu Regularium die 10 Martii 1857 editas, ac incipientes *Neminem latet* (1), s. m. Pius IX statuit, ut in religiosis virorum (2) Institutis, in quibus vota solemnia emittuntur, novitiatu legitime peracto, novitii v o t a s i m p l i c i a emittant. Huiusmodi autem professi votorum simplicium, ex eiusdem S. C. Decreto *Sanctissimus* 12 Ian. 1858 n. IX (3) dominium r a d i c a l e, uti aiunt, seu possessionem sine actuali usu et utilitate, suorum bonorum quae actu possident r e t i n e r e, et bonorum, quae eis quoquo modo obvenient, a c q u i r e r e non solum possunt, sed et d e b e n t, quum ex disciplina vigente (4) bonis suis renuntiare ne valide quidem possint, nisi intra duos menses proximos ante professionem solemnem; omnino vero interdicta est eis administratio et reddituum erogatio ac usus.

2. Conformiter ad praedicta Decreta apostolica hoc art. praescribitur **professioni simplici praemittenda dispositio** de bonis temporalibus. Qua dispositione novitius

a) bonorum suorum, salvo semper dominio radicali, a d m i n i s t r a t i o n e m, necnon u s u m f r u c t u m e t u s u m, seu actualem usum et utilitatem, c e d e r e d e b e t; nec licet cavere, ut bonorum redditus ac fructus accrescant ad capitale seu ad patrimonium, cuius dominium radicale ex dictis retinet (5); eadem dispositio quamprimum fa-

---

(1) Cfr. *Monumenta* pag. 83.

(2) Nunc etiam mulierum ex S. C. Episc. et Regul. Decreto *Perpensis* 3 Maii 1902.

(3) Cfr. *Monumenta* pag. 85.

(4) Cfr. Commentar. ad art. 41, sub 2. et infra art. 90.

(5) S. C. Episc. et Regul. 21 Nov. 1902; cfr. *Monumenta* pag. 88 D, et Vermeersch *De religiosis Institutis* tom. II (Ed. 4ª) p. 640.

cienda est de bonis quae durante tempore votorum simplicium legitimo titulo obvenerint (1); nihil tamen obstare videtur, quominus hisce etiam bonis applicanda statuatur (si ita visum fuerit) facta iam de aliis bonis dispositio;

b) huiusmodi cessio fieri potest in favorem unius vel plurium, sive universim sive divisim, cui vel quibus placuerit, non tamen apud nos Ordini, quippe Ordo noster iurium, quae cedere debet novitius, est incapax (2): quod tamen prohibere non videtur, quominus ex bonorum redditibus seu fructibus Ordini per modum simplicis eleemosynae aliquid ab administratore tribuendum novitius statuat omnino libere, i. e. Superioribus vel Fratribus nihil ad id, sive directe sive indirecte, conferentibus (3);

c) praedicta cessio facienda est per actum saltem privatum seu sub signatura privata, et quidem pro tempore quo in professione votorum simplicium permanserit, ita ut in casu obtentae dispensationis a votis vel dimissionis ex Ordine eo ipso cesset facta dispositio; eidem apponi potest conditio, qua sit quandocumque revocabilis; sed professus hoc iure revocandi in conscientia uti non poterit, nisi accedente Sedis Apostolicae beneplacito (4).

3. **Mutatio administratoris,** qua nempe munere privatur, etiam ex quadam necessitate, puta ob imperitiam vel ob admissam fraudem, fieri non potest absque S. Sedis venia, quam tamen, si nullam res ferat moram, fas erit interea praesumere. Ratio est quia huiusmodi mutatio est actus administrationis presse dictus, qua voto suo prohibentur simpliciter professi. — Si vero ob mortem vel muneris dimissionem defecerit administrator, simpliciter professis fas esse videtur alium substituere, etiam inconsulta S. Sede, assentiente tamen Superiore, ut legi obedientiae satisfiat.

---

(1) Cfr. cit. Decretum *Perpensis* sub XI.

(2) Cfr. Kazenberger cap. 5 qu. 1 *Resp.*

(3) Cfr. Commentar. ad art. 91.

(4) Cfr. Bizzarri, *Collectan.* (Ed. nova) pag. 806; *Collectan. S. C. de Propag. Fide* n. 1585 (Ed. nova).

Huiusmodi enim substitutio imperatur ipsorum paupertatis ratione; nedum huic adversetur; nec aliqua vetatur sanctione (1).

79. Nemo admittatur ad professionem, nisi prius examinatus fuerit per Ministrum provincialem vel per alium idoneum Patrem ab ipso delegatum super qualitate et natura votorum ac super intellectu Regulae et praeceptorum eius, et si clericus sit super Officio divino rite ordinando et recitando, et nisi doctrinae christianae rudimenta et Regulae praecepta, sive latina sive vernacula lingua, saltem summarie et compendiose quoad puncta substantialia memoriter recitaverit.

Praecipitur et determinatur hoc art. **examen novitiorum** (2) professioni praemittendum, quod examen instituendum est super qualitate et natura votorum tum simplicium cum solemnium eorumque obligationibus, necnon super Regulae praeceptis, ad quae observanda obligatio professione contrahitur (3); haec enim nisi sciant novitii, saltem quantum communem omnium in Ordine vitae rationem dirigendam spectant, indigni sunt qui ad professionem admittantur, utpote status per professionem assumendi obligationes ignorantes. Iure igitur meritoque prohibentur Provinciales, quominus ad professionem ex novitiis quempiam admittant nisi instructionis specimen exhibuerit tale, ex quo constet ipsum de status assumendi obligationibus sufficienter pro praxi fuisse instructum; secus enim admittendo indignum suo deessent Provinciales officio.

Praeterea ad praescriptum instructionis specimen pertinet, ut novitius doctrinae christianae rudimenta,

(1) Cfr. Vermeersch n. 247; Piatus tom. I, Si I, 3°.

(2) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 13.

(3) Cfr. Clementis V. Declaratio Regulae Art. II n. 1; Kazenberger, quaest. prooem. 5.

maxime quae necessitate tam medii quam praecepti sunt scitu necessaria, ceterasque ex instructione catechetica inter fideles precandi formulas communes, ac Regulae praecepta, praesertim quae exercitium commune spectant, sive latina sive vernacula lingua, saltem summarie et compendiose, quoad puncta substantialia **memoriter recitet**; licet autem praedictorum, saltem omnium ex memoria cognitio ad scientiam stricte debitam non pertineat, tamen provide eadem praescribitur, siquidem non solum decens et expediens huiusmodi cognitio est (1), sed et eiusdem defectui facile iungitur ipsarum rerum, utique scitu necessariarum, ignorantia.

Tandem quoad novitios clericos ante professionem Provincialibus exquirendum est de Officii divini recitandi ac ordinandi peritia testimonium examinatorum ad hoc designatorum, quo probentur sufficienter instructi ad obeunda munera in chorali recitatione a clericis solita, et ad rite satisfaciendum suo tempore obligationi private recitandi.

80. Novitius ante professionem exercitia spiritualia peragat, et ipsa professionis die Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum religiosissime sumat.

Quo maiore spiritus fervore, cordis puritate ac animi devotione sui ipsorum hostiam Deo offerant novitii in professione, eisdem praedicti **religionis actus professioni praemittendi** sapienter praescribuntur.

81. Immediate ante professionem, vel pridie, fiat ei protestatio coram tota communitate, quod ad observantiam Regulae et omnium praeceptorum eius vi professionis obligetur; eamque protestationem ipse admittat, et tali cum intentione

(1) Teste Corduba, qu. 4 Introduct. in Regulam.

professionem faciat in manibus Ministri provincialis vel alterius Patris ab ipso in scriptis delegati, iuxta formam in Rituali Ordinis praescriptam.

Quae totius Ordinis nomine art. 1 emittitur **contra privilegia relaxativa protestatio** immediate ante professionem vel pridie coram tota communitate, i. e. in publico ceteris, sicut in aliis communitatis exercitiis, adstantibus, ex huius art. praescripto a Superiore **novitio** est **iteranda,** ut inde intelligat, quod ad observantiam Regulae et omnium eiusdem praeceptorum vi professionis obligetur. Quam protestationem, Superiore interrogante, praefato sensu intellectam claris et expressis verbis admittat novitius (et quidem singuli ex iis si fuerint plures), ita ut nonnisi Regulae praeceptis sensu a seraphico Institutore intento acceptis professionem faciat. Facienda autem est professio iuxta formam i. e. adhibitis professionis emittendae formula ceterisque caeremoniis, aliis omnibus quae forsan in usu erant uniformitatis conservandae causa omnino abolitis, in Rituali Ordinis praescriptam.

Nota. Ex praescripto Statutorum, quae olim vigebant (1) in pluribus provinciis professioni praemittebatur professio fidei; cuius quum mentio non fiat in Rituali Ordinis, ex uniformitatis conservandae ratione eadem omittenda omnino videtur.

82. Votorum simplicium professio, sub poena nullitatis, in conventibus novitiatus fieri debet.

1. **Professionis simplicis locus** legitimus est conventus novitiatus legitime designatus (2), ita ut huiusmodi professio extra dictum conventum emissa invalida sit habenda, et quidem ubique locorum; hae enim Constitutiones, ex expresso mandato apostolico, ubique terrarum fideliter servari debent.

(1) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 13, 1.
(2) Cfr. art. 43.

2. **Professionis simplicis emittendae aetas legitima** est decimus sextus annus completus, et quidem ad validitatem, ex Conc. Trident. Sess. 25 cap. 15 *de Regul.* — Speciatim vero pro laicis, ex dictis in commentario ad art. 14, 12°, requiritur, saltem ad liceitatem (1), annus vigesimus primus completus.

Nota. **Validae professionis,** sive simplicis sive solemnis, **conditiones** sunt: *a)* in subiecto quod profitetur, praeter carentiam impedimenti essentialis seu irritantis, atque aetatem legitimam, profitendi intentio plene et perfecte libera; ita ut profitens non laboret errore substantiali de obiecto votorum et traditionis, neque moveatur metu gravi iniuste incusso (2), *b)* ex parte Ordinis acceptatio itidem plene ac perfecte libera, idque per Superiorem legitimum (3), qui ex iure nostro speciali (4) potestate ordinaria sunt soli Ministri (Minister generalis in toto Ordine, Provincialis in sua provincia, Commissarius provincialis independens in sua provincia vel in suo commissariatu), et potestate delegata alius Ordinis sacerdos ad hoc legitime deputatus (5).

83. Diei ac horae, mensis et anni quibus votorum simplicium professio facta est, ac nominis et patriae profitentis memoria fiat in libro ad id destinato, cum ipsius et duorum testium necnon Patris professionem recipientis subscriptionibus.

Provida ex ratione **conscribenda** statuitur haec emissae **professionis memoria,** quoad circumstantias minutissima, quoad personas omnino determinata, ac per sub-

---

(1) Cfr. Wernz, tom. III n. 642 sub II.

(2) Cfr. cap. 1, et cap. 6 *De his quae vi* etc. lib. I tit. 40; cap. 1, et cap. 15, *De Regularibus* (lib. III. tit. 31): Conc. Trid. Sess. 25 cap. 19 *De Regularibus.*

(3) Cfr. cap. 13 et cap. 16 *De Regularibus* (lib. III. tit. 31); S. C. Episc. et Reg. 16 Dec. 1831 et 18 Ian. 1842.

(4) Cfr. Comment. ad art. 32. *Praenotandum.*

(5) Cfr. Comment. ad art. 39.

scriptiones autenthica, ut exinde habeatur, ubi opus fuerit, professionis valide factae iuridica probatio; patet igitur quanta cura in conscribenda huiusmodi memoria sit adhibenda (1).

84. Simplicia haec vota ex parte voventis perpetua sunt, eorumque dispensatio reservata est Romano Pontifici. Si qui vero, perdurante servitio militari vel eo absoluto, a votorum simplicium vinculo se relaxari desiderent aut sponte petant, Minister generalis, de consensu sui Definitorii, tamquam Apostolicae Sedis delegatus, huiusmodi vota solvere potest.

1. Ex huius art. priore parte, recepta ex cit. Decreto *Sanctissimus* n. I et II (2), **votorum simplicium natura** haec est, ut sint perpetua ex parte voventis, utpote quae tendunt ad emittenda vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipiunt. Hinc voventis voluntate solvi non possunt, etiam ob causam utcumque gravem, nisi accedat dispensatio Rom. Pontificis, cui professi gravibus urgentibus causis preces porrigere poterunt; nec solvuntur elapso triennio a lege (3) statuto, sed emissis votis solemnibus, ad quae emittenda vota simplicia ex sese obligant, perficienda sunt ac complenda.

2. Ex huius art. parte posteriore, recepta ex Decreto S. C. de Religiosis *Inter reliquas* 1 Ian. 1911 VIII (4), **quoad concedendam dispensationem exceptio** est pro iuvenibus, qui perdurante servitio militari vel eo absoluto, a votis simplicibus dispensationem desiderant aut sponte petunt; quorum vota Minister generalis, de consensu sui Definitorii, tamquam Apostolicae Sedis delegatus solvere potest.

---

(1) Cfr. Comment. ad art. 40.
(2) Cfr. *Monumenta* pag. 84.
(3) Cfr. dicta ad art. 77 et 78. *Praenotandum.*
(4) Cfr. *Monumenta* pag. 106.

85. Vota simplicia solvuntur quoque in actu dimissionis professorum ab Ordine. Facultas autem eiusmodi professos dimittendi ad Ministrum generalem cum suo generali Definitorio spectat; qui quidem Minister cum suo Definitorio, in casibus extraordinariis, et praesertim pro regionibus et locis longinquis, ad dimissionem decernendam delegare potest probos et prudentes Patres, qui saltem tres esse debent.

86. Licet ad decernendam dimissionem neque processus neque iudicii forma requiratur, sed sola facti veritate inspecta fieri possit, tamen Superiores procedere debent summa charitate, prudentia et ex iustis ac rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota; secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem ex causa infirmitatis dimitti potest.

87. Illi vero votorum simplicium professi dimittantur qui religiosae vocationis obliti, indigne se gerant, et in tales defectus morales lapsi fuerint, qui pro dimissione novitii ante professionem sufficientes iudicarentur; necnon illi qui, perdurante militari servitio vel eo finito, dubia perseverantiae signa dederint, vel cautelis a S. Sede praescriptis militiae tempore non obtemperaverint, aut a morum vel fidei puritate deflexerint.

88. Quo autem de facti veritate sufficienter constet Ministri provinciales dimissionem alicuius simpliciter professi petentes, id faciant per documentum authenticum ab ipsis et Definitorii Patribus subscriptum ac provinciae sigillo munitum, in quo rationes huiusmodi dimissionis faciendae clare exponantur.

Quae iuxta hos art. fieri potest **votorum simplicium dissolutio** ex parte Ordinis in actu dimissionis decreta fuit in cit. Decreto *Sanctissimus* nn. III-V: solvuntur autem vota simplicia in casu non per modum dispensationis, sed per modum cessationis, ita ut, data dimissione, professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant (1).

1. **Facultas dimittendi** ad Ministrum generalem cum suo Definitorio, vel ad tres delegatos spectare videtur hoc sensu, ut nonnisi ex libero maioris partis consensu legitime decerni valeat dimissio, utpote quae ipsis collegialiter spectatis commissa censetur decernenda.

2. Ad legitimam dimissionem **requiritur iusta et rationabilis causa** (2); iusta autem et rationabilis causa, pro rei, de qua agitur, gravitate, intelligenda est gravis, et quidem quae stet ex parte Ordinis, non ex parte ipsius professi, ita scil. ut illius, non huius, bonum sit attendendum, in illius enim, non in huius, favorem fieri posse iure decernitur dimissio. Qua in re regula generalis practica praebetur a Benedicto XIV (3), qui loquens de Religiosis Societatis Iesu haec habet: « Causa dimissionis plerumque desumitur ex eo, quod Religiosus minime valeat inceptum curriculum laudabiliter persequi, et ad Societatis institutum vitam exigere »; hinc merito art. 87 statuitur, ut « illi votorum simplicium professi dimittantur qui, religiosae vocationis obliti, indigne se gerant et in tales defectus morales lapsi fuerint, qui pro dimissione novitii ante professionem sufficientes iudicarentur »; quam regulam explicans Suarez (4) iustas dimittendi causas habet « si iudicaretur quis damnum allaturus malo vitae exemplo; si inquietum se ostendat; si verbis aut actibus offendiculum aliis praebeat; si non possit se componere ad vitam ducendam sub obedientia iuxta modum

(1) Cit. Decretum *Sanctissimus* n. III.
(2) Cit. Decretum n. III.
(3) *De synodo* lib. XIII cap. 9 n. 17.
(4) De virtute et statu Religionis tract. X, lib. III cap. 9 n. 12.

procedendi Societatis, eo quod nequeat iudicium suum infringere; si denique in affectibus et vitiis, quae divinam offendunt Maiestatem, corrigi non possit, etiamsi publica non sint »: verum ex eodem Suarezio ibidem, in his omnibus et quibuscumque similibus haec servanda est regula, « scil. defectum hunc talem esse debere, ut eo spectato, Superior prudenter iudicet Deo gratum non esse talem personam in Societate admittere aut retinere », quod contingere merito videri possit, quando, spectata professi conservandi ratione ac indole, ex eiusdem in Ordine permanentia verisimiliter timetur aut disciplinae monasticae notabile detrimentum, aut mundo grave scandalum. Speciatim statuitur, ex Decreto *Inter reliquas* n. V (1), ut dimittantur votorum simplicium professi « illi qui perdurante militari servitio vel eo finito, dubia perseverantiae signa dederint, vel cautelis a S. Sede praescriptis (2) militiae tempore non obtemperaverint, aut a morum et fidei puritate deflexerint ». — Tandem notandum, neminem dimitti posse ex causa infirmitatis, quae intelligenda est post professionem votorum simplicium superventa (3), nec ad dimissionem sufficere factum nudum (non consideratis scil. eiusdem motivis) reiectionis professi simplicis a maiore parte Patrum in consilio (apud nos in Discretorio), vel totius conventus in Capitulo per suffragia secreta (si rogentur) prolatae (4), neque etiam solam petitionem professi asserentis se non habere vel amisisse animum vocationemque ad vitam religiosam (5).

---

(1) Cfr. *Monumenta* pag. 105.

(2) Cit. Decretum *Inter reliquas* nn. III et IV; *Monumenta* p. 105.

(3) Cit. Decretum *Sanctissimus* n. V (*Monumenta* pag. 85); quod vero spectat ad infirmitatem votorum simplicium praecedentem cfr. dicta ad art. 36-38b).

(4) S. C. super Statu Regul. 7 Febr. 1862 ad 2; cfr. *Monumenta* pag 91.

(5) S. C. Episc et Regul. 19 Nov. 1886; cfr. *Acta Ordinis Minorum* Anno VIII (1889) p. 49 II. Poterunt tamen in casu Rom. Pontifici porrigi preces ad dispensationem obtinendam.

Dimittendi causa diiudicanda commissa est iudicio et conscientiae eorumdem, penes quos ex praedictis est dimittendi facultas (1); in qua diiudicanda Superiores procedere debent summa charitate, prudentia..., quacumque humana affectione remota, ne aut illegitime dimittendo professi iura laedantur, aut imprudenter retinendo Ordo detrimenti quid capiat; utrimque enim gravis conscientiae obligatio.

3. **Forma dimissionis decernendae** observanda non praescribitur iudiciaria, neque ullus requiritur processus, sed ad eam procedi potest sola facti veritate inspecta, i. e. consideratis libratisque expositis dimissionis causis, quibus veris ac sufficientibus ex prudenti iudicio existentibus dimissio facienda decernitur, quod decretum in scripturam redactum executioni mandandum transmittitur ad dimittendi Ministrum provincialem. — Provide etiam art. 88 statutum est, ut in petenda dimissione exhibita rationum expositio a Ministro provinciali Patribusque Definitorii subscribatur, ac provinciae sigillo muniatur, ut videlicet authentico hoc testimonio facti seu expositorum veritas confirmetur, et de ea sufficienter constet iis quibus competit dimissionis decernendae munus; proinde gravi conscientiae obligatione monentur Ministri provinciales Patresque Definitorii, ne subscribendo confirment nisi quae, saltem ex relatione fide digna, cum morali certitudine affirmare posse sibi videantur. — Tandem animadvertendum occurrente casu dimissionis faciendae satius esse, ut prius quam causa dimissionis proponatur, dimittendus paterne inducatur ad petendam dispensationem: hac enim ratione negotium facilius expeditur, ac insuper dimittendi famae consulitur.

Scholion. Praefatum dimissionis ius per Decretum *Auctis admodum* 4 Nov. 1892 nihil immutatum videtur quoad eos simpliciter professos qui in sacris ordini-

(1) S. C. super Statu Regul. 15 Dec. 1893; cfr. *Acta Ordinis Minorum* anno XIII (1894) p. 8, 1.

bus constituti Ordinem sunt ingressi. Cum enim odiosa sit iurium correctio, posterioris Decreti interpretatio contra anteriorem dispositionem nisi ex manifesta ratione non est facienda (1), idque eo magis in casu applicandum, quod cit. Decretum *Auctis admodum* per regulam generalem afficit Instituta recentia votorum simplicium, ac tantum per exceptionem respicit Ordines proprie dictos, in quibus vota solemnia Religiosi nuncupant (2). Tantum autem abest, ut adsit ratio manifesta, ex qua dispositiones Decreti *Auctis admodum* de dimissione Religiosorum praefatis simpliciter professis sint applicandae, ut potius contrarium pateat. Etenim in cit. Decreto agitur de dimissione stricte dicta, quae est loco eiectionis poenalis seu sit directa in solam poenam professi graviter delinquentis, qualis non est dimissio, de qua agitur in praedictis Constit. art. utpote quae — ut superius fuit notatum — in favorem seu bonum Ordinum iure constituta est. Deinde Decretum *Auctis admodum* agit de constitutis in sacris ordinibus, qui ad nullam pertineant dioecesim, utpote ordinati cum dimissorialibus Praelatorum Religiosorum; constituti vero in sacris ordinibus, de quibus est sermo in casu, habent dioecesim cui vi ordinationis sunt adscripti, eique adscripti manent donec solemnem emiserint professionem. Concludendum igitur, dispositiones Decreti *Auctis admodum* non impedire, quominus Ordinibus regularibus maneat facultas dimittendi ex iustis et rationabilibus causis etiam simpliciter professos qui in sacris ordinibus constituti Ordinem sunt ingressi (3).

89. Professi votorum simplicium participes sunt omnium gratiarum et privilegiorum quibus

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, Decret. lib. I tit. 2 § 19.

(2) Cfr. Litterae Emi Praefecti S. C. Episc. et Regul. in *Acta S. Sedis* Vol. XXXI p. 536.

(3) Cfr. Vermeersch, *De religiosis Institutis* tom. I n. 339; Piatus Montanus tom. I qu. 154 sub 70; contra Angelum a SS. Corde Iesu tom. I nn. 160 et 161 et Wernz, tom. III n. 676 III.

in Ordine nostro gaudent professi votorum solemnium. At voce activa et passiva ad officia Ordinis carent, ita ut neque in Superiores, neque in Definitores vel Consiliarios aut magistros eligi vel institui valeant. Eorum tamen anni, ut voce activa et passiva post solemnem professionem gaudeant, a die emissionis votorum simplicium computantur. At primam tonsuram ordinesque minores dumtaxat, servatis servandis, promoveri possunt.

Qui hoc art. numerantur peculiares **professionis simplicis effectus** recepti sunt ex cit. (1) Declarationibus S. C. super Statu Regul. sub nn. VI-VIII. Qui effectus cum ex ipsis terminis satis intelligantur, ulteriore explicatione opus non est. Notandum tamen insuper:

a) Ex S. C. super Statu Regul. Declaratione 16 Ian. 1891 simpliciter professi nec licite nec valide eligi possunt Praelati vel Superiores in Ordine (2). — Quae Declaratio, interpretante hoc art., intelligenda est sensu quodam latiore, ita ut superioritatis etiam participative gerendae incapaces sint. Hinc simpliciter professi eligi vel institui non valent non solum in Superiores, sed neque in Superiorum sive maiorum sive localium Consiliarios vel vices gerentes.

b) Simpliciter professos excludi a ferendo suffragio in votationibus circa admissionem novitiorum ad professionem patet ex Declaratione S. C. super Statu Regul. 1 Sept. 1875 (3).

c) Prohibitio Superioribus regularibus facta, ne simpliciter professis concedant litteras dimissorias ad sacros ordines quum locutione exclusiva exprimatur, generaliter omnino est intelligenda, ut scil. non restringatur ad ordinationem titulo paupertatis Regularium proprio, sed ex-

(1) Sub art. 64.
(2) Cfr. *Monumenta* pag. 88, E.
(3) Cfr. *Monumenta* pag. 92 K.

tendatur ad ordinationem alio quocumque titulo, etiam patrimoniali. Cum enim huiusmodi professi nondum ratione stabili ad Ordinem pertineant, timendum est ne post promotionem ad ordines sacros ex Ordine sive sponte ex dispensatione sive coacte per dimissionem egressi, ipsi, utpote nulli dioecesi adscripti, absque Episcopo benevolo receptore cum magno dedecore status clericalis vagari cogantur, quod ex iure omnino cavendum. Cfr. cit. Decretum *Auctis admodum*, ex quo sub n. II praeterea notandum, « de regula generali haud in posterum dispensatum iri, ut ad maiorem ordinem alumnus Congregationis votorum solemnium promoveatur, quin prius solemnem professionem emiserit... Quod si interdum causa legitima occurrat, cur quispiam sacros ordines suscipiat, triennio nondum expleto, peti poterit ab Apostolica Sede dispensatio, ut clericus vota solemnia nuncupare possit, quamvis non expleverit triennium »...

90. Intra duos menses ante professionem solemnem professurus abdicationem etiam dominii radicalis omnium rerum et bonorum, quae habet et per haereditatem post professionem habiturus est, facere debet; nec ipsi licet aliquid testamento vel alio modo sibi reservare, nec post professionem solemnem dispositionem factam mutare, sine licentia S. Sedis.

1. **Abdicatio bonorum**, quae hoc art. statuitur professioni solemni praemittenda, requiritur tum ex natura ipsius professionis solemnis, utpote quae iucludit dominii incapacitatem (1), tum etiam, apud nos, ex aequipollenti praecepto cap. 2 Regulae (2). Quae abdicatio fit cedendo bonorum dominium etiam radicale, ac simul disponendo

(1) Cfr. S. Poenitent. 21 Maii 1880.

(2) Cfr. Kazenberger, cap. 2 qu. 2 Resp. 3; Gabriel-Angelo da Vicenza cap. 2 § 4; Marchant, cap. 2 tit. 1 qu. 7 et 8.

de bonis in favorem cuiusvis ipse professurus voluerit. — Porro huius cessionis ac dispositionis

a) substantia consistit in renuntiatione absoluta, adeo ut nihil omnino iuris in bona temporalia sibi reservet professurus; siquidem professio solemnis Fratrum Minorum omnimodam abdicationem omnium rerum tam in communi quam in speciali continet; hinc quicumque hanc professionem emittit non vere et absolute renuntians omnibus quae possidet, in puncto professionis peccatum mortale incurrit Deo mentiendo, utpote paupertatem sine proprio vovens et nihilominus aliquid sibi retinens; et Superiores qui hoc permittunt similiter mortaliter peccant. — Constat igitur pro materiae capacitate gravis vel levis peccati reos esse, non solum qui profitentes pensiones nonnullas et velut dotes sibi reservant, quibus post professionem uti possint; sed etiam qui parentibus et propinquis sua relinquunt velut sub onere restituendi sibi, dum professi fuerint, ad suas necessitates et recreationes; similiter qui ad haeredes suos per mendicationis viam post professionem recurrentes quoddam ius, quamvis non civile, naturale tamen praetendunt (1);

b) obiectum sunt non tantum bona praesentia, sed et bona futura, super quibus ius certum haberi potest, pars nempe haereditatis paternae vel maternae, nisi tamen huiusmodi bona futura simpliciter repudiare possit et velit; bonorum vero, quae accidentaliter evenire possunt, nulla fit ante professionem cessio vel dispositio, sed in singulis casibus recurrendum est ad S. C. de Religiosis (2), si nempe (ita restringendum videtur) de huiusmodi bonis disponere velit professus; casu enim quo professus huiusmodi bona acquirenda nomine conventus acceptare debet, aut (prout apud nos in casu obvenien-

---

(1) Marchant, cap. 2, tit. 1, qu. 9. in fine; cfr. Kerckhove, cap. 1, § 14, nn. 6-12.

(2) S. C. Episc. et Regul. 16 Sept. 1885, cfr. *Acta Ordinis Minorum* Anno IV (1885) p. 146; *Nouv. Revue théol.* tom. XXII, p. 28 sqq.

tis haereditatis vi Regulae fiat necesse est) simpliciter repudiat, recursus ad S. C. necessarius non videtur.

2. **Tempus abdicationis faciendae utile,** nempe intra duos menses ante professionem solemnem, sub poena nullitatis praescribitur iure Tridentino Sess. 25 cap. 16 *De Regularibus* coll. S. C. super Statu Regul. Declar. 1 Aug. 1862 (1); quae temporis determinatio intelligenda est non moraliter, sed mathematice, ita scil. ut abdicatio vel unico tantum momento ante determinatum bimestre facta invalida sit habenda (2). — Quodsi professio iusta de causa differatur, ex S. C. C. Declar. (3) abdicatio fieri potest intra bimestre aut ante finitum regularis probationis tempus, aut ante professionem de facto emittendam; si vero tempus probationis ex dispensatione pontificia diminuatur, observandum quod de facienda abdicatione disponit dispensationis indultum, quod si nihil de ea disponit, ex communiore (contra alios) fieri potest abdicatio intra duos menses qui professionem proxime praecedunt (4).

3. **Forma abdicationis** a Conc. Trident. (5) praescripta haec est, ut fiat cum licentia Episcopi, sive eius Vicarii (6); quae licentia requiritur ad actus validitatem, hinc non sufficit petita, sed obtenta sit oportet; ceterum sufficit sive expressa sive tacita (dummodo haec de praesenti detur), sive oretenus sive scripto (7) data;

---

(1) Cfr. dicta ad art. 41.

(2) Cfr. Piatus tom. I, qu. 140.

(3) Apud Pallottini verb. *Regulares* VII, 8 et 34.

(4) Cfr. Piatus, tom I qu. 142 et 143.

(5) Sess. 25 cap. 16 *De Regularibus.*

(6) Contra hoc praescriptum admittit Reiffenstuel (lib. III. tit. 31 n. 153), ex auctoritate DD. a se cit., vim contrariae consuetudinis legitime introductae; at cum huiusmodi consuetudinum generi non valde faveant Congregationes Romanae, satius erit hanc formam non negligere, nisi forte Episcopi existentem consuetudinem ex praxi probe noscentes non reclament.

(7) Hoc consultius est, ut scil. observatae formae habeatur authenticum documentum.

notandum etiam, ex communi DD. sententia a S. C. C. confirmata (1), praeter Vicarium ab Episcopo delegari posse et alium, qui licentiam concedat. — Qua in re intelligitur Episcopus loci conventus quem inhabitat professurus (2), qui et « tenetur personaliter se conferre coram Episcopo vel eius Vicario generali, aut altero per Episcopum deputando (3), quod tamen restringendum videtur ad casum quo Episcopus ita velit (4). — Ceterum huiusmodi abdicatio per se facienda est observatis formalitatibus a lege civili praescriptis, ut valeat etiam in foro externo ac iuridicos sortiatur effectus; ast quum eadem ita facta ex lege civili irrevocabilis sit etiam in casu professionis non secutae contra Decretum Trident., ac aliunde ex lege civili non valeat abdicatio haereditatis futurae aut facta a minorenni, hinc permittitur ut professurus abdicationem, suo tempore iuxta Conc. Trident. faciat per actum privatum, postea suo tempore renovandum in forma a lege praescripta, quin tamen illa immutari possit (5).

4. **Effectus abdicationis** est, ut ipsa tempore utili in forma Trident. facta, etiam per actum privatum tantum, in foro conscientiae valeat in terminis Conc. Trident.; hinc facta cessio ac dispositio etiam ante professionem revocari vel mutari non potest a professuro nisi expresse illud ius sibi reservaverit, etsi non confirmetur perfecte neque plenum sortiatur effectum nisi secuta professione, imo corruat quacumque ex causa professio non emittatur aut emissa fuerit invalida (6); professione autem rite emissa sine licentia S. Sedis revocari vel mutari non potest abdicatio (7), potest tamen professus simpliciter declarare

---

(1) Cfr. Pallottini verb. *Regulares* VII, 12.
(2) S. C. C. apud Pallottini verb. *Regulares* VII, 13.
(3) S. C. C. 19 Ian. 1686 apud Pallottini verb. *Regulares* VII, 19 sq.
(4) Cfr. Piatus tom. I, qu. 137. 138 et 139.
(5) Cfr. cit. S. C. Episc. et Regul. resp. 16 Sept. 1885.
(6) Cfr. Piatus tom. I, qu. 144 et 145.
(7) S. C. C. apud Pallottini verb. *Testamenta* 47.

mentem suam, si qua parte obscure dixerit (1). — Abdicatio omissa post solemnem professionem emissam, nisi ex speciali S. Sedis indulto, iam suppleri non potest, ideoque in casu apud nos professi bona tam praesentia quam futura per se devolvuntur ad haeredes, nisi ex obtento indulto apostolico de iis disponere ipsi liceat (2).

Nota. De valore clausulae abdicationis documento insertae, qua professurus sibi reservat ius regressus ad bona pro casu quo e Religione egrediatur, lis est inter DD. Qua de re ipsa S. C. Episc. et Regul. diebus 18 et 22 Mart. 1841 ad Superiores Barnabitarum et Cisterciensium iussit rescribi eiusmodi iurium reservationes haberi uti *fortasse nullius roboris;* imo die 7 Ian. 1845 permisit Generali Clericorum Regularium Matris Dei declarare « conditionem regressus ad primaeva iura uti non appositam haberi posse (3) ».

91. Caveant autem Superiores et subditi quicumque ne quovis praetextu talem Fratrem inducant ut eis, vel privato vel communi conventus nomine, testamento quidpiam relinquat. Contrafacientes tamquam proprietarii puniantur, et si Superiores fuerint, officio priventur.

Quod hoc art. statuitur **de non inducendo professuro ad dandum,** sive Ordini (provinciae, conventui) in communi, sive Ordinis Fratribus in particulari, aequipollens praeceptum est cap. 2 Regulae, quo prohibetur tam Superioribus quam Fratribus omnis sollicitudo, inductio, postulatio, omnisque actio quovis nomine dicatur, quae aliquo modo praeiudicat aut praeiudicare potest li-

(1) Cfr. Sanchez, in Decal. lib. VII cap. 6 nn. 16, 17, 20; De Lugo, *De iustitia* disp. III, nn. 115, 120, 121.

(2) Cfr. Piatus tom. I, qu. 149.

(3) Cfr. Piatus tom. I, q. 147; cfr. etiam causa Syracusana relata a Bizzarri, *Collectan.* p. 104.

bertati professuri in disponendo de bonis suis. Hinc cavere debent omnes

a) ne formaliter et directe aut inducant professuros ad dandum sibi, aut intromittant se suadendo et consulendo in bonis distribuendis; quod et observandum etiam professuro consilium petente, quo casu ex Regula dirigi debet professurus ad personam aliquam Deum timentem, quae sit alterius status, i. e. non Frater Ordinis, nec Fratrum consanguineus, nec syndicus apostolicus, aut similis conditionis;

b) ne indirecte agant in professurum bona distribuentem, proprias vel aliorum extra Ordinem necessitates commendando vel exponendo; possunt tamen pauperes in genere commendare, cum contineatur in verbo S. Evangelii ut studeant bona sua pauperibus erogare;

c) imo ne in professuri quoad bonorum distributionem consultorem sive directe sive indirecte agant; hoc ipsum foret simpliciter inducere et sollicitare consultore mediante professurum contra puritatem Regulae et Fundatoris intentionem (1). — Ut autem in his et similibus peccetur graviter, debet esse materia gravis, graveque libertatis praeiudicium, iuxta quod docet Croussers (2) lect. 3 ad cap. 2 Regulae, non esse transgressionem mortalem, nisi quando ex ipso consilio vel modo quo proponitur libertas novitii notabiliter imminui posset, vel gravis nota cupiditatis incurri.

Licite tamen possunt Fratres a professuro « recipere, consideratis scil. eorum necessitatibus et moderationibus Declarationis iam dictae [i. e. Nicolai III], si quid de bonis suis intrans, sicut ceteris pauperibus, per modum eleemosynae libere velit dare ». Ita declaravit Clemens V art. 4, 3, hoc unum addens: « Cavere tamen in acce-

---

(1) Ita ex Declar. Clementis V Marchant, cap. 2. tit. 1 qu. 12 et 15-17; Kazenberger, cap. 2 qu. 2, Resp. 4 et 5; Gabriel-Angelo da Vicenza, cap. 2 § 5 et 6.

(2) Apud Kerckhove, cap. 1 § 14 n. 13.

ptione oblatorum talium decet Fratres, ne ex receptorum quantitate notabili praesumi possit sinister oculus contra ipsos ». Patet igitur iusto rigidius docere Sanctorum de Melfi ad hoc statutum scribentem: « Quia evangelicae paupertatis candor novitiorum donationibus offuscari possit, etiam quae ab aliis petere possumus, a novitiis recipi non permisit » S. Fundator. — Praeterea professuro iam volenti et determinato eleemosynam dare conventui licet necessitates conventus declarare, imo unam prae aliis suadere, etiamsi ad aliam esset inclinatus; similiter professuro iam volenti et determinato dare aliqua bona pauperibus, indifferenti autem in quos elargiatur, possunt Fratres offerre et commendare aliquos externos veros pauperes, modo importunitas absit; huiusmodi actionibus neque directe neque indirecte sese intromittunt Fratres in distributionis substantiam ad quam ex supposito iam erat determinatus professurus, nec affectus ad res ipsius in Fratribus praesumi potest (1).

Nota. In litteris Encyclicis *Neminem latet* sub 2 (2) concessa est **facultas differendi professionem solemnem** ex iustis et rationabilibus causis. Huiusmodi autem causae non requiruntur absolute graves, sicuti superius ad art. 85–88 sub 2 dictum est de dimissione, siquidem dimissione multo levior est dilatio; sed sufficit quodlibet motivum suadens ulteriorem probationem, cuius solius ratione (non v. g. ad poenam stricte dictam) ex mente S. Sedis concessa videtur differendi facultas.

Dilationis terminus aetas est annorum viginti quinque expletorum; qui terminus iure meritoque ceu generalis norma est constitutus; in tam matura enim aetate probatio ulterior generatim loquendo nihil proderit. Huius autem termini constitutio tam stricte est intelligenda, ut eundem praetergredi, nisi ex S. Sedis licentia speciali,

---

(1) Cfr. Kazenberger, cap. 2, q. 2. Resp. 4, ex Marchant, cap. 2, tit. 1, qu. 14.

(2) Cfr. *Monumenta* p. 83.

non liceat, nequidem si quis in fine triennii votorum simplicium 25 annos explens nondum sufficientia argumenta de sua vocatione dederit; et in huiusmodi casibus particularibus, in quibus aliqua peculiaris causa concurrat, ad S. Sedem est recurrendum (1).

In dubio igitur de vocatione simpliciter professi, qui aetatem 25 annorum iam explevit, in praxi procedatur hoc modo: Si adsit dimittendi causa sufficiens, dimittatur; secus ad solemnem professionem admittatur, nisi concurrat causa aliqua peculiaris pro opportuno remedio recurrendi ad S. Sedem.

Praedicta intelligenda sunt de dilatione stricte dicta, quae nempe fit per longius quoddam tempus ad ulteriorem probationem; nihil enim impedire videtur, quominus ob speciales circumstantias, v. g. ob festivitatem proxime sequentem, per aliquot dies solemnis professio differatur, etiamsi agatur de professuro annis 25 maiore; quo in casu applicari posse videtur adagium: « parum pro nihilo reputatur ».

Tandem notandum, dicta de dilatione professionis solemnis hodiedum valere de solis clericis; laici enim, ut dicetur infra in commentario ad art. 92, professionem solemnem valide emittere non possunt nisi, servatis ceteris servandis, expleto trigesimo aetatis anno, exclusa tamen, absque speciali S. Sedis indulto ulteriore dilatione, nisi forte agatur de dilatione aliquot dierum, ut dictum est.

§ XI.

De professione votorum solemnium.

92. Professio solemnis valide emitti nequit, nisi professurus antea vota simplicia rite emiserit et si clericus sit, in eis per integrum saltem trien-

(1) S. C. super Statu Regul. 16 Aug. 1866; cfr. *Monumenta* p. 87 A.

nium perstiterit; si vero laicus, sexennium votorum simplicium absolverit et trigesimum aetatis annum expleverit.

Ad **validam solemnis professionis emissionem**, praeter communes professionis validae conditiones (1), speciatim requiritur imprimis pro clericis integrum triennium in professione votorum simplicium, ex Pii IX Decreto *Neminem latet* 19 Mart. 1857 coll. eiusdem Const. *Ad universalis* 7 Febr. 1862 (2) et pro laicis integrum sexennium votorum simplicium una cum expleto trigesimo aetatis anno ac non prius, ex S. C. de Religiosis Decreto *Sacrosancta* 1 Ian. 1911 sub nn. 4 et 5 (3); ex vigenti autem iure, statuto per Decretum S. C. de Religiosis 3 Maii 1914, n. 1 (4), triennii et sexennii respective integritas non stricte de hora ad horam, sed de die in diem intelligi debet, ita ut valida sit professio solemnis facta non ante diem, licet ante horam emissae professionis simplicis; deinde, ex S. C. super Statu Regul. Decreto 12 Iun. 1858 XI, solemnis professio expressa sit oportet, ita ut professio tacita omnino sit abrogata. — Num solemnis professionis validitati obstet ipsa sim-

---

(1) Cfr. dicta ad art. 82 Nota.

(2) Cfr. *Monumenta* pag. 83 et 86.

(3) Cfr. *Monumenta* pag. 94; Vermeersch *Periodica* tom. V pag. 274 sqq. et pag. 280 sqq. Notandum vero ea quae in hoc Decreto respiciunt professionem votorum simplicium et solemnium, esse quoque servanda quoad laicos nunc in coenobiis viventes, qui solemnem professionem nondum nuncuparunt (Ibidem sub n. 6): quod iuxta Vermeersch (loc. cit. pag. 281 sub f) intelligendum est, quatenus varia eorumdem ipso die promulgationis (16 Ian. 1911) conditio ferat, scil. qui nondum in novitios cooptati erant subsunt omnibus et singulis dicti Decreti *Sacrosancta* praescriptis, etiam praescripto explendi postulatum ante admissionem ad novitiatum; qui vero iam versabantur in novitiatu, hoc rite expleto, simpliciter profiteri poterunt. Hi autem sicut alii iam simpliciter professi professionem solemnem valide non emittunt, nisi post integrum sexennium votorum simplicium et simul expleto trigesimo aetatis anno.

(4) A. A. S. vol. VI pag. 229.

plicis professionis invaliditas, res incerti iuris videtur (1).

Nota. **Locus professionis solemnis** emittendae, ex S. C. Episc. et Regul. Declaratione 9 Dec. 1858 (2), non praescribitur domus peracti novitiatus, sed emitti potest solemnis professio in conventu, seu domo in qua reperitur professurus, i. e. generaliter in quolibet conventu; hinc nihil obstare videtur, quominus professurus in conventum qui non est actualis habitationis transferatur, ut ibidem solemnem professionem emittat.

93. Minister provincialis nemini facultatem profitendi faciat, nisi prius relationes semestrales serio perpenderit et votum secretum consultivum Discretorii conventus receperit in quo professurus actualiter de familia exsistat. Insuper non negligat alias accuratiores informationes quaerere, si id utile iudicaverit.

Quae huius art. sensu implicito enuntiatur ad solemniter profitendum **necessitas licentiae Ministri provincialis** manifesta est ex rei, de qua agitur, natura ac ex cap. 2 Regulae praecepto (3): quae licentia requiritur specialis pro singulis professuris, et quidem ad validitatem, etiam in casu quo habetur aliquis (v. g. Guardianus conventus) generatim deputatus ad professionem acceptandam. — Probiter autem advertendum nullam omnino hoc art. apponi limitationem potestatis, quae hac in re Ministro provinciali competit; ex quo consequitur ipsi soli (non exclusa tamen superiore Ministri generalis potestate) reservari in admittendo ad solemnem pro-

(1) Legatur causa *Nullitatis professionis religiosae* 6 Ian. 1874 apud *Acta S. Sedis* vol. VIII p. 39 sqq.

(2) Cfr. Bizzarri, *Collectan.* (Ed. 1885) p. 857 *Dubium.*

(3) Cfr. comment. in art. 32 *Praenotandum.*

fessionem iudicium definitivum, quo decernatur, utrum tempore suo emitti possit professio, an differri debeat, an vero de dimissione sit agendum. — Quo in iudicio ferendo ut rationabiliter procedat Minister provincialis, debet, ex huius art. praescripto, imprimis serio perpendere relationes semestrales, de quibus agitur infra, art. 106, — deinde exquirere Discretorii conventus, ad cuius familiam de iure pertinet professurus, votum secretum, cui tamen, utpote consultivo tantum sese conformare non tenetur, — tandem ea insuper adhibere media, quae pro sua conscientia necessaria et opportuna duxerit ad indagandam professuri idoneitatem. Hinc nulla in Ordine nostro necessitas est audiendi, pro admissione ad vota solemnia, Capitulum conventuale, quippe cuius requisiti in Constitutionibus non fit mentio (1).

Nota. Professio solemnis tam excellentis meriti apud Deum opus est, ut profitens in statu gratiae consequatur ex opere operantis remissionem poenae omnium peccatorum antea commissorum et quoad culpam remissorum: hinc qui facta professione statim decederet, directe in paradisum tenderet, ut cum D. Thoma (2) tenent omnes DD. quos citat et sequitur Sanchez (3). Cuius effectus fundamentum praecise non est indulgentia plenaria a Sede Apostolica concessa (4), sed ipsa professionis

(1) Nec obstat S. C. super Statu Regul. Declaratio 7 Febr. 1862 (cfr. *Monumenta* p. 91); ibidem enim non agitur de communi Regularium lege apostolica (quae lata nulla ratione demonstratur), sed de praxi Ordinis FF. Praedicatorum propria. Quod autem praedictam Declarationem « Sanctitas Sua etiam ad alios Ordines et Instituta extendit et extensa esse declaravit », id imprimis intelligendum sensu conditionato, quatenus scil. in respectivo Ordine eadem praxis ex propriis Constitutionibus vel ex legitima consuetudine observatur; deinde et hoc sensu absoluto, ut in admittendo ad vota solemnia iudicium decisivum competat exclusive Ordinum Superioribus, observatis tamen Apostolicis Constitutionibus.

(2) 2. 2. qu. 189 art. 3 ad 3.

(3) In decalogum cap. 5 n. 2.

(4) Cfr. dicta ad. art. 38 *Nota*.

gratia Dei et charitate formatae excellentia, quae singularem omnino includit pro peccatis satisfactionem. Infallibilis tamen hic professionis effectus non est; siquidem illi soli vi professionis remittitur tota poena, cuius professio est condigna satisfactio pro eadem tota poena prius debita; ast — ut notat D. Thomas loc. cit. — fieri potest, ut ex una parte tam magnus sit poenae reatus, et ex altera tam remissus actus charitatis, religionis et aliarum virtutum in eo qui professionem emittit, ut professio non sit condigna satisfactio. — Si quaeratur, num eumdem effectum producat et professionis renovatio, ex utraque parte certant plures DD. Quidquid autem est de hac controversia, « nihilominus — ait Passerini — quia negari non potest quin renovatio professionis sit opus excelsum, negari etiam non potest quin sit magnae virtutis et satisfactionis: sed res Deo est nota, et ex magnitudine reatus poenarum et fervoris renovationis professionis iudicanda (1) ».

94. Iuvenes quos exemptos esse certo non constet a servitio militari activo, scilicet ab eo servitio quod ipsi primitus ad militiam vocati per unum vel plures annos praestare debent, neque valide ad solemnem professionem, neque ad sacros ordines licite admitti possunt, nisi, tali servitio expleto, saltem per annum in votis simplicibus adhuc permanserint. Caeterae quoque praescriptiones S. Sedis circa Religiosos servitio militari adscriptos fideliter observentur.

Quae hoc art. statuuntur **de Religiosis servitio militari adstrictis** recepta sunt ex Decreto S. C. de Religiosis *Inter reliquas* 1 Ian. 1911 cum Declarationibus

(1) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 14 nn. 21-23; Piatus, tom. I qu. 184. *Quintus effectus.*

1 Febr. 1912 (1). — Pro huius art. clariore intellectu notandum:

1. Respicit cit. Decretum iuvenes Religiosos clericos et laicos, quos certe non constat esse exemptos a servitio militari activo: activum autem dicitur servitium, quod a primitus ad militiam vocatis ad unum vel plures annos continue praestari debet, et distinguitur a servitio supplementario, quod post finitum servitium activum durantibus aliquot annis hic et nunc praestandum exigitur per aliquot dies vel hebdomadas.

2. Statuitur, ut praedicti Religiosi iuvenes nequeant licite promoveri ad sacros ordines, neque valide admitti ad professionem solemnem, nisi *a)* aut activum servitium peregerint, aut aliunde ab eodem certo sint exempti, ac insuper *b)* post definitivam dimissionem a servitio activo compleverint, cum legitima aetate quoad laicos, integrum tempus in votis simplicibus praemittendum votis solemnibus, ita tamen ut computetur quidem tempus in votis simplicibus peractum a prima votorum emissione usque ad discessum e domo religiosa servitii militaris causa, non vero quod militiae datum fuit. — Quòdsi ex tempore in professione simplici transigendo nihil supplendum superest, aut tempus quod supplendum superest anno brevius est, nihilominus semper per integrum annum in votis simplicibus permanere debent antequam ad sacros ordines vel professionem solemnem admitti possunt (cit. Decretum I, II, VI, VII coll. cit. Declar. ad III et IV). — Notanda duplex exceptio: imprimis, in casu quo quis servitio militari activo addictus fuit per spatium temporis brevioris anno, non requiritur ut post definitivam ab eodem dimissionem integer annus defluat antequam ad solemnem professionem admittatur, sed sufficit temporis spatium correspondens tempori in servitio militari transacto, dum-

(1) *Monumenta* pag. 104-108; cfr. Vermeersch *Periodica* tom. V. pag. 282 sqq. et tom. VI pag. 199.

modo semper compleverit triennium aut sexennium a clericis aut a laicis respective praemittendum solemni professioni; — praeterea ex concessione S. C. licet, ultimo studiorum curriculi anno, iuvenes ad sacras missiones intra annum profecturos ad solemnem professionem admittere et ad sacros ordines promovere, emisso prius ex parte candidati iuramento de servitio missionibus praestando usque ad tempus praefinitum a lege civili ad exemptionem obtinendam, et onerata Superiorum conscientia de eius executione (cit. Declar. ad V et VI).

3. Observandae sunt variae cautelae pro tempore militiae praescriptae in cit. Decreto III, IV et V.

Tandem notandum, in singulis casibus ad S. C. de Religiosis esse recurrendum, si quid novi in hoc Decreto non praevisum, vel si quid dubii in ipsius intelligentia occurrerit (cit. Decr. X).

Nota. Quum in praedicto Decreto de sola agatur admissione ad professionem solemnem et ad sacros ordines, concludendum videtur, etiam in casu nihil immutatum esse ex iis, quae de emittendis votis simplicibus iure sunt statuta: hinc expleto novitiatus anno etiam ii, qui certo sciunt fore ut ad militiam vocentur, iuxta iuris praescripta ad professionem simplicem admitti possunt, imo et debent; etenim ex S. C. Episc. et Regul. 21 Aprilis 1871 ad supplicem libellum delatum ab Ordine Cisterciensium Reformatorum de Trappa « Sanctitas Sua gratiam ut petitur [scil. ut concedatur Superioribus facultas novitiatum continuandi donec cesset periculum] haud concedendam esse existimavit»; quae autem ex eodem rescripto Pontifex indulsit, suapte natura praefati Cisterciensium Ordinis sunt propria, sicuti et S. C. Episc. et Regul. responsa 2 Sept. 1896 ad dubia de cit. rescripti vero sensu et intelligentia ipsi proposita (1).

(1) Cfr. *Acta S. Sedis* vol. XXIX p. 436 et seq.

95. Ante professionem solemnem adamussim observari debent quae pro professione votorum simplicium sunt praescripta quoad exercitia spiritualia peragenda, SS. Communionem suscipiendam et protestationem de pura Regulae observantia praemittendam.

Quae hoc art. **solemni professioni praemittenda** statuuntur observari debent ad normam, quae ad art. 80 et 81 est explicata.

96. Ipsa professio facienda est in manibus Ministri provincialis vel alterius Patris ab ipso in scriptis delegati, iuxta normam praescriptam in Rituali Ordinis.

Edicitur hoc art. **legitima auctoritas acceptandi** ex parte Ordinis solemnem professionem, ac determinatur **norma servanda** in eadem emittenda. Cfr. dicta ad art. 81.

97. Post professionem fiant attestationes in libro ad hoc destinato, prout n. 83 dictum est.

In conscribenda hac **professionis solemnis memoria** observanda quae praescripta reperiuntur art. 83 ob eamdem, quae ibidem explicatur, rationem.

Scholion. In casu **nullitatis professionis,** quacumque ex causa canonica praetensae, generatim proprio arbitrio, a Religione discedere quis non potest (1); verum dummodo huiusmodi nullitas rationibus innitatur saltem vere probabilibus, in foro conscientiae nonnisi ratione scandali vitandi ligatur status religiosi obligationibus. — Neque Religio Regularem e conventu dimittere vel eiicere potest in casu, nisi postquam de praetensa nullitate per legitimum iudicium constiterit; secus Superiores reli-

(1) Cfr. Conc. Trid. Sess. 25 *De Regularibus* cap. 19.

giosi, qui aliter eiiciunt professos, ipso facto absque alia declaratione incurrunt suspensionem a divinis, privationem officiorum obtentorum atque perpetuam inhabilitatem ad alia obtinenda, privationem quoque vocis activae et passivae (1). — **Remedium** autem (nisi quaeratur in extraordinario ad S. Sedem recursu) ordinarie quaerendum aut in professione debito modo convalidanda, aut in reclamando contra eiusdem valorem. Porro in casu certitudinis, vel saltem fundati dubii de professionis nullitate aliquod remedium necessario esse adhibendum demonstrant non solum iniuria quae secus Religioni infertur illegitime in eadem permanendo ac eiusdem commodis fruendo, sed et sequelae secus oriturae: nam (supposita professionis nullitate) professus in casu ad sacros ordines sine titulo et sine litteris dimissoriis legitimi Praelati promovebitur, dispensationes et absolutiones virtute privilegiorum Religionis obtinebit, peccata confitebitur confessario forte non approbato nisi a solo Superiore Religionis, non autem ab Ordinario, consequenter invalida erit confessio, feret vota professorum, dabit suffragia in Capitulo, suscipiet Ordinis officia etc., et sic plures actus saltem per se non subsistentes exercebit (2).

1. **Professionis invalidae convalidatio** olim admittebatur etiam tacita (3); at ex disciplina vigente convalidatio admittenda saltem in praxi non videtur, nisi, impedimento ecclesiastico (si quod adsit) prius sublato, sive ex sese sive ex dispensatione apostolica, professio legitime repetatur et ex parte Ordinis denuo acceptetur (4); at non necessario repetendae consuetae ceremoniae, quippe quae non sunt de substantia; adhibendi autem saltem duo

---

(1) Cfr. Wernz, tom. III n. 670 ex S. C. C. 21 Sept. 1621 iunct. Urbani VIII Const. *Ad occurrendum;* Kerckhove, cap. 1 § 1 n. 98.

(2) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 1 n. 103.

(3) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 1. nn. 110-115; Reiffenstuel, lib. III tit. 31 n. 213 sqq., Piatus tom. I qu. 168.

(4) Cfr. *Acta S. Sedis* vol. V p. 412 in nota (2). At specialibus in circumstantiis a S. Sede concedi solet et professionis sanatio in radice.

testes (1), necnon professionis denuo emissae, ut eiusdem habeatur iuridica probatio, attestationes conscribendae ad normam art. 97 et art. 83. Verum ut in casu etiam novitiatus repetitio fiat ex communi DD. necesse non est (2), nisi forte et ipse substantialiter vitietur, quo casu (nisi obtineatur dispensatio apostolica) ante professionem repetendam etiam novitiatus repetendus in tantum, ut quatenus fieri potest, vitium pro varietate casus tollatur, atque ita professioni repetendae praecesserit annus novitiatus legitimus, i. e. integer ac continuus factus in aetate canonica et in conventu designato (3).

2. **Reclamatio contra professionem** intelligitur ius coram legitimo iudice professionis nullitatem probandi intra certum tempus a iure definitum, ut etiam in foro externo quis liberetur ab oneribus Religionis, ad quae alias teneretur, si professio subsisteret. Quo reclamandi iure potitur quicumque Regularis qui invalide professus est, quacumque ex causa nullitas proveniat (4), atque non reclamante Religioso professo iure eodem fruitur Religio, prout ex Urbani VIII Decreto *Ad occurrendum motibus* 5 Ian. 1636 et pluribus subsequentibus S. C. C. Declarationibus docet communis DD. (5), quae sententia a Benedicto XIV (6) fuit canonizata. Ad haec notandum, iuxta sententiam communem, mortalis culpae reum constitui, qui scienter contra professionem validam reclamat, illumque poenis contra apostatas latis subiacere; item mortaliter peccare qui dubius de validitate suae professionis contra eamdem reclamat (7); quod tamen intelligendum non

---

(1) Cfr. Reiffenstuel lib. III tit. 31 n. 225.

(2) Cfr Reiffenstuel, ibid.; Kerckhove, cap. 1 § 1 nn. 116 et 117.

(3) Cfr. Piatus tom. I qu. 175.

(4) Conc. Trid. Sess. 25 *De Regularibus* cap. 19; cfr. Reiffenstuel, lib. III tit. 31 n. 195; Ferraris, verb. *Regularis professio* n. 65.

(5) Cfr. Fagnanus in cap. *Nullus* 1 *De Regularibus* n. 28 sq.

(6) Const. *Si datam* 4 Mart. 1748.

(7) Cfr. Piatus tom. I qu. 177 *Praenotandum;* Kerckhove, cap. 1 § 1. n. 102.

videtur hoc sensu, ut non liceat competenti auctoritati simpliciter manifestare rationes, quae contra professionis validitatem militare videntur.

Reclamatio huiusmodi ut legitime fiat, ex Conc. Trident. (1) et Benedicti XIV Const. *Si datam* 4 Mart. 1748, haec quae sequuntur sunt attendenda:

a) Ut ante deductionem et probationem irritae professionis coram legitimo iudice faciendam habitum non deponat Religiosus reclamans, nec etiam absque licentia Superioris cum habitu propria auctoritate discedat; secus nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittendus, sed ad monasterium redire cogendus, et tamquam apostata puniendus: interim vero nullo privilegio suae Religionis iuvetur. Quod tamen ex DD. interpretatione intelligendum cum duplici limitatione, nisi scil. aut ad suae Religionis claustra redierit et habitum regularem reassumpserit, aut forsan iustam causam cum vel sine habitu fugiendi ac discedendi habeat, eo quod v. g. alias causam suam debite proponere nequit (2). — Quod idem dicendum de restitutione in integrum (de qua inferius sub c), quae etiam non conceditur Regulari, qui cum vel sine habitu illegitime extra claustra moratur.

b) Ut causa deducatur coram Superiore regulari et Ordinario, excepto casu privativae competentiae S. C. C. reservato, quo nempe professio eam ob causam impugnatur quod novitiatus in conventu ad hoc non designato fuerit peractus (3). Superior autem regularis, ex communi DD. interpretatione, intelligitur in casu immediatus Praelatus pro tempore existens illius conventus in quo Regularis reclamans emisit professionem; nomine autem Ordinarii venit Episcopus in cuius

---

(1) Sess. 25 *De Regularibus* cap. 19.

(2) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § 1 n. 108; Reiffenstuel, lib. III tit. 31 n. 190; Ferraris verb. *Regularis professio* nn. 67-70.

(3) Cfr. Urbani VIII Const. *Ad occurrendum* 5. Ian. 1636, de cuius Const. interpretatione legesis Ferrari verb. *Regularis professio* n. 76.

dioecesi existit conventus, in quo professionem Regularis emisit. Verum hac in re servanda est locorum et Religionum consuetudo, quae (teste Kerckhove) apud nos talis est, ut haec reclamatio fiat coram Provinciali, aut etiam si ipse velit coram Superiore immediato, licet nec ipse professionem admiserit nec in admittentis locum successerit, et coram Episcopo loci in cuius dioecesi situs est conventus, in quo de facto habitat Religiosus reclamans; cum enim nos non habemus fixos et determinatos conventus, quos continuo inhabitemus, prout habent monachi, et solius Provincialis sit ex Regula ad Ordinem recipere, patet communem interpretationem nos non concernere. — Porro deductio causae fieri debet coram Superiore regulari et Ordinario coniunctim; et haec facultas cognoscendi causam nullitatis professionis coniunctim cum Episcopo competit Superiori regulari etiam in casu, quo Religio se opponit et contradicit. Hinc Superior solus procedens nihil agit, nec etiam totum negotium Episcopo soli finiendum committere potest; verum potest delegare alium virum ecclesiasticum iuris canonici peritum, qui cum Episcopo procedat (1). — Ad haec notandum, ex disciplina vigente causas nullitatis professionis facile iam in prima vel saltem secunda instantia deferri ad S. Sedem.

c) Ut causa nullitatis proponatur intra quinquennium tantum a die professionis inclusive computandum, ita tamen ut causa intra quinquennium coepta, licet inde deserta, etiam post quinquennium continuari vel etiam moveri denuo, ac ab Ordinario et Superiore regulari iudicari possit. Quae lex de solo quinquennio ad legitimam actionem concesso, ex communiore (contra plures) DD. sententia ac repetitis S. C. C. Declarationibus confirmata (2), est servanda, etiamsi ignorantia nullitatis

---

(1) Cfr. Kerckhove, cap. 1 § I n. 109; Reiffenstuel. lib. III tit. 31 nn. 196-199; Ferraris, verb. *Regularis professio* nn. 71-75.

(2) Cfr. et Pii IX Const. *Peculiaribus* 26 Ian. 1856 pro Sicilia, apud Bizzarri *Collectan.* (Ed. 1885) p. 134 sq.

vel impedimentum reclamandi per totum quinquennium perdurasset. — Verum quinquennio inutiliter elapso habetur remedium restitutionis in integrum a S. Sede petendae, quo beneficio obtento causa nullitatis cognosci et discerni possit; in cuius beneficii exposcendi libello supplici exponenda causa nullitatis professionis una cum petitae gratiae causa, quae duplex praecipua memoratur, scil. ignorantia nullitatis professionis, ac impotentia instituendae quaerelae in decursu quinquennii (1).

3. **Forma procedendi**, etiam nunc saltem in substantialibus servanda, definita est cit. Benedicti XIV Const. *Si datam*, ex qua conficiendus est processus vere et proprie dictus iudicialis cum interventu defensoris professionis legitime constituti. In cuius iudicii prima instantia si Ordinarius et Superior regularis dissentiant, causa definienda devolvitur ad Apostolicam Sedem. Lata sententia pro validitate professionis, causa finita est nisi actor appellet; verum a lata sententia pro nullitate professionis appellare debet defensor professionis, ac nisi duplex sententia conformis de nullitate habeatur, professio invalida haberi non potest, nec proinde professus e claustris discedere vel dimitti. — Similiter in dicta Const. ordinatus est processus conficiendus de concedendo a S. Sede beneficio restitutionis in integrum; at ex disciplina vigente, ut temporis brevitati et sumptuum moderationi consulatur, annuente S. Pontifice, utraque quaestio de restitutione in integrum et de nullitate professionis simul, proposito distincto dubio, apud S. Sedem tractari solet.

Post finitum processum, si revera professio legitime fuerit declarata nulla et irrita, non leves aliae manent quaestiones solvendae: imprimis de obligatione ex praesumpto voto castitatis (2), saepe etiam de rebus tem-

---

(1) Cfr. Kerckhove, cap. 1. § 1 n. 107; Reiffenstuel, lib. III tit. 31 nn. 200-204: Ferraris verb. *Regularis professio* nn. 77-79; Santi, *Praelect. Iur. Can.* lib. III tit. 31 nn. 35 et 36.

(2) Cfr. Piatus tom. I qu. 176; Bouix, tom. I p. 642. cap. 11.

poralibus ob nullitatem professionis denuo ordinandis (v. g. de dote et de donationibus intuitu professionis factis), ac aliquando de convalidando matrimonio forte ab altero coniuge contracto. — Si vero Regularis reclamans contra professionem causa cadat, eo quod nullitatem allegatam plena certitudine probare non potuerit, Rom. Pontifex per dispensationem conscientiae consulere solet. Qua dispensatione et illi Regulari succurri potest, qui suam professionem nullam esse certo scit, sed in foro externo certas probationes afferre non potest, neque irritam professionem ratificare seu convalidare vult, ad quod nullo iure tenetur (1).

Nota. **Professio votorum simplicium invalida** pariter per sententiam iudicialem nulla declarari potest. Quo in iudicio forma a Benedicto XIV cit. Const. *Si datam* de sola professione solemni praescripta non est necessario servanda; imo nec processus nec forma iudicii requiritur, sed sufficit si procedatur sola facti veritate inspecta sive summatim cognita. Cfr. S. C. super Statu Regul. 12 Iun. 1858 n. IV et V. At ut plurimum huiusmodi causae, quibus persona religiosa vel Institutum religiosum praetendunt nullitatem simplicis professionis et postulant solutionem vinculi contracti cum Instituto religioso et liberationem a votis, potius expediuntur per viam dimissionis et dispensationis saltem ad cautelam datae, servatis legibus proprii Instituti et Decretis pontificiis (2).

§ XII.

De clericorum spirituali educatione.

98. Emissa professione votorum simplicium, Fratres clerici ad studia promoveri debent, et quidem in conventibus in quibus regularis observan-

(1) Ita Wernz, tom. III n. 671 *Scholion* et nota (551); cfr. Bouix, tom. I p. 631 cap. 10; Reiffenstuel, lib. III tit. 31 nn. 205-211; Kerckhove, cap. 1 § 1 n. 106.

(2) Ita Wernz, tom. III n. 673.

tia perfectius viget et ubi locus a communitate separatus, cum requisitis ad novitiatum n. 44 descriptis, ipsis destinetur.

99. Ad quem locum aditus ordinarie nonnisi Superioribus et magistris pateat; studentibus inde egredi, sine magistri venia, non liceat.

1. Decernitur hoc art. **necessitas ad studia promovendi Fratres clericos** saltem in novo cursu emissam votorum simplicium professionem proxime sequentem; ita ut Superioribus integrum non sit alicui clerico aliam mandare occupationem: porro promovendi sunt singuli ad hoc studium, quod ipsorum scientiae congruit.

2. Praeterea **studiorum loca** designanda provide statuuntur soli conventus, in quibus regularis observantia perfectius viget, ut iuvenes professi religiosae conversationis exemplo communi incitati ac praxi propria exercitati vitae sanctitate non minus quam doctrina in dies magis augeantur. Cfr. dicta ad art. 45.

3. Tandem praescribitur, ut ipsis destinetur in habitationis conventu **locus a communitate separatus** cum requisitis ad novitiatum art. 44 descriptis.

100. Clerici omnes et sacerdotes studentes, quoad religiosam disciplinam, sub omnimoda dependentia magistri, in capitulo vel in congressu definitoriali instituti, maneant; qui diligenter eos instituat curetque ut a consortio caeterorum Fratrum arceantur, in timore Dei et in observantia omnium quae Domino promiserunt contineantur ac in spiritu in novitiatu concepto magis magisque confirmentur, necnon ut clerici ad onus sacerdotale assumendum gradatim praeparentur.

101. Semel saltem in hebdomada magister specialem instructionem studentibus praebeat, sacram

Regulam et Constitutiones plenius explanando, vitae quoque sacerdotalis excellentiam et obligationes exponendo et interpretando. Sacros ritus et caeremonias eos practice doceat et recollectionem spiritualem semel in mense per integrum diem festivum cum eis instituat.

102. De lectione spirituali a singulis quotidie peragenda magister debitam curam gerat, atque in eligendis operibus magis probatis, praesertim auctorum Ordinis nostri, consilio eos adiuvet. Una cum lectoribus invigilet ne libros aliasve publicationes sanam doctrinam haud tradentes, aut quovis modo praescriptionibus Sedis Apostolicae adversantes legant.

Hisce art. statuitur **habenda specialis cura Fratrum studentium**, etiam sacerdotum: quod praescriptum receptum est ex Clementis VIII Decreto *Cum ad regularem* (1). Nec immerito tanta ab antiquo, uti et moderno tempore geritur cura, ut non modo novitii, sed vel maxime iuvenes professi imbuantur virtutum habitibus, quum ab eorum bona vel mala educatione dependeat aut Religionum splendor et primaevus fervor, aut earumdem omnimoda deformatio et deploranda auri optimi obscuratio; quid enim iuvabit aspera et dura novitiorum educatio et vigilans circa ipsos magistri inspectio, si mox ut professi sunt negligantur ac sibimetipsis dimittantur? « Puer — inquit S. Bonaventura — qui dimittitur voluntati suae confundit matrem suam Religionem »; etenim planta, quae radices non fixit, facile evellitur: virtutis semina, etiamsi in terram bonam iactata, si non colantur custodianturque, ex naturae impetu herbis noxiis suffocantur, et inimici astu perniciosis zizaniis implicantur (2).

(1) Cfr. *Monumenta* p. 80 nn. 27 et 28.
(2) Kerckhove, cap. 1 § 16 n. 1.

Speciatim notanda prohibitio a Pio X Motu proprio *Sacrorum Antistitum* alumnis in seminariis et ecclesiasticis collegiis facta legendi diaria quaevis et commentaria quantumvis optima (1), quae prohibitio, ex S. C. Consist. 25 Sept. 1910 ad IV (2), etiam extenditur ad iuvenes Regulares in monasteriis et in Congregationibus studiis operam dantes.

Quoad huius prohibitionis intellectum attendenda est epistola Emi Secretarii S. C. Consist. die 20 Oct. 1911 data ad Emum Archiepiscopum Strigoniensem (3), in qua epistola haec leguntur: « Porro SSmi Domini Nostri mens est, ut firma sit lex, qua prohibetur ut diaria et commentaria, etiam optima, quae tamen de politicis rebus agunt quae in dies eveniunt, aut de socialibus et scientificis quaestionibus quae pariter in dies exagitantur quin adhuc de iis certa sententia habeatur, haec, inquam, in manibus alumnorum seminarii libere non relinquantur. Nil tamen vetat quominus Superiores seminarii aut magistri, si agatur de quaestionibus scientificis, legant alumnis aut legendos articulos in sua praesentia tradant eorumdem diariorum et commentariorum, quos ad alumnorum instructionem utiles vel opportunos censent.

Commentaria vero in quibus nil contentionis continetur, sed notitias religiosas, S. Sedis dispositiones et Decreta, Episcoporum acta et ordinationes referunt, vel alia quae quamvis periodica non aliud sunt quam lectiones ad fidem et pietatem fovendam utiles, haec, inquam, possunt, probantibus seminarii moderatoribus, prae manibus alumnorum relinqui tempore a studio et ab aliis praescriptis officiis libero ».

103. Studentium nemini facultas fiat e conventu exeundi propter negotia particularia vel

(1) A. A. S. vol. II, pag. 668.
(2) A. A. S. vol. II, pag. 740.
(3) A. A. S. vol. II pag. 855 seq.

etiam communitatis. De consensu tamen Superiorum, iusta recreationis causa, liceat illis interdum deambulatum collegialiter ire, magistro vel alio sacerdote ipsos comitante.

104. Exeundi ad invisendos parentes vel propinquos facultas ipsis non fiat; neque ad alios conventus mittantur sine gravi causa; cauto ut probatus Pater erga ipsos ibi magistri vices gerat.

Cavetur hisce art. **ne studentibus fiat facultas exeundi e conventu,** maxime ad invisendos parentes vel propinquos, excepta tamen causa opportunae, iuxta Superiorum iudicium, deambulationis, quae nonnisi collegialiter fiat. — Ratio habetur ex eo quod facultas exeundi importune facta non solum studentium mentem a studiis distrahit, sed et fructus spiritualis educationis facile impedit.

105. Ut clericorum quisquam, ante solemnia vota, ad conversorum statum transire valeat, Ministri generalis et eius Definitorii ipsiusque clerici consensus requiritur.

Agitur hoc art. **de transitu a statu clericali ad laicatum,** cuius transitus legitimitas nititur auctoritati DD. qui huiusmodi transitum, iusta causa concurrente cum sola Praelati regularis licentia, observatis (si quae sunt) cuiusque Ordinis hac de re statutis, fieri posse satis communiter docent (1). Porro ad hoc requiritur, ex DD. doctrina et huius art. praecepto:

a) Ut agatur de alumno novitio, vel simpliciter tantum professo (2). Post professionem solemnem nonnisi ex S. Sedis indulto quantumcumque etiam existente causa,

---

(1) Cfr. Ferraris verb. *Transitus* n. 9.

(2) Uterque supponitur non constitutus in maioribus ordinibus, uti communiter fit; qui enim saltem subdiaconatu est initiatus ad statum laicalem reduci non potest in casu.

e clericatu ad laicatum transmitti quis poterit; ratio esse videtur, quia solemnis professio natura sui inducit stabilitatem in statu assumpto, forsan etiam quia solemniter professus (etiamsi ordinibus sacris non sit initiatus) onere divini Officii recitandi tenetur (1).

b) Ut adsit rationabilis causa, considerata rei de qua agitur gravitate: huiusmodi causa iuxta Sanchez (2) est iusta punitio delicti, ingens desiderium vitae humilioris in Religioso transferendo, et ineptitudo ad addiscendas litteras et ad sacerdotum ministeria.

c) Ut accedat consensus Ministri generalis cum suo Definitorio, qui de sufficientia causae in casu proposito existentis iudicet, necnon ipsius clerici consensus, ex quo patet in Ordine nostro invitum clericum, etiam iusta existente causa ad laicatum transmitti non posse.

Nota. In casu transitus huiusmodi novitiatum iterandum non esse communiter docent DD. « Huic tamen sententiae — ita Piatus (3) — obstare videntur plures S. C. Episc. et Regul. decisiones, quae forte huic innituntur rationi, quod aliae sint austeritates vitae clericalis, aliae vitae laicalis. Insuper ipsimet plures adversarii asserunt ita anno 1618 decisum fuisse a S. Congregatione Concilii ».

106. Bis in anno scholari Guardianus cum magistro et lectoribus de vita et moribus ac de profectu in studiis singulorum studentium accuratam informationem ad Ministrum provincialem transmittant.

De mittenda ex huius art. praescripto **informatione ad Ministrum provincialem** legantur quae ad art. 52 sunt dicta.

---

(1) Cfr. Ferraris, verb. *Transitus* n. 8 in fine. Contra Kerckhove, cap. 1 § 10 n. 10.

(2) Apud Kerckhove, cap. 1 § 10 n. 10.

(3) Tom. I. qu. 108.

§ XIII.

De clericorum ordinatione.

107. Fratres clerici ad ordines promoveri nequeunt, nisi a Guardiano, magistro et lectoribus de probatis moribus et idoneitate habeant testimonium, secretis suffragiis confirmatum. Insuper per Patres ad id designatos de sufficienti scientia diligenter examinentur.

1. Quod hoc art. decernitur **de ordinandis testimonium dandum post diligens examen,** est ad normam duplicis scrutinii ante ordinationem perficiendi ex Decretis Conc. Trid. Sess. 23 cap. 5 et 7 *De reform.;* quod utrumque Decretum ita ad Regulares pertinet, ut, reservato Episcopo ordinanti iure quoad doctrinam et fidem examinandi, si velit (1), Regulares etiam a Superioribus iam examinatos (2), cetera a Superioribus sint inquirenda et de iisdem testificanda, cui attestationi stare debet Episcopus (3).

2. Praedicti **testimonii obiectum** sunt imprimis ordinandorum probati mores, conversatio scil. praeeminenti Ministrorum Christi statu digna, de qua Apostolus I. Tim. Cap. III: « Diaconos — inquit — similiter [oportet esse] pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura »; deinde idoneitas, quae complectitur,

(1) Posse Episcopum acquiescere testimonio Superioris in dimissorialibus expresso de examine instituto communiter docent DD., quorum opinioni favent S. C. Episc. et Regul. 13 Iul. 1730, et S. C. C. 16 Ian. 1595 et 17 Ian. 1692. Cfr. Piatus tom. II qu. 362.

(2) Cfr. Conc. Trid. Sess. 23 cap. 12 *De reform.;* Clementis VIII Decr. 15 Mart. 1596.

(3) Ita DD. et S. C. C. 12 Dec. 1733 apud Piatum tom. II qu. 364, 1° coll. qu. 356, 6°; hinc ad Regulares non spectat Trident. lex de proclamationibus ordinandorum in parochiali ecclesia faciendis.

praeter immunitatem a quocumque impedimento canonico, Confirmationis Sacramentum susceptum (1) — aetatem legitimam, quae est pro prima tonsura et ordinibus minoribus usus rationis satis evolutae (2); pro subdiaconatu inchoatus annus aetatis vigesimus secundus, pro diaconatu vigesimus tertius, pro presbyteratu vigesimus quintus (3), — et scientiam debitam, quae a Conc. Trid (4) definitur prout sequitur: « Prima tonsura non initientur, qui... fidei rudimenta edocti non fuerint quique legere et scribere nesciant: — minores ordines iis, qui saltem linguam latinam intelligant... conferantur: — subdiaconi et diaconi ordinentur... litteris et iis quae ad ordinem exercendum pertinent instructi: — qui ad presbyteratus ordinem assumuntur..., ad populum docendum ea quae sciri omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda Sacramenta, diligenti examine praecedente, idonei comprobentur ».

De his igitur ad legitimam ordinationem requisitis, quae ordinandorum qualitates dicuntur, diligens examen, quantum opus est, instituatur oportet, praesertim vero de sufficienti scientia, ne in scientia debita insufficientes admittantur neve ex eorumdem praesentatione, et rigido Episcoporum examine nostra Religio vituperium patiatur.

Providi ergo huius statuti litterae ac menti satisfacere studeant examinatores et Guardiani cum ceteris, ut sive conversatione religiosa, sive scientia minus digni omnino arceantur.

108. Idonei reperti recipiunt litteras dimissorias a Ministro provinciali, in quibus, inter alia, de studiorum cursibus regulariter expletis explicitum testimonium ipse dare debet.

---

(1) Conc. Trid. Sess. 23 cap. 4 *De reform.*

(2) Pontificale Rom. in rubricis *De ord. confer.;* Conc. Trid. Sess. 23 cap. 4 *De reform.*

(3) Conc. Trid. Sess. 23 cap. 11 *De reform.*

(4) Sess. 13 cap. 4, 11, 13, 14.

1. **Litterae dimissoriae dicuntur,** quibus proprius ordinandi Praelatus vi suae iurisdictionis rogat vel deputat Episcopum iurisdictione non proprium sive specialiter sive generaliter determinatum (1), ut subdito, de cuius idoneitate simul authenticum dat testimonium, ordines conferat. Porro proprium Regularis ordinandi Praelatum intelligi Superiorem regularem constat ex Clementis VIII Decreto 15 Mart. 1596, quod confirmavit Benedictus XIV Const. *Impositi Nobis* 27 Febr. 1747; qui Superior regularis licet ex iure communi intelligi possit Superior etiam localis, tamen ex iure particulari, sicuti in omnibus fere Ordinibus, praesertim mendicantibus, ita et in Ordine nostro ex hoc art. ius concedendi praedictas litteras dimissorias reservatur Ministro provinciali. Superioris autem regularis ius concedendi litteras dimissorias extenditur sine limitatione ad subditos pleno sensu regulares, i. e. ad professos votorum solemnium; quoad professos votorum simplicium restringitur ad primam tonsuram et ordines minores (2).

Nota. Litterae dimissoriae licet videantur imitari formam mandati, tamen revera continent g r a t i a m f a c t a m; hinc morte Praelati concedentis vel cessante eiusdem officio per se et statim non exspirant, nisi ex iusta causa per successorem revocentur antequam effectum consecutae fuerint, aut solummodo conditionate et ad tempus concedantur. Wernz tom. II n. 29 sub IV.

2. **Litterarum dimissoriarum tenor** (3) hic esse debet, ut contineant

1) n o m e n Praelati d i m i t t e n t i s, necnon d e s i g n a t i o n e m Episcopi ad quem ordinandus dimittitur; deinde o r d i n e m, ad quem dimissus subditus est promovendus; — praeterea n o m e n et c o g n o m e n o r d i n a n d i, addito testimonio de eiusdem natalibus, aetate, scientia, moribus, ac libertate ab omni impedimento canonico (4);

(1) Cfr. art. proxime seq.

(2) Cfr. art. 89 cum comment. sub c).

(3) Formula huiusmodi litterarum ex Monacello transcripta habetur apud Lucidi. *De visit. SS. lim.* Doc. 16.

(4) Cfr. Wernz, tom. II n. 29, IV.

2) ex S. C. Episc. et Regul. Decreto *Auctis admodum* 4 Nov. 1892 sub VI testimonium de studiis rite peractis, scil. « quod saltem per annum s. theologiae operam dederint si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium si de diaconatu, et quoad presbyteratum saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo (1) ». Cui praescripto ut plene et rite satisfiat, haec notanda sunt ex S. C. de Religiosis Declarationibus 7 Sept. 1909 (2):

a) Praefatum testimonium respicere debet, praeter determinatos studii theologici annos, etiam studia philosophica seu lycaealia, necnon humaniorum litterarum seu gymnasialia, imo et primaria seu elementaria, quae singula requiruntur ante studium theologicum ordinate, plene et cum fructu peracta, de quo, in transitu ab uno studio ad aliud constare debet per authenticum documentum aut per speciale examen prout in comment. ad art. 19 fuit dictum (cit. Declarat. sub IV).

Determinati anni studii theologici requiruntur completi, i. e. inclusis tamen feriis etiam in fine anni scholaris dari solitis, duodecim mensium, ex quibus saltem novem (3) (computatis etiam feriis per annum) exercitationibus scholaribus cum examinibus destinati esse debent, proindeque abbreviatio quaelibet studiorum, etiam non ex incuria sed ob diminutas vacationes vel ob multiplicatas horas praelectionum, abusiva habenda est, et penitus illicita (cit. Declarat. sub I). — Possunt tamen studentes primi, vel secundi, vel tertii anni promoveri respective ad subdiaconatum, vel diaconatum, vel presbyteratum

---

(1) Cfr. *Acta S. Sedis* vol. 25 p. 314.

(2) Cf. *Monumenta* pag. 109 sqq.; Vermeersch *Periodica* tom. V pag. 46 sqq.

(3) Apud nos, diminutis feriis aestivis (cfr. Constit. genles art. 206, 7°), saltem decem; ex quo consequitur complexum trium annorum (de quo in cit. Declarat. sub II) apud nos comprehendere non tantum integros menses triginta tres (12+12+9), sed saltem triginta quatuor (12+12+10).

statim incoeptis vacationibus in fine anni scholaris dari solitis, quin spatium duodecim mensium complere necesse sit (cit. Declarat. sub II).

b) Studia etiam philosophica et theologica (de ceteris iam dictum est in commentario ad art. 17) ut valorem habeant legalem, seu qui sufficiat ad licite dandas et licite acceptandas litteras dimissorias ad sacros ordines, imprimis requiruntur peracta publice in scholis (comprehenduntur etiam Religiosorum scholae domesticae) rite ordinatis; nec sufficiunt privatim peracta, nisi obtenta eorumdem convalidatione in casibus et modo, sicuti dictum est in comment. ad art. 17 sub c) (cit. Declarat sub VI); — nec etiam sufficit disciplinae principalis (in casu philosophiae et theologiae respective) peritia, sed requiritur, ut in unaquaque schola (in casu philosophica et theologica) tradantur etiam disciplinae accessoriae, iuxta normam in bene ordinatis seminariis regionis vigentem et saltem in substantialibus servandam (cit. Declarat. sub VII)(1).

c) Praefati de studiis rite peractis testimonii ratio talis praescribitur, ut Superiores in litteris dimissoriis, expressis verbis, sequentia declarare debeant et testari: 1° quoad curriculum theologicum: candidatum a tali anno, mense et die, ad talem usque annum, mensem et diem, et in tali schola studiis theologicis ad sacrum ordinem ad quem praesentatur necessariis rite incubuisse, et in finali periculo seu examine idoneum inventum fuisse; 2° quoad inferiora studia eidem curriculo praemittenda: *a)* eumdem candidatum litterarum studia in tali schola, et per tot annos academicos seu scholares ex integro explevisse, bene superato finali periculo; *b)* praefatum candidatum, recte expletis humaniorum litterarum studiis, philosophicum curriculum ex integro in tali schola,

---

(1) Apud nos ad interim vigere et servandae videntur dispositiones cap. 5 et 6 *Statut. pro studiis* donec S. Sedes aliud expresse iniunxerit, vel publicaverit instructionem de studiis, cuius praeparatio S. Congni de Religiosis in fine huius Decreti committitur.

et per tot annos academicos seu scholares complevisse, et finale periculum auspicato superavisse (1).

Nota. Praeter dictas litteras dimissorias **nullae** aliae **requiruntur, saltem extra Italiam, litterae testimoniales** obtinendae ab Ordinariis, in quorum dioecesibus Regularis ordinandus, etiam post ingressum per determinatum a iure tempus est commoratus; etenim lex de huiusmodi litteris testimonialibus exhibendis ex Innocentii X Const. *Speculatores* et Pii IX Const. *Apostolicae Sedis* (de suspensionibus sub n. 3) respicit solos clericos saeculares, et non extenditur ad ordinandos Regulares (2).

Pro Italia ex speciali Instructione S. C. super Disciplina regulari 27 Nov. 1892 expresse praescribitur, ut Regulares militiae adscripti exhibeant litteras testimoniales Ordinariorum, in quorum territorio saltem per tres menses commorati fuerint, nisi forte hoc praescriptum putandum sit abrogatum per cit. superius art. 94 S. C. de Religiosis Decretum *Inter reliquas*, utpote in quo de praefato praescripto nulla fit mentio.

3. **Dirigendae sunt** litterae dimissoriae, ex regula generali, ad Episcopum dioecesanum, i. e. intra cuius dioecesis limites de familia moratur ordinandus, excepto duplici casu Episcopi dioecesani absentis aut ordinationes non habentis, in quorum utroque casu litterae dimissoriae dirigi possunt ad quemcumque Episcopum habentem communionem cum Sede Apostolica.

Ita habemus ex Conc. Trident. Sess. 23 cap. 8 *De reform.* coll. Gregorii XIII Const. *In tanta rerum* Kal. Mart. 1583 (per quam Pii V Const. *Etsi Mendicantium* ad iuris communis et S. Conc. Trid. terminos reduxit) et praesertim Clementis VIII Decr. 15 Mart. 1596 (3).

---

(1) Legatur Vermeersch loc. cit. pag. 47 sub 4., ubi proponit et solvit quaedam dubia pro regionibus, in quibus studia ordinata sunt alio modo quo in Italia, cuius regni consuetudinem S. C. in hisce Declarationibus praecipue respexit.

(2) Cfr. Wernz tom. II n. 29 sub V e); Many *De sacra ordinatione* n. 171.

(3) Cfr. Benedicti XIV Const. *Impositi Nobis* 27 Febr. 1747, in qua iuris de ordinationibus Regularium praescripta exponit, roborat ac in-

Pro clariore huius praescripti intelligentia ex cit. iuris documentis et posterioribus declarationibus sive authenticis sive doctrinalibus notandum:

a) Lex de dimittendis Regularibus ordinandis ad Episcopum dioecesanum ita generaliter est accipienda, ut, extra praedictos duos casus expresse exceptos, nonnisi de speciali Episcopi dioecesani licentia eorumdem ordinatio ab alio Episcopo fieri possit (1). Quem legis sensum confirmans S. C. C. 11 Febr. 1708 declaravit illicite ordinatos fuisse monachos ab Episcopo extraneo, eo quod Dioecesanus ordinationes habuerat in angulo dioecesis, et in alpestri ac inaccessibili loco distante a monasterio per quadraginta milliaria (2); nec etiam ad extraneum Episcopum dimittendi causa est, si Dioecesanus, v. g. ob defectum scientiae debitae, Regularem aliquem ordinare recuset, potest tamen in casu Superior regularis, qui se gravatum existimat, ad legitimum Superiorem per appellationem recurrere (3).

Quodsi Regulares ordinandi morentur in monasterio *nullius dioecesis*, dimittendi sunt ad Episcopum viciniorem, in quo procedunt omnia, quae de Episcopo dioecesano in iure sunt praescripta (4); vicinior autem Episcopus est, cuius ecclesia cathedralis propinquior est loco nullius dioecesis, in quo ordinandi de familia morantur (5).

b) Absentia Episcopi in casu non intelligenda quaecumque, sed quae impediat ordinationem habendam; hinc statuta per cit. Clementis VIII Decretum duplex exceptio

---

novat; ex qua Const. etiam patet, admitti omnino non posse, quae contra praefati Clementis VIII Decreti valorem scribit Kerckhove cap. 1 § 17 n. 24.

(1) Cfr. S. C. C. Decretum in causa Monachorum Ord. Carthusiani a Benedicto XIV in cit. Const. *Impositi Nobis* relatum.

(2) Cfr. Piatus tom. II qu. 354.

(3) S. C. C. 23 April. 1604 apud Ferraris verb. *Ordo* art. 39 n. 67.

(4) S. C. C. 24 Aug. 1619 apud Zamboni verb. *Sacramentum Ordinis* § 2 n. 8; Piatus tom. II qu. 352.

(5) S. C. C. Dec. 1587, 1602 et 6 Mart. 1621 apud Piatum tom. II p. 164 2° a) nota (6).

a servanda lege sub a) indicata interpretanda est in hunc sensum, ut Regulares ordinandi ad alium (praeter dioecesanum) Episcopum quemcumque (1) tunc solum dimitti possint, quando Episcopus dioecesanus, sive absentiae causa sive alia quacumque de ratione, usque ad proximum ordinationis tempus legitimum inclusive non est habiturus ordinationem generalem, nec etiam (addendum videtur) privatam ad quam Regulares admittere velit (2); ordinationem habere, ad effectum de quo agitur, censendus est Episcopus dioecesanus, si ipse, sive praesens sive absens, per alium, maxime per suum coadiutorem, de ipsius mandato ordinationem habeat, secus vero si alius Episcopus, non praecise pro Episcopo dioecesano seu de ipsius mandato, sed cum ipsius licentia tantum privatam ordinationem intra dioecesis fines habeat (3); item a lege praefata servanda excipitur casus Sedis episcopalis vacantis (4).

In hisce autem legitimae exceptionis casibus requiritur, ut exceptionis causa exprimatur in litteris dimissoriis ad alium (praeter dioecesanum) Episcopum directis, et iisdem adiungatur de exceptionis facto authentica Vicarii generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii eiusdem Episcopi

---

(1) Intelligendus qui communionem cum Sede Apostolica habet, et non est excommunicatus, nec suspensus, nec interdictus.

(2) Haec assertio contraria videri possit Innocentii XIII Const. *Apostolici ministerii* pro regnis Hispaniae publicatae, et per Benedicti XIII Const. *In supremo* generaliter approbatae, ex qua requiritur ordinatio publico edicto nuntiata (cfr. Ferraris verb. *Ordo* art. 3 n. 60). At cum hodie de facto ordinationis non habendae existente authentica Ordinarii requiratur attestatio (de qua proxime dicetur), ex mente saltem legis deducendum privatam ordinationem Regularibus utilem, tempore statuto habendam, sufficere, ut Episcopum dioecesanum adire teneantur Regulares. Cfr. Piatus, tom. II qu. 355.

(3) Cfr. Piatus tom. II qu. 353.

(4) Ita communis DD., confirmata a S. C. C. 20 Iul. 1675, quae S. Congr. Clementis VIII Decretum innovans in eodem post verba exceptionem exprimentia addidit: *aut Sedes vacaret.* Cfr. Piatus, tom. II qu. 351; Many *De sacra ordinatione* n. 161 sub 2°.

dioecesani attestatio, qua attestatione non adiuncta, huiusmodi litterae dimissoriae ex Benedicti XIV Const. *Impositi Nobis* 27 Febr. 1747 nullius sunt roboris et momenti. « Hoc enim — addit ibidem laudatus Pontifex — expresse declarari opus est ad excludendam nonnullorum arrogantiam, qui cum privilegio gaudeant suscipiendi ordines extra tempora, existimarunt Episcopos ipsorum voluntati adeo addictos esse debere, ut si, quandocumque ipsis placuisset ad ordines promoveri, non statim ipsoque die ab ipsis designato voti compotes fierent, iam dici posset ordinationem ab Episcopo non haberi, proindeque alius Episcopus pro suscipiendis ordinibus adeundus esset (1) ».

Tandem notandum, ex ipso cit. Clementis VIII Decreti tenore, praedictas exceptiones non valere, si Regulares distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus dioecesanus vel abfuturus, vel nullas esset habiturus ordinationes. Ita communis DD. contra nonnullos; quam communem sententiam confirmans Benedictus XIV scribit (2): « Regulares huiusmodi agendi rationem (quam et alias in foro externo graviter vindicatam fuisse, et in posterum districte coërcendam fore noverint) tum a probi viri honestate et fide alienam, tum etiam debitae erga sacrae Ecclesiae Antistites observantiae contrariam esse, ipsi per se facile cognoscent ».

c) Ut Regulares a lege de eorumdem ordinandorum Episcopo proprio eximantur, requiritur privilegium speciale post Conc. Trident., licet ante praefatum Clementinum Decretum, concessum, et quidem nominatim atque directe, exclusa penitus huius privilegii communicatione: porro huiusmodi privilegium post Conc. Trident. concessum non censetur, nisi aut post ipsius Concilii confirmationem reipsa fuerit concessum, aut, quatenus antea concessum, posterius confirmatum fuerit in forma speci-

---

(1) Cfr. Many loc. cit. n. 159 sub 4°.
(2) Cit. Const. *Impositi Nobis.*

fica cum litterali veteris indulti insertione eiusque expressa innovatione (1).

Tali privilegio Ordo noster non gaudet, nisi pro alumnis in partibus Indiarum Occidentalium tantum existentibus, ex concessione Urbani VIII Const. *Cum sicut* 30 Iun. 1625.

d) Contra legem Clementinam de Regularium ordinatione nullam admitti consuetudinem saltem ordinariam, etiam quadragenariam, authentice constat ex cit. Benedicti XIV Const. *Impositi Nobis*, in qua laudatus Pontifex legem Clementinam confirmans decernit « irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari », qua clare tolluntur, etiam pro futuro, consuetudines saltem ordinariae; consuetudinem immemorabilem in casu non impediri (pro futuro) tradit Many loc. cit. n. 161 sub 5°.

e) Explicata in praedictis ordinationis faciendae lex respicit regularium Ordinum alumnos professos tantum (quoad simpliciter professos tamen cum restrictione, de qua art. 89 in fine). — Alumni autem « novitii relate ad sacram ordinationem considerandi sunt veluti pertinentes ad respectivas dioeceses, non autem uti vere Regulares », utpote « qui non sunt adhuc Regulares iuxta notissimum iuris praescriptum, quod sola professio religiosa facit aliquem Regularem, minime vero probatio, a qua novitii pro libitu recedere et a Superioribus dimitti valent .... Idcirco antequam novitii vota nuncupent, nequit Episcopus eos nisi tanquam suos subditos ad sacros ordines canonice promovere ad formam notissimae Constitutionis Apostolicae *Speculatores* (2)... ».

Poenales sanctiones in contrafacientes latae ipso facto incurrendae ex Benedicto XIV (3) hae sunt: « Superiores regulares, qui subditis suis non ad prae-

(1) Cfr. cit. Benedicti XIV Const. *Impositi Nobis* § 8 *Quod vero spectat,* et § 13 *Quemadmodum vero.*

(2) S. C. Episc. et Regul. responsum 9 Ian. 1895. Cfr. Vermeersch *De religiosis Institutis* etc. tom. II Ed. 4 pag. 514 n. 240.

(3) Const. cit. *Impositi Nobis* § 9 *Porro si aliqui* circa medium.

scriptum eiusdem Decreti [Clementis VIII supra cit.] dimissorias litteras concedunt, suorum officiorum ac dignitatum, et vocis activae atque passivae amissione mulctantur; ordinati vero suspensionis poenam, atque etiam, si in suscepto ordine ministraverint, irregularitatem incurrunt; ac denique Antistites, qui ipsis manus imponunt, non facile effugiunt canonicas poenas adversus eos propositas, qui alienos subditos absque sufficientibus dimissoriis ordinare praesumunt (1)... ».

4. **Regularium quoad ordinationem privilegia generalia** haec sunt:

a) Privilegium suscipiendi ordines extra tempora a iure statuta; cuius privilegii etiam post Conc. Trident. vigentis testimonium validum habetur ex Conc. Romano provinciali 15-29 Maii 1725 celebrato, et a Benedicto XIII Const. *Quatuor* 25 Oct. 1725 promulgato, in cuius Actis (2) legitur: « Quo vero ad Regulares privilegia a Summis Pontificibus habentes, sive expresse sive per viam communicationis concessa, sacros videlicet ordines extra tempora suscipiendi, cum privilegia ipsa in suo robore persistant, nec eis derogatum fuisse constet, decernimus proinde Regulares eosdem absque novo indulto apostolico tuto posse extra tempora ordinari (3) »; item ad consultationem Episcopi Casten. S. C. Episc. et Regul. respondit 18 Iul. 1732: « Episcopum posse, sed non teneri » Regulares extra tempora ordinare (4). — Vi huius privilegii sacri ordines conferri possunt solis diebus dominicis necnon festis de praecepto iuxta catalogum Urbani VIII Const. *Universa per orbem* 13 Sept. 1642, licet hodie plures ex iis sint suppressi seu abrogati, non vero aliis diebus festis

---

(1) Cfr. Many loc. cit. n. 161 sub 6°.

(2) Tit. 5 cap. 2.

(3) Cfr. Vermeersch *De religiosis Institutis* tom. II Ed. 4 pag. 505 n. 236 sub B.

(4) Cfr. Bizzarri *Collectanea* (Ed. nova) p. 343 in fine, et p. 341; Many loc. cit. nn. 165 et 166.

duplicibus etiam secundae classis (1). — Tandem notandum ex hoc privilegio solo (2) extra tempora ordinari posse Regulares etiam ab Episcopo extraneo; ad hoc tamen requiritur attestatio authentica, Episcopum proprium non habiturum ordinationem proximo legitimo tempore, ita ut non sufficiat attestatio ipsum Ordinarium extra tempora statuta ordinationem non tenere (3).

b) Privilegium ordines recipiendi non servatis interstitiis; quod privilegium pluribus Ordinibus regularibus etiam post Conc. Trident. concessum, et ad alios omnes Regulares vi communicationis derivatum, plures docent DD. (4). Aliter tamen cum aliis opinari videtur Benedictus XIV (5), nisi forte loqui censendus sit abstrahendo a Regularium privilegiis. Quidquid autem est in praxi servandum videtur, quod S. C. Episc. et Regul., explicans satis ampla Ordinis Eremitarum Camaldulensium privilegia, rescribit die 10 Iul. 1730 (6): « Relativamente alla dispensa degl'interstizii dovrà usare con formola (7): Rogamus te Rme Dne, ut dispensare digneris super Interstitia sicut et nos dispensamus »: ad quod tamen notandum S. C. C. praecepisse (8), « ut causas remittendi interstitia —

---

(1) Cfr. S. R. C. *Decr. Auth.* nn. 2862 ad 1, et 2852; Benedictus XIV *Instit. eccles.* 106.

(2) Licet non habeatur privilegium, vi cuius a quolibet Episcopo catholico ordines recipi possunt.

(3) S. C. C. 18 Aug. 1888 apud *Acta S. Sedis* vol. XXI p. 359-364.

(4) Cfr. Reiffenstuel lib. I tit. 11 n. 51; Ferraris verb. *Interstitia* nn. 14-16; Angelus a SSmo Corde tom. II n. 1010 citat etiam Leonis XII Const. *Plura inter* 11 Iul. 1826, in qua Societati Iesu denuo concessa est facultas recipiendi ordines « interstitiis nequaquam servatis », nulla addita clausula exclusoria; Many loc. cit. n. 168 et 169; Piatus tom. II qu. 365 et 368.

(5) *Instit. eccles.* 58.

(6) Bizzarri *Collectanea* (Ed. nova) p. 341.

(7) Latine: Relate ad dispensationem ab interstitiis adhibenda est formula *Rogamus* etc. Quae formula in casu dispensationis necessariae litteris dimissorialibus addenda.

(8) Die 31 Maii 1597, 1 Iul. 1597, et 12 Sept. 1609 apud Benedictum XIV cit. *Instit. eccles.* 58.

verba sunt Benedicti XIV — Praefecti Regularium cognoscant, illisque Episcopus fidem adhibeat, eorumque testimonium sequatur ». — Porro causae dispensandi sunt « necessitas aut Ecclesiae utilitas » (1). Verum cum ecclesia sumi possit sive ea cui sacerdos addicatur sive dioecesis, in Regulari satis erit si interstitium remittatur ob necessitatem vel utilitatem monasterii: v. g. quo levetur eius inopia, quo oneribus Missarum vel ministeriis obeundis satisfieri queat. Ceterum, teste Benedicto XIV (2), causa dispensandi iam habetur, si ordinandus sit vir maturae aetatis et doctrinae laude praestans: raroque hodie, si tempora respicias et clericorum numerum, deficere causam, monet Gasparri (3).

c) Quoad aetatem in ordinando ex iure requisitam (4) nullo gaudent Regulares speciali privilegio saltem generali. At ex S. Officii responso 29 Ian. 1896 facultas specialis, a S. Sede Episcopis in quinquennalibus delegata, dispensandi in ordinandi aetate, extenditur etiam ad Regulares. — Quae specialis facultas a S. Sede Episcopis delegari solet pro promovendis ad sacerdotium tantum. Imo vel ipsa S. Sedis cum promovendis ad subdiaconatum vel diaconatum generatim non dispensat, excepto casu necessitatis ex iniquarum legum militarium statutis quoad promovendos ad subdiaconatum.

d) Titulus ordinationis Regularium ordinarius est titulus paupertatis, ita tamen ut Ordinum regularium alumni ii soli, qui solemnem emiserint professionem, ad subdiaconatum promoveri possint, exclusa omnino in hac iuris dispositione apostolica dispensatione (5).

(1) Ex Conc. Trident. Sess. 23 cap. 11 *De reform.;* quo eodem sensu disiunctivo intelligendum, quod idem Conc. cit. Sess. cap. 14 *De reform.* ponit copulative: « Ecclesiae utilitatem ac necessitatem », declaravit S. C. C. 3 Maii 1620 apud Lucidi *De visitatione* tom. I n. 504.

(2) Cit. *Instit. eccl.* 58.

(3) *De sacra ordinatione* tom. I n. 504; cfr. Vermeersch *De relig. Instit.* tom. I n. 480, 3.

(4) Cfr. Comment. ad art. 107, 2.

(5) Cfr. Comment. ad art. 89, c) in fine.

Ad usum vero et exercitium privilegiorum quod spectat, « monendi sunt ii — verba sunt Benedicti XIV (1) — quibus eadem, iuxta praemissa, pleno iure competere dignoscuntur, ut non sine iusta causa, nec extra debitas circumstantias, pro libitu ipsis utantur, minime vero ad ostentandam dumtaxat ipsorum privilegiorum singularitatem... ». Deinde ibid. § seq. Rmos Dnos Episcopos et Regulares ad mutuam benevolentiam hortans idem Pontifex, concludit § 15 scribens: « Haec profecto christianae veritatis et charitatis documenta cum utrimque servata fuerint, omnibus in rebus, adeoque in hac etiam Ordinationum materia, importunae partium querelae penitus conticescent.... ».

§ XIV.

De debita Fratrum laicorum institutione.

109. Pro quolibet conventu et residentia a Ministro provinciali designetur idoneus Pater, qui Fratrum laicorum et oblatorum perfectiori educationi incumbat.

110. Semel saltem in hebdomada specialem instructionem habeat, cui omnes interesse teneantur. Studeat illos in omnibus quae in novitiatu vel antea didicerunt plenius instruere et semper magis confirmare.

Praescribitur hisce art. habenda ab idoneo Patre a Ministro provinciali designando **hebdomadalis laicorum et tertiariorum instructio specialis**, qua perficiatur eorumdem educatio religiosa.

111. Fratres laici inter se charitatem mutuam nutriant, reverentiam exhibeant clericis, et prae-

(1) Cit. Const. *Impositi Nobis* § 13 *Quemadmodum.*

sertim sacerdotibus, qui omnes statum laicalem pia colant observantia.

Inculcatur hoc art. Fratribus laicis inclusis tertiariis **mutua inter se charitas,** necnon **reverentià erga clericos et maxime sacerdotes,** quibus pariter commendatur status laicalis pia colendus observantia (1).

112. Ad clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, Fratres laici non possint.

Quae hoc art. statuitur **prohibitio transeundi a conversorum conditione ad clericalem statum,** etiam tempore novitiatus, lex est pontificia, utpote de verbo ad verbum recepta ex Clementis VIII Const. *Cum ad regularem* 19 Mart. 1603 (2); quae lex provida ex ratione est lata, ut nempe auferatur ansa et occasio ambitionis, qua solent homines altiora appetere non sine murmure et Praelatorum molestia. — Hinc post legitime acceptum conversorum habitum nemo amplius ad statum clericalem transire potest de sola licentia Praelati regularis, etiam generalis (3), licet cum consensu sui Definitorii, sed talis licentia obtineri debet a Sede Apostolica, quae ad id expedire solet Brevia cum clausula: « *de licentia tamen suorum Superiorum* », quae licentia debet intelligi copulative de illa Generalis et Provincialis simul, prout expresse declaravit S. C. Episc. et Regul., de mandato Urbani VIII, die 2 Aug. 1630, nempe « clausulam « *de licentia Superiorum* » in Brevibus praedictis appositam esse intelligendam de Generali Ordinis et Provinciali

(1) Cfr. Decr. *Sacrosancta* (*Monumenta* pag. 101).

(2) Cfr. *Monumenta* p. 79 n. 22.

(3) Quae huic contraria ex anterioribus Statutis habent Kerckhove, cap. 1 § 10 n. 3, et Rodriguez (seu Rodericus) *Quaest. regul.* tom. I quaest 42 art. 19 harum Constitutionum ex auctoritate apostolica facta promulgatione, omnino abrogata sunt censenda.

oblatorum [i. e. conversorum] huiusmodi, ita ut pro eorumdem Brevium executione requiratur utriusque licentia et consensus (1)». — Qui vero Superiores contra praefatum Clementis VIII Decretum dant eisdem conversis licentiam transeundi ad statum clericalem, ex S. C. Episc. et Regul. Decretis 14 Febr. 1620 et 25 Ian. 1646 suspendi debent ab officio ad tempus, transeuntes autem reducendi sunt ad statum laicalem cum perpetua suspensione a susceptis ordinibus (2). Ad haec ex Leonis X Constitutione, promulgata in Ordinis Capitulo generali Lugduni anno 1518 celebrato, qui «Frater laicus ad clericatum ascenderit, extra obedientiam Praelatorum Ordinis, etiamsi usque ad sacerdotium promotus sit, postquam reversus fuerit, omni honore clericali privetur, nec permittatur canonicum persolvere officium, sed laicorum officium persolvens ad merum statum laicalem reducatur (3)». — Ex S. C. Episc. et Regul. Declarationibus conversi seu laici ex indulto apostolico transeuntis ad statum clericalem praecedentia initium sumere debet a die clericatus, non autem a die suscepti habitus conversorum (4).

113. Guardianus cum Discretis et magistro bis in anno ad Ministrum provincialem fideliter referat de vita et moribus ac in proprio munere obeundo habilitate cuiuslibet Fratris laici simpliciter professi, necnon singulorum oblatorum nondum a decem annis professorum.

De mittenda ex huius art. praescripto de laicis et tertiariis iterata relatione ad Ministrum provincialem legantur quae ad art. 52 sunt dicta.

---

(1) Cfr. Ferraris, verb. *Transitus* n. 6.

(2) Cfr. Ferraris, verb. *Transitus* n. 7.

(3) Cfr. Rodericus *Quaest. regul.* tom. I quaest. 42 art. 19; Kerckhove, cap. 1 § 10 nn. 4 et 5.

(4) Cf. Ferraris, *Transitus* n. 8.

§ XV.

De tertiariis seu oblatis.

114. Ad servitium Ordinis qua tertiarii seu oblati perpetui ii tantum fideles a Ministris provincialibus recipi poterunt, qui corpore et mente sani ac bonis moribus ornati dignoscantur, atque vigesimum aetatis annum iam expleverint.

1. In Ordine nostro ex hoc art. **tertiarii** seu oblati **intelliguntur** perpetui, qui scil. Ordinem ingrediuntur sine intentione transeundi ad statum laicalem proprie dictum seu Primi Ordinis. Nihil autem impedire videtur quominus huiusmodi tertiarii postea, mutata voluntate, ad statum laicalem proprie dictum transeant, servatis tamen requisitis pro receptione ad laicatum (1).

2. **Tertiariorum recipiendorum qualitates** hoc art. statuuntur tres, sanitas scil. corporis et mentis, boni mores, ac vigesimus aetatis annus completus (2), data tamen Ministro generali facultate in requisita hac aetate dispensandi, iuxta dicta in comment. in art. 14 sub. n. 12, 2 (pag. 46). — Cetera praescripta « *De qualitatibus recipiendorum ad Ordinem* (Constit. cap. II § I) ex iure positivo (non naturali), sive communi Ecclesiae sive peculiari Ordinis, in hisce Constitutionibus notata in receptione horum tertiariorum proprie dictorum (aliter est de recipiendis ad proprie dictum laicatum) non necessario servari debent; respiciunt enim praefata praescripta recipiendos ad Primum Ordinem, ad quem hi tertiarii ex dictis non adspirant; accedit quod pro receptione tertiariorum expresse determinantur speciales conditiones.

---

(1) Cfr. supra cap. II § III.

(2) Cfr. Comment. in art. 14 sub n. 12, 2 (pag. 45).

3. Ad **modum recipiendi** tertiarios quod attinet generatim observanda sunt quae in hisce Constitutionibus cap. II § IV praescribuntur « *De modo recipiendi postulantes ad Ordinem*, et nominatim quae ibidem notantur de exquirendis ante receptionem Ordinariorum litteris testimonialibus (art. 32), de adhibendis in receptione examinatoribus (art. 35), de exigenda authentica declaratione (art. 37), de peragendis exercitiis spiritualibus et facienda confessione generali (art. 38); in casu etiam valent, ex natura rei de qua agitur, quae in comment. ad art. 41 sub 1 sunt exposita de prohibita exactione vel receptione intuitu admissionis vel titulo sustentationis.

115. Cum Ministro provinciali bene visum fuerit, oblatorum habitu indui, ac post annum ad vota simplicia obedientiae et castitatis et ad professionem Regulae Tertii Ordinis admitti poterunt, iuxta formam in Rituali Ordinis praescriptam.

1. **Tertiariorum vestitio** fit ad arbitrium Ministri provincialis, cuius etiam s o l i u s prudenti iudicio reservatur **admissio ad professionem,** non tamen emittendam ante annum a vestitione elapsum. Quo in iudicio ferendo ut rationabiliter procedat Minister provincialis, ea adhibere debet media, quae pro sua conscientia necessaria et opportuna duxerit ad indagandam professuri idoneitatem; convenit autem omnino, ut praeter Discretorii iudicium exquirat, saltem semel non multum ante professionem, suffragia communitatis.

T e r t i a r i o r u m v e s t i s eadem sit, quae pro ceteris in Ordine est in usu, dempto tamen ex regula ordinaria caputio Cfr. art. 118.

V e s t i t i o e t p r o f e s s i o f a c i e n d a est a Ministro provinciali vel ab alio sacerdote ab ipso delegato iuxta formam in Rituali Ordinis praescriptam.

2. Annus inter vestitionem et professionem intercedens sit eis pro **probatione** et **educatione**. Quae educa-

tio ut salubriter utiliterque fiat, provide observantur, quae in hisce Constitutionibus cap. II § IV art. 27-30 statuuntur pro postulantibus ad laicatum.

3. **Professionis tertiariorum indoles,** ex hoc art. et professionis praescripta forma, haec est, ut *a)* firmiter sibi proponant toto vitae tempore Dei mandatorum observantiam, *b)* suscipiant Regulam et modum vivendi Tertii Ordinis (exceptis excipiendis iuxta art. 118) facta promissione, nullam tamen in conscientia obligationem inducente, satisfaciendi uti decet pro transgressionibus, quas fecerint contra praedictam Regulam et modum vivendi (1), insuper *c)* adiectis simplicibus obedientiae et castitatis votis pro tempore, quo in Ordine eos qua tales in statu oblatorum commorari contingerit. Quae tertiariorum professio proprio sensu religiosa dici non potest, adnexam enim non habet nuncupationem votorum substantialium et perpetuorum: proinde tertiarii etiam post professionem proprie Religiosi non sunt. Quoniam vero per suam professionem admittuntur ceu pars communitatis, et qua tales aliquo sensu ad Ordinem pertinent, eorumdem professio dicenda videtur improprie religiosa, praesertim quia in eadem addatur votum obedientiae et castitatis.

116. A votorum obligatione eo ipso absoluti exsistunt, quando sua sponte ad vitam saecularem redierint vel a Ministro provinciali, de consilio sui Definitorii, dimissi fuerint.

117. Pro dimissione autem decernenda quaevis causa rationabilis sufficit, servata tamen charitatis et aequitatis regula, praesertim quoad eos qui per longius temporis spatium Ordini iam servierunt.

---

(1) Quum igitur tertiarii non directe suscipiant Regulam et modum vivendi Tertii Ordinis, sed indirecte tantum, promittendo scil. debitam satisfactionem pro transgressionibus, quae promissio natura sua temporanea est, quamdiu nempe in Ordine qua tales permanserint, hinc ipsa Regulae susceptio temporanea dicatur necesse est.

1. Declarantur **vota tertiariorum cessare** ipso egressu ex Ordine, sive voluntarius sive coactus fuerit.

2. **Tertiariorum dimissio** statuitur decernenda solius Ministri provincialis sententia, audito tamen sui Definitorii iudicio, et ex causa, considerata charitatis et aequitatis regula, rationabili, eaque graviore pro rata temporis quo Ordini iam servierunt.

118. Vitam communen sicut alii Fratres observent, atque in actibus communibus pietatis et disciplinae religiosae Fratribus laicis se conforment; a quibus ut exterius distinguantur, caputium deferre ordinarie ipsis non permittitur.

Describitur hoc art. generalibus normis **tertiariorum vivendi disciplina,** in qua Fratribus laicis se conforment, idque non solum quoad vitae claustralis observantias, sed etiam quoad actus communes pietatis, nominatim quoad Officii divini recitationem et ieiunia, ita ut in hisce non Tertiae sed Primae Regulae praescripta servent.

119. Bonorum suorum administrationem dum in Ordine permanserint ipsi non gerant, sed cui maluerint committant; cessionem vero substantiae suarum possessionum per actus inter vivos non faciant, ne forte ipsos sponte egressos aut dimissos poeniteat.

Hoc art. tertiariis **interdicitur bonorum suorum administratio,** quod intelligendum de tempore post professionem, proinde hac instante dictam administrationem cui maluerint committant, non tamen Ordini seu Syndico apostolico saltem qua tali.

Ceterum huiusmodi tertiarii omnino liberi sunt in disponendo de rebus suis temporalibus, quum votum paupertatis non emittant. Abstineant tamen omnino, ex provido huius art. statuto ab huiusmodi dispositionibus

per actus inter vivos faciendis ex possessionum suarum substantia, ne forte ipsos sponte aut coacte egressuros frustra poeniteat, imo nec de fructibus dicto modo disponant nisi cum magna prudentia.

Tandem tum Superiores tum subditi quicumque attendant ad ea quae art. 91 inculcantur et explicantur de non inducendo ad dandum; quae si forte in casu non obligant ex stricto Regulae praecepto, ex mente saltem Regulae et S. Institutoris fideliter sunt observanda.

120. Indulgentiis aliisque gratiis Ordinis iam inde a susceptione habitus fruuntur.

Hoc art. **tertiarii declarantur participes indulgentiarum aliarumque gratiarum Ordinis** (1).

§ XVI.

De transitu ad aliam provinciam.

121. Nemo in aliena provincia incorporari possit, nisi adsit causa gravis, consensus in scriptis Definitorii utriusque provinciae, necnon pariter in scriptis licentia Ministri generalis, et nisi in ea, ad quam admitti cupit, per biennium probationis manserit.

Statuitur hoc art. **legitimus in aliena provincia incorporandi modus,** qui est, ut huiusmodi incorporatio non fiat nisi adsit causa gravis, ac post completam biennem mansionem in ea provincia ad quam admitti quis cupit, ad consensum Definitorii utriusque provinciae (ex qua et ad quam transire quis cupit) insuper accedat licentia Ministri generalis. — Porro praedictum incorporandi modum praescribi ad validitatem actus, ex

(1) Cfr. Piatus tom. II qu. 170, 2°.

ipsis huius art. verbis evidens est, nisi incorporatio fiat a Praelato generali; ipsum enim etiam non servato praedicto modo id efficere posse, confirmatur ex natura rei; si enim Praelato generali absoluta facultas est admittendi ad Ordinem alumnos utique in qualibet provincia incorporandos, cur Ordinis alumnum in aliena provincia incorporare sola sua auctoritate non possit? Ipsum non impedit, quod Praelatum inferiorem prohibet, vinculum cum tali provincia, quippe quod connectendo cum alia provincia solvere pro sua suprema potestate potest (1). Concordant Statuta Toletana anni 1583 (2), quae expressis verbis permittunt, ut solus Minister generalis id ex officio possit, sed monent, « ne id unquam fiat nisi magna et notoria id efflagitante ratione », ne scil. provinciae graventur et perturbentur (3). Nequaquam igitur probandum quod docet Rodriguez (4) apud Kerckhove (5), non esse iuridicas incorporationes quae solent fieri ab aliquibus Praelatis generalibus de plenitudine potestatis; ex dictis enim constat falso affirmari, summam eorumdem Praelatorum potestatem « secundum iuris metas » ita intelligendam, « ut scilicet minime sine consensu provinciae, in qua debet incorporari talis Religiosus, ut filius incorporari admittatur ».

Nota. Agitur hoc art. de incorporatione completa ac definitiva, qua scil. Religiosus iuridice alienae provinciae membrum efficitur. Quid autem iuris de incorporatione, ut ita dicam, inchoata et provisoria, qua nempe quis de facto transfertur ad aliam provinciam ut ibidem moretur definitivam incorporationis sententiam statuto tem-

---

(1) Non posse autem Generalem transferre Provincialem de una in alteram provinciam, nisi de speciali licentia Summi Pontificis, argumento cap. 1 et 2 *De transl. Episc.* (lib. I tit. 7), tenet Miranda, tom. II qu. 6 art. 5.

(2) Apud Kerckhove, cap. 8 § 5 n. 3.

(3) Cfr. Portel, verb. *Provincia* n. 3.

(4) Tom. III qu. 52 art. 23 in fine.

(5) Cap. 8 § 5 n. 3.

pore pronuntiandam exspectaturus? Licet in hoc art. hac de re nihil reperiatur expressis verbis statutum, tamen ex art. tenore ac sensu recte concludi videtur, sufficere in casu non tantum Praelati generalis, sed et utriusque provinciae Ministri solam licentiam, eoque magis quod in anterioribus Ordinis Constitutionibus manifeste ita habetur ordinatum (1).

Strictis omnino conditionibus incorporationem in aliena provincia ligari providis ex rationibus notat Kerckhove (2), nempe: « tum ut Fratres contineantur sub obedientia istorum Praelatorum, a quibus vel a quorum praedecessoribus ad Ordinem sunt recepti, et sub quibus solemniter sunt professi, quibusque toto tempore vitae suae firmiter obedire promiserunt. Tum ut retundatur quorundam Fratrum temeritas vel pervicacia, qui saepius leviusculis de causis, imo falsis praetextibus de una in aliam satagunt transire provinciam, vel ut propriorum Praelatorum iustas evadant correctiones, vel quia suae provinciae strictioris pertaesi observantiae et disciplinae ad aliam anhelant, ut noxiae suae libertati impune indulgeant. Sunt quidem, qui honesto videntur moveri fine, ut scilicet in alia provincia, quae maiorem exterius iactat sanctitatem et strictiorem Regulae observantiam, securius salutem operentur et ea, quae Domino voverunt, perfectius observent. Verum hos in simili redarguit S. Bernardus *Tract. de praecepto et dispensatione:* « Forte vult aliquis — inquit — de Cluniacensibus institutis ad Cisterciensium se stringere paupertatem, eligens prae illis nimirum consuetudinibus magis Regulae puritatem. Si me consulit, non consulo... Primo propter scandalum ipsorum quos deserit. Deinde quia certa pro dubiis relinquere tutum non est, forsan enim hoc tenere

(1) Cfr. Statuta generalia Barchinonensia cap. 8 § 5 n. 1 apud Kerckhove ibid. qui hoc Statutum explicans scribit n. 3: « Adeoque licet ad simplicem translationem alicuius Religiosi de una provincia in aliam sufficiat sola utriusque Provincialis licentia, ad incorporationem tamen etc. ».

(2) Cap. 8 § 5 n. 1.

potest, illud non poterit. Tertio suspectam habeo levitatem, qua id saepe, quod facere volumus antequam probemus, experti iam nolumus, uno prope momento idipsum cupientes tam leviter, quam irrationabiliter, quales utique non paucos frequenter experimur, qui una vix hora in una voluntate durantes, aura levitatis impulsi, vagi et instabiles hac et illac velut ebrii nutant, mutantque pro experimento iudicium, imo sine iudicio fluctuantes et tumultuantes tot de se consilia praesumunt quot loca revisunt: semper quod non habent cupientes et quod habent fastidientes ». Suppono semper (quod etiam S. Bernardus supponit) bene quoad substantiam in provincia, in qua professus est, observari Regulam, ipsumque observare posse, si velit, licet in alia provincia forte sint strictiora quaedam Statuta et accidentales quaedam observantiae perfectioni Evangelicae acquirendae aptiores. Et licet forte in provincia, in qua quis professus est, reperiantur Fratres aliqui discoli, a perfecta regulari disciplina deviantes, et bonos Fratres suo malo exemplo scandalizantes, modo communitas et Superiores observantiam regularem zelent et promovere studeant, non videtur sufficiens ratio provinciam suam deserendi et ad aliam se transferendi: nam similem obiectionem proponit et refellit S. Basilius *Constit. exercit.* 21: « Mali sunt aliqui ex Fratribus, et incaute bonum dissolventes et honestatis negligentes, et decentem exercitationis sinceritatem contemnentes, et propterea convenit a talibus separari »; quam excusationem, ut insufficientem, his elidit rationibus. « Neque S. Petrus, neque ullus alius Apostolus deseruit Apostolorum Collegium, quia illud infamaverat Iudas. Neque dixit Noë ad Deum: oportet me de mundo exire, quia omnis caro corrupit viam suam; sed longanimi tolerantia inter impietatis fluctus stabilitatem servavit pietatis. Et Loth in Sodomis, inter homines pessimos et peccatores nimis coram Domino, virtutem custodivit incorruptam ». Et tandem concludit S. Basilius: « Tu vero praeteris Fratrum negligentias aut existentes aut a te confictas, defectionem meditans, et tuae

pravitatis ac segnitiei ad labores pro virtute subeundos velamentum, Fratrum calumniam facis. Neque etiamsi contigerit unum digitum in manu aliquid moleste pati, iam etiam alius resecari contendet».

122. Incorporatus a die tantum incorporationis locum et praecedentiam inter pares habeat; neque ad officia Ordinis, nisi completo ab incorporatione triennio, promoveri possit.

1. Definitur huius art. parte priore **incorporati ius praecedentiae,** ut scil. praecedentiam eam habeat, quam haberet, si in die incorporationis Ordinem primum ingrederetur, considerato tamen communi, in quo est, statu regulari: sacerdotali nempe, clericali, laicali: hinc, amisso etiam quocumque speciali ex officiis antea forsan functis iure praecedentiae, incorporatus habere debet locum post omnes eiusdem communis, in quo ipse est, status regularis Fratres die incorporationis existentes: sacerdos post sacerdotes etc.

2. Quod autem huius art. parte posteriore statuitur **de incorporato promovendo ad Ordinis officia,** ita intelligendum, ut ante completum incorporationis triennium facta promotio invalida sit habenda, nisi a legitima auctoritate in casu particulari ex causa probata ab huius statuti observantia fuerit dispensatum; hinc sola provincialis Capituli vel Definitorii auctoritate, ob communem etiam utilitatem, id posse fieri negandum omnino est.

Quae hoc art. sunt statuta valent de incorporatione non tantum completa ac definitiva, sed etiam inchoata et provisoria; verum applicanda videntur in solo casu incorporationis factae agente ipso incorporato; nam praecise ad impediendas huius generis incorporationes, quae (uti ad art. proxime praec. notatum est) etiam ex bono fine a S. Bernardo et S. Basilio non probantur, huiusmodi strictae sanctiones constitutae videntur. Hinc qui a Praelato generali ex officio, vel generatim agentibus

Superioribus in aliena provincia incorporantur vel ad eamdem simpliciter transferuntur, iisdem, suadente aequitate (1), salva manent quae legitime obtinent iura praecedentiae, necnon commune omnium ex his Constitutionibus ius eligibilitatis ad Ordinis officia.

123. Qui sive durante probationis biennio, sive post incorporationem in aliena provincia, ad provinciam unde abierat redire impetraverit, praecedentia non gaudeat nisi a die reditus vel novae receptionis, nisi de mandato Ministri generalis in commodum Ordinis vel provinciae reversus fuerit.

Agitur hoc art. **de incorporato redeunte ad provinciam,** ex qua abierat; cuius conditio statuitur talis, ut, in iustam omnino suae instabilitatis poenam, praecedentia, quam habeat, determinetur a die reditus legitime approbati eodem modo, qui ad art. proxime praec. in casu incorporationis explicatur, nisi tamen agentibus ipsis Superioribus rediret; nulla enim tunc committitur instabilitas, ideoque et nulla infligenda est poena. — Quae eadem intelligenda etiam de reditu post simplicem transitum intuitu futurae incorporationis proprio rogatu factum.

§ XVII.

De apostatis.

124. Omnes et singulos ab Ordine apostatas vi huius Statuti excommunicamus et anathematis vinculo innodamus.

Quae hoc art. lata est **excommunicatio in Ordinis alumnos apostatas** intelligenda est de sola apostasia, quae dicitur a Religione, ut distinguatur ab apostasia,

(1) Cfr. art. 123 in fine.

quae dicitur a fide et ab ordine (sacro). Quae poena lata est non solum ex iurisdictionis potestate, qua vi muneris potiuntur Praelati regulares, sed et ex speciali, quod Ordini nostro concessit Innocentius IV (1) privilegio, huius qui sequitur tenoris: « Ut apostatas et insolentes vestri Ordinis, nisi vestris salutaribus monitis acquiescant, excommunicare, ligare, capere et carceri mancipare (si videbitur expedire) possitis, auctoritate praesentium vobis concedimus facultatem ».

125. Apostatam autem, quoad hanc censuram et alias poenas contra apostatas inflictas, intelligimus non tantum Fratrem qui animo iugum Religionis omnino excutendi ab Ordine recedit, sed etiam illum qui contra praeceptum vel sine licentia legitimi Superioris e conventu vel residentia discedit atque ultra diem naturalem taliter extra obedientiam permanet, quovis praetextu, etiam accedendi ad Superiores maiores; necnon illum qui, elapso termino obtentae facultatis, propria culpa ad conventum suum redire per diem naturalem distulerit.

Definitur hoc art. **apostasiae notio,** quatenus nempe in eamdem ex praecedenti art. lata est excommunicationis poena. Intelligitur autem non solum

a) apostasia iuridice talis seu proprie dicta, quae est illegitimus discessus cum animo in perpetuum deserendi statum religiosum, ita ut ad vitam regularem non amplius redire intendatur; sed etiam

b) discessus a conventu vel residentia, vel etiam in casu legitimi discessus permanentia extra conventum vel residentiam contra Superioris, sive localis sive maioris, praeceptum sub gravi obligans vel sine eiusdem licentia,

(1) Const. *Provisionis nostrae.*

saltem legitime praesumpta, atque ultra diem naturalem, i. e. 24 horas, taliter discedens vel permanens extra obedientiam persistit. Ad haec

c) notandum a lata excommunicationis poena non excusare in casu discedendi vel permanendi praetextum quemvis, etiam ex causa appellationis recta via accedendi ad Superiores maiores (1), nisi, ex communi DD. doctrina et confirmata S. C. Episc. et Regul. Declaratione d. d. 2 Sept. 1672, vera, urgens ac gravioris momenti habeatur ad eosdem recurrendi causa (2). Tandem

d) discessus, qui excommunicationis poena plectitur, debet esse verus atque opere completus, quo nempe quis egreditur extra septa monasterii (3), et commissus a vere Regulari, qui scil. vota solemnia emisit; hinc recedens durante tempore votorum simplicium lata poena non ligatur.

Nota. Ex iure communi apostatis proprie dictis statuta est imprimis excommunicatio ipso facto incurrenda neminique reservata, saltem si apostasia cum habitus depositione sit coniuncta: quam poenam post Const. *Apostolicae Sedis* vigere docent plerique contra paucos. — Praeterea dicti apostatae compluribus afficiuntur prohibitionibus impedimentisque canonicis. — Tandem iidem si habitum dimiserint et sententia criminis declaratoria secuta sit, amittunt omnia Religionis privilegia; hinc a monasterio ali iam non debent, et delinquentes ab Episcopo loci puniri possunt (4).

At contra apostatae improprie dicti, seu fugitivi, ex iure communi specialibus poenis non subiiciuntur, nisi fuga sit qualificata, seu cum quibusdam circumstantiis coniuncta: ita v. g. fuga coniuncta cum ha-

---

(1) Cfr. Conc. Trid. Sess. 25 *de Regularibus* cap. 4.

(2) Cfr. Piatus tom. I. qu. 217, 2°; Kerckhove cap. 6 § 3. n. 55-58, item cap. 9 § 20. n. 3.

(3) Cfr. Clementis VIII Decr. 26 Maii 1593 confirmatum ab Urbano VIII 21 Sept. 1624 apud Bizzarri *Collectan.* (Ed. nova) p. 246.

(4) Cfr. Piatus tom. I. qu. 219 sub I.

bitus depositione plectitur excommunicationis poena ipso facto incurrenda, nemini tamen reservata (1).

126. Ordinamus etiam quod postquam Frater aliquis apostataverit, et hoc Superiori locali ac Discretorio constiterit, ad aliorum terrorem et praeservationem, ipse Superior coram communitate ipsum excommunicatum denuntiet; deinde Ministrum provincialem statim moneat, qui in libro rem describi iubebit.

1. Praescribitur hoc art. **apostatae excommunicati denuntiatio** a Superiore locali facienda: facienda autem non est, imo nec fieri potest, nisi de commisso apostasiae crimine Superiori locali una cum Discretorio, i. e. Discretorii, incluso Superiore, saltem maiori parti, moraliter certo constiterit. Quae enim denuntiatio seu declaratio si non praecesserit, excommunicationis poena art. 124 lata ex harum Const. art. 381 nondum actu ligat. — Fieri debet huiusmodi denuntiatio ex praesentis art. praescripto coram communitate seu Fratribus congregatis. Quam denuntiationem si Superior localis notabiliter differat, iuxta Sanctori (2) sententiam peccat mortaliter, quia in re gravi delinquit.

2. **Denuntiationis effectus** est, ut apostata constituatur excommunicatus vitandus, cum quo communicare prohibentur ceteri, ita ut nullum amplius commercium, sive per scripturam sive alio modo, nisi ex iusta causa, cum eo habere possint; cuius tamen prohibitionis neglectus generatim leve tantum peccatum constituit, nisi agatur aut de interdicta communicatione in divinis, aut de communicatione in crimine criminoso (i. e. in illo ipso crimine, propter quod quis est excommunicatus, eidem auxilium vel favorem praestando), aut nisi aga-

(1) Cfr. Piatus tom. I. qu. 226 sub. I.
(2) Apud Kerckhove cap. 6 § 20 n. 7.

tur de communicatione eiusmodi, quae excommunicati contumaciam confirmet.

127. Apostatae omnes, cum ad obedientiam et poenitentiam redierint, forma in Rituali Ordinis praescripta, coram communitate, si delicti notitiam habeat, secus privatim, absolvantur, eisque poena pro qualitate culpae debita imponatur.

Decernitur hoc art. **apostatas absolvendi modus.** Quae absolutio non est differenda, sed proxime post reditum concedenda; cum enim excommunicatio sit poena medicinalis, inflicta in casu ad obtinendum apostatae reditum, iniuste sub praetextu debitae vindictae iam reverso differtur absolutio, eoque magis quod exinde non sequitur de cetero delinquentis impunitas, quippe cui hoc eodem art. statuitur imponenda poena pro qualitate culpae debita; quae poena magis determinatur inferius art. 380.

Ad haec notandum, apostatas ante reditum non esse sibi relinquendos, sed a Superioribus prudenter perquirendos et paterno zelo ad Religionem reducendos. Quae Superiorum obligatio non solum muneri quod administrant, sed et specialibus Decretis apostolicis (1) innititur; qua in re Praelati notabiliter negligentes graviter peccant, ac puniuntur poenis in praefatis Decretis statutis. Advertunt tamen DD., Praelatos non esse obligatos apostatas et fugitivos perquirere, si sint futuri perniciosi Ordini, si sint incorrigibiles, si ex ipsorum perquisitione maius scandalum oriretur in populo, et Religio propter illos bonum nomen amitteret: tunc enim minus malum est quod unus vagetur, quam quod communitas patiatur (2). Cui concor-

(1) Cap. *Ne Religiosi fin. De Regularibus* (lib. III. tit. 31), confirm. ab Urbano VIII, anno 1624 per S. C. C. Decretum, quod legitur in *Monumenta* pag. 173.

(2) Kerckhove cap. 6 § 20. n. 17; cfr. Rodriguez tom. I. qu. 30. art. 5.

dat S. Bonaventura (1) scribens: « Quod si Deo permittente aliqui seipsos eiicerent, gratiae sunt Deo referendae, non quia illi peccaverunt, sed quod oves suas a pestifera contagione liberavit, iuxta illud ad Gal. V: *Utinam abscindantur qui vos perturbant*, scil. puritatem vestram, pacem et famam ». Unde adnotator Alberti a Bulsano § 28. n. 7: « Sollicitudo Superiorum — ait — obligatoria remanet quoadusque effulget spes emendationis. Ergo si apostata fit omnino obstinatus, tunc cessat obligatio illum requirendi et recipiendi huiusmodi contumaces, hodie praesertim ob carceris impossibilitatem. Et tunc merito fient acta ad expulsationem servatis servandis pronuntiandam ».

§ XVIII.

De saecularizatis.

128. Omnes Fratres serio in Domino monemus ne umquam obliviscantur gravis obligationis in professione pro toto tempore vitae suae susceptae neve temere saecularizationis indultum sibi procurent.

Monentur hoc art. Ordinis alumni, **ne temere saecularizationis indultum sibi procurent.** Speciatim caveant, ne in indulti petitione falsas exponant causas motivas; liceitas enim, imo et ipsa validitas indulti pendet a veritate expositorum. Quodsi mendaciis intervenientibus indultum a Sede Apostolica impetrari contingat, non est indultariis excusatio, sed accusationis duplicatio. Qua de re Benedictus XIV Const. *Pontificia commendatione* 27 Maii 1746 provide statuit: « A Regularibus praetendentibus se apostolica facultate ad statum clericalem saecularem translatos,... et actu degentibus extra claustra debent Episcopi exquirere de veritate talis indulti, et eos

(1) Qu. 14. super Regulam.

compellere, adhibita etiam vi, ad sibi huiusmodi indultum ostendendum, atque insimul, postquam illud perlegerint, diligenter expendere causas in ipso indulto contentas et expressas, veraene an falsae sint. Quod si illud indultum commonitare et tradere detrectaverint, adverversus eos, iuris ordine servato, statim procedere iuxta facultatem sibi attributam a Conc. Trident. (1). Et si indulti causas minime veras esse compererint, non debent dubitare super eius subreptione seu obreptione pronuntiare et adversus Religiosum procedere extra claustra sine facultate degentem ».

Saecularizationis indultum quum sit vulnus legis, iuxta communem DD. sententiam, strictae est interpretationis; hinc saecularizati solum tantum iuris et indulgentiae per saecularizationis rescriptum sibi vindicare poterunt, quantum ostenditur expresse concessum. — Praeterea clausulas vel speciales praescriptiones in rescripto appositas fideliter servare debent. — Ad has accedunt quaedam speciales clausulae, ex S. C. de Religiosis Decreto *Quum minoris* 15 Iun. 1909 (2) saecularizationis rescriptis deinceps concedendis adnexae, licet non expressae, quarum dispensatio S. Sedi reservatur. Porro harum clausularum vi saecularizati, sive in perpetuum sive ad tempus, vetantur, absque S. Sedis venia fungi officiis vel muneribus vel obtinere beneficia (quoad eos qui ad beneficia facilitati sunt) quae in praedicto Decreto sub 1–4 determinantur, aut figere domicilium habituale in locis, ubi exstat conventus vel domus religiosa provinciae vel missionis cui saecularizatus adscriptus erat.

Iudicium de valore huiusmodi indultorum spectat exclusive ad S. C. de Religiosis. Interim a Superioribus regularibus valida sunt habenda (3).

---

(1) Sess. 6 cap. 3 *de reform.*

(2) Cfr. *Monumenta* pag. 171.

(3) Cfr. Piatus vol. I qu. 191 citans Declarationem S. C. Episc. et Regul.

129. Sciant autem Religiosi qui indultum saecularizationis, sive temporariae sive perpetuae, obtinuerint, se ad substantialia votorum et Regulae semper obligatos remanere et iurisdictioni ac potestati auctoritativae respectivi Ordinarii, etiam vi voti obedientiae, subesse. Ordo autem neque de eorum sustentatione vel aliis necessitatibus providere, neque eorum debita seu obligationes agnoscere ullo modo tenetur.

Declarantur hoc art. **praecipui saecularizationis effectus.** Saecularizati omnes, sive in perpetuum sive ad tempus

1. remanent imprimis obligati ad vota et quidem sicut in respectivo Ordine determinantur, ita ut eorumdem obligationes servari debeant, in quantum cum novo statu sunt compatibiles. Hinc sicut antea servandum est votum castitatis, necnon votum obedientiae, mutato tamen Praelato cui obediendum est (ut dicetur sub n. 2 seq.). Quoad votum paupertatis in confesso est apud omnes, saecularizatos remanere dominii, possessionis et proprietatis incapaces; imo Fratres nostri saecularizati, sive ad tempus sive in perpetuum, incapaces sunt capiendarum haereditatum, sive ex testamento sive ab intestato. Ast pro novi sui status exigentia, ad honestam sustentationem aliosque usus licitos et necessarios, concessa ipsis censetur generalis facultas utendi rebus temporalibus, etiam pecuniis, necnon emendi, vendendi aliosque actus opportunos ineundi, non tamen tamquam domini, sed ut meri administratores, exclusa tamen interdicta omnibus clericis et monachis, negotiatione vel mercatura. Unde ad habendum usum bonorum quae honestam sustentationem excedunt, necnon ad habendam facultatem de iisdem disponendi per actus inter vivos vel causa mortis, praesertim per testamentum, requiruntur, praeter rescriptum saecularizationis, alia ad hoc indulta pontificia, quae dici possunt quaedam parti-

culares dispensationes in voto paupertatis quaeque strictae sunt interpretationis. Parvas tamen donationes et eleemosynas absque speciali indulto facere potest saecularizatus (1). Praeterea notandum, obtento indulto apostolico disponendi de bonis legitime uti non posse saecularizatum, independenter a suo Superiore, post suum reditum ad Ordinem, sed bona asportata debere incorporari ceteris conventus bonis iuxta principium: « Quidquid acquirit monachus, non sibi sed monasterio acquirit » (2).

Ceterum bona saecularizati ad tempus pertinent ad monasterium; si vero perpetua fuerit saecularizatio, ad monasterium redeunt tantum bona in egressu accepta et quae horum ratione postea acquirit saecularizatus. In reliqua succedit Camera Apostolica (3), excepto casu quo ex obtento indulto apostolico de iisdem legitime disposuerit saecularizatus, quo casu bona pertinent ad eos in quorum favorem facta est dispositio: ab intestato vero haeredes, absque S. Sedis licentia, huiusmodi bona tuta conscientia accipere et retinere non possunt (4).

Deinde saecularizati, tum ad tempus tum in perpetuum remanent obligati ad substantialia Regulae, ad ea scil. Regulae praecepta quae cum novo eorumdem statu sunt compatibilia. — Quod imprimis certum videtur quoad saecularizatos ad tempus, utpote qui ab Ordine non plene sunt separati. Et licet quoad saecularizatos in perpetuum inter DD. res non sit indubia, imo a pluribus negetur, tamen quoad saecularizatos Ordinis no-

---

(1) Cfr. Bizzarri *Collectanea* Ed. nova pag. 721 in nota; Ferrari *De statu religioso* pag. 336 in fine et seq.

(2) S. C. Episc. et Regul. 14 Febr. 1845 ad 2 et 3 apud Bizzarri *Collectan.* Ed. nova pag. 520 sqq.

(3) Vermeersch n. 330, 6; cfr. S. C. Episc. et Regul. Declarationes apud Bizzarri *Collectanea* Ed. nova pag. 52 sq. et 70 sq.

(4) Ubi ius spolii non amplius viget praedicta bona non pertinent ad S. Sedem; num ad monasterium pertineant dubitatur. Itaque si usus aut lex civilis ad propinquiores deferat eorum haereditatem, reor hos non esse inquietandos. Ita d' Annibale *Summula* tom. III n. 226 in nota (90).

stri huiusmodi obligatio omnino affirmanda videtur ex tenore huius art. cum ceteris quae in Constitutionibus ponuntur speciali quadam ratione approbati (1); ratio esse videtur ex eo quod in Ordine nostro professio, quae est personalis et per saecularizationem non solvitur (2), praeter tria vota, etiam complectitur praecepta Regulae; exinde merito valde infirma videtur ratio quam in contrarium affert Bizzarri (3). Ad haec notatur quod de hac controversia scribit Wernz (4): « At rationes a patronis benignioris opinionis allatae non videntur peremptorio modo probare extensionem huius favoris ultra regulas cum novo statu incompatibiles ». Forsan benignior plurium DD. sententia, consideratis intrinsecis rationibus, explicari possit hoc sensu, ut non intelligatur de Regula iuridico uso accepta (5), quae est Ordinis primum veluti fundamentum aliisve statutis in tali Ordine fundamentalibus, sed de regulis seu normis, quae unice vel saltem principaliter tendunt ad determinandam vitam claustralem, quae ad Religiosos saecularizatos non pertinet.

2. Saecularizati omnes subtrahuntur obedientiae praestandae Praelatis regularibus, sed subsunt iurisdictioni et potestati auctoritativae respectivi Ordinarii etiam vi voti obedientiae: quod quoad saecularizatos in perpetuum certum est ex ipsa clausula in indulto expressa, et quoad saecularizatos ad tempus extra dubium posuit S. C. de Religiosis affirmans facto verbo cum Sanctissimo, die 1 Sept. 1912 (6) praedictam subiectionem, « quamvis in rescripto desit consueta formula: « Ordinario loci subsit in vim quoque solemnis obedientiae voti ». — Hinc Ordinarius loci in saecularizatos

---

(1) Cfr. Decretum approbationis in fine.

(2) Omnes enim concedunt, in reditu, ne a saecularizato in perpetuum quidem professionem esse repetendam.

(3) *Collectan.* Ed. nova pag. 721 in nota.

(4) Tom. III n. 655, V in fine.

(5) Cfr. Vermeersch, n. 87.

(6) Cfr. *Monumenta* pag. 173.

iurisdictionem habet non tantum sicut in saeculares clericos, sed insuper in virtute sanctae obedientiae illis praecipere, et sic eos obligare potest, sicut antea eorumdem Superior regularis poterat. Exinde etiam saecularizati quilibet non possunt valide absolvi a confessario approbato a solo Superiore regulari, sed confessionem instituere debent penes confessarios ab Ordinario loci, a quibus confessariis in actu sacramentalis confessionis absolvi poterunt etiam a censuris et casibus reservatis in Ordine, si in dioecesi minime reservati sint (1).

3. Quum saecularizati ab Ordinis corpore separati vivant neque ipsi neque Ordo tenentur mutuis obligationibus, quae profluunt ex traditione sui ipsius a Religioso in professione facta et a Religione acceptata (2). Hinc in hoc art. recte edicitur, Ordinem pro saecularizatorum sustentatione vel aliis necessitatibus providere, neque eorumdem debita seu obligationes agnoscere ullomodo teneri.

130. Durante tempore saecularizationis aditus ad conventus nostros ipsis ordinarie interdicitur.

Hoc art. **prohibentur saecularizati,** durante tempore saecularizationis, aditu ad conventus vel domos Ordinis tali qui conversationem cum Fratribus induceret, nisi in casu aliquo exceptionali speciali existente causa ex prudenti Superioris iudicio.

131. Saecularizatus in perpetuum ad Ordinem denuo admitti nequit, nisi Definitorium alicuius provinciae ipsum recipere velit et accedant consensus Definitorii generalis ac speciale indultum S. Sedis.

---

(1) Cfr. Decretum Pii IX 27 Aug. 1852 apud Bizzarri *Collectan.* Ed. nova pag. 129.

(2) Cfr. Vermeersch n, 205, 3, b); Wernz tom. III n. 640.

Ponuntur hoc art. **conditiones ad legitimum reditum saecularizati requisitae.** Respiciunt hae conditiones saecularizatos in perpetuum, item saecularizatos per modum expulsionis, necnon saecularizatos ad nutum S. Sedis. — Verum saecularizatis ad tempus competit ius repetendi claustrum, etiam durante indulto, et Ordo tenetur illum recipere, uti pluries declaravit S. C. Episc. et Regul. (1).

Ceterum saecularizatus, sive in perpetuum sive ad tempus, rediens non tenetur repetere novitiatum vel professionem, nisi forte adsit contraria consuetudo legitime introducta et praescripta in Ordine (2), quae in Ordine nostro non habetur.

132. Si quis autem saecularizatus, sive in perpetuum sive ad tempus, ad Ordinem denuo admissus fuerit, praecedentiam a die reditus tantum habeat et ad omnia officia Ordinis perpetuo inhabilis exsistat; ac reassumpto habitu, saltem per annum in aliquo conventu solitario, ubi regularis disciplina perfectius viget, commoretur.

Statuuntur hoc. art. quaedam **sequelae saecularizationis post reditum,** quae ex tenore huius art. respiciunt saecularizatos omnes, sive in perpetuum sive ad tempus.

§ XIX.

De vestimentis.

133. Omnes et singuli Ordinis nostri Fratres tenentur ad humilitatem vestium, et ad non utendum pluribus vestimentis, quam una tunica cum

(1) Cfr. Piatus tom. I qu. 189, 5°.
(2) Cfr. Piatus tom. I qu. 189, 2°.

caputio, et alia, qui habere voluerint, sine caputio, cum chorda et femoralibus, necnon mantello ab initio Ordinis licito; gestare autem praeter praedicta quodcumque aliud vestimenti genus, ut indusia, sudariola, vel etiam breviores tunicas, est contra Regulam, nisi adsit vera necessitas excusans a praecepto, per Praelatum declaranda.

Definitur hoc art. (cuius tenor fere ad litteram receptus est ex Innocentii XI Const. *Sollicitudo*) **habitus Ordinis,** qui aequipollenti praecepto cap. 2 Regulae est praescriptus. Vi cuius praecepti, ex unanimi expositorum sententia, prohibitum omnino est, ne praeter unam tunicam cum caputio et aliam sine caputio, cum chorda et femoralibus, absque vera necessitate gestetur seu deferatur in corpore quodcumque aliud vestimenti genus. Num vero hoc praecise praecepto prohibitum etiam sit, ne plura vestimenta quam praedicta habeantur seu serventur seposita, quin tamen simul gestentur, non indubie constat: hac autem in re (quam ex expositoribus praesertim antiquis vix unus vel alter exponit, idque indirecte et incomplete tantum), certum est, sicut in ceteris ita et in vestimentis prohiberi superfluitatem, quae diiudicanda videtur in casu ad normam praefati praecepti ita ut vestimentorum usus non superfluus ideoque et licitus, non solum in iisdem gestandis, sed etiam in iisdem habendis sepositis, restringatur ad necessitatem a seraphico Patre ex Regula intentam; ex quo concludendum, ex praefati praecepti sensu saltem secundario et indirecto prohibitum esse, ne ultra necessitatem habeantur seposita vestimenta mutatoria (1).

Porro necessitas hac in re intelligitur accommoda seu causa quaevis rationabilis, « pensatis necessitatibus

(1) Cfr. Gabriel-Angelo da Vicenza, cap. 2 § 11; Kazenberger in cap. 2 Regulae quaest. 4 *Infertur 1.*

et aliis circumstantiis, quae secundum Deum et Regulam attendendae videntur (1) », et ne relaxationibus ansa praebeatur, ex provido huius art. statuto per Praelatum declaranda quippe cui ex Regula commissum est, ut « de Fratribus induendis sollicitam curam gerant secundum loca et tempora et frigidas regiones »; hinc nisi Praelati sententia exquiri omnino nequeat, hac in re ex proprio cuiusque iudicio ne procedatur. Si autem quaeratur, quae censeatur necessitas sufficiens in pluritate tunicarum, aut etiam in mutatoriis, respondet Marchant (2), « esse infirmitatem Fratris, frigoris acerbitatem et intolerantiam, debilitatem et senectutem, imo interdum necessariam honestatem, maxime ubi Fratres sordidis laboribus implicari debent, quos sine mutatoriis non nisi magna inhonestate adimplere possent »: maior autem requiritur necessitas seu ratio in gestandis pluribus quam duabus tunicis quam in habendis mutatoriis, quia illae his rigorosius prohibentur.

Caveant igitur Superiores, ne ad solam sensualitatem et commoditatem praeter vestimenta in Regula notata quodcumque aliud vestimenti genus gestandum, vel etiam vestimenta mutatoria, sive interiora sive maxime exteriora seu habitum, praesertim in cellis habenda subditis concedant: caveant subditi, ne sensualitatem et commoditatem sub colore necessitatis allegantes licentias obreptitias ex Superioribus exquirant, neve licentias legitimas ultra necessitates a Superioribus approbatas extendant; qui enim in hisce delinquunt Superiores et subditi iuxta materiae capacitatem contra Regulam peccant: quod meminerint qui in concessis vestimentis mutatoriis approbatos in provincia necessitatis casus non attendentes iisdem indiscriminatim et pro arbitrio utuntur.

Nota. Inter vestimenta, quae ultra notata in Regula gestare prohibitum est, numerari non debet mantellum

(1) Nicolaus III. in sua Declar. art. 14.

(2) In Regulae cap. 2. tit. 3 qu. 3 in fine *Petes.*

ab initio Ordinis licitum: quod et cum duabus tunicis omni tempore gestare fas est, prout ex Declaratione Innocentii XI (1) certum omnino videtur. Nec dici potest cum Alberto a Bulsano (2), Innocentium XI pallii seu mantelli usum licitum declarasse, « ita prout ab initio Religionis licitum fuit, ubi ceu tertium vestimentum non permittebatur »: restrictio enim huiusmodi, praeter quam quod gratis affingitur dicti Pontificis verbis, manifesto contradicit contextui, ex quo mantellum licitum declaratur « *ultra praedicta* », i. e. ultra unam tunicam cum caputio et aliam sine caputio etc.; praeterea nihil ostendit initio Ordinis mantellum loco interioris seu alterius tunicae fuisse, ut praefatus auctor cum aliis affirmat; quae imo affirmatio convincitur mendacii arguere seraphicum Patriarcham in Testamento asseverantem, se una tunica contentum fuisse et nihil amplius se voluisse habere: etenim si mantellum loco alterius tunicae fuerit, cum S. Patrem mantellum gestasse constet, iam non una tunica contentus fuit, sed secundam portavit (3). — Nec proprie dicti vestimenti rationem habent (ideoque licite gestantur) quaedam tegumenta praeter braccas ratione pudoris et honestatis in quibusdam provinciis approbantibus Praelatis introducta: nempe caligae truncatae (4) operientes crura tantum a poplite usque ad genua, cum braccae breviores (vix infra genu protractae) adhibentur: praeterea quoddam femorum tegumentum (hinc specialius *femorale* dictum), quod a lumbis circumcirca aliquantulum dependet, siquidem in usu sunt inferiores tunicae longiores, quae exinde indusiarum seu camisiarum nec formam nec usum habent. — Tandem Marchant (5) cum aliis (contra alios) licitum tradit in itineribus ad propulsandas aëris incommoditates usum ga-

(1) In cit. Const. *Sollicitudo.*
(2) Exposit. Regulae § 30, 3.
(3) Cfr. Marchant in Regulae cap. 2. tit. 3 qu. 4.
(4) Cfr. Marchant loc. cit. qu. 9.
(5) Idem loc. cit. qu. 6.

leri seu pilei, utpote qui inter vestimenta non computatur, sed tantum inter itinerantium communia remedia. At quidquid est de hac praeclarissimi auctoris sententia, usui galeri (nisi forte alicubi adhibeatur ex quadam necessitate pro temperie solis) obstare videtur vigens in Ordine praxis communis contraria, necnon eiusdem usus origo a Ioanne de Capella, qui inter Francisci discipulos fuit velut Iudas inter Apostolos; iste — ut refert Waddingus (1) — « nimis laxus in disciplina regulari vitam non componebat ad salutaria sui Institutoris monita, abusumque introduxit in Religione pileorum, seu (ut antiquarum Legendarum barbaris utar vocabulis) almutiarum vel birretorum. Hinc cognominatus *de Capella*, quia tunc per Umbriam *capella* patrio nomine dicebatur pileus ». Accedit quod usus galeri parum admodum congruere videtur menti S. Patris, siquidem — ex Hugone de Dina (2) — « Beatus Franciscus dictas, ut ferunt, almutias nullatenus extra caputium publice ferri sinebat ». Nihil tamen impedire videtur, quominus praeter caputium adhibeatur simplex capitegium, quod *solidèo* vulgo dicitur.

134. Vestimentorum vilitas in pretio pariter et colore semper est attendenda; asperitas item et paupertas continuo in eis relucere debet. Taliter vero omnes indui praecipimus, ut neque de curiositate aut novitate argui, neque de superstitione notari possint, ita ut et panni vilitas stricte servetur, et monstruosae repetiationis deformitas prudenter vitetur.

Quae hoc art. inculcatur **vestimentorum vilitas** servanda est ex aequipollenti cap. 2 Regulae praecepto: « *Et Fratres omnes vestimentis vilibus induantur* ». Quod praeceptum exponens Clemens V scribit (3): « Vilitatem

(1) Annales an. 1209. 19.
(2) In cap. 2. Regulae.
(3) In sua Declaratione art. 5, 2.

vestium, tam habitus quam interiorum tunicarum, illam intelligi debere dicimus, quae secundum consuetudinem vel conditionem patriae debeat, quantum ad colorem panni et pretium, vilitas merito reputari; non enim quoad regiones omnes potest determinatus unus modus in talibus assignari. Huiusmodi etiam vilitatis iudicium Ministris et Custodibus seu Guardianis duximus committendum, eorum super hoc conscientiam onerantes: ita tamen quod vilitatem in vestibus servent ».

Porro vilitas huiusmodi hodiedum privato Superiorum iudicio in praxi definienda praecipue spectat panni qualitatem, utpote ex qua pretium statuitur (siquidem attendendus hac in re color inferius art. 138 generali determinatus est statuto); hinc pannus pro vestimentis adhibendus ex materia et textura inferioris sit oportet qualitatis: nec quisquam in utendo melioris qualitatis panno excusationem quaerat ex praetensa paupertatis observantia, eo quod pannus melior inferiore diutius sine renovatione deferri possit; paupertas enim contra strictum Regulae de vilitate vestimentorum praeceptum servata veri nominis paupertas dici omnino non potest.

Praeterea, ex huius art. iuxta S. Patris mentem (1) statuto, in diiudicanda vestimentorum vilitate attendenda est panni ex externa specie asperitas et paupertas (utramque uno honestatis nomine comprehendit Hugo de Dina) (2), « ne mollitie — verba sunt cit. auctoris — subtilitate vel speciositate notabiliter pannus appareat delicatus: qui enim mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. Plus curanda est panni honestas [intellige asperitatem et paupertatem externam] quam pretium, quod pro fori varie-

(1) Quam exponens S. Bonaventura *Vitae* cap. 5: « Ipse — scribit — vestis horrebat mollitiem, asperitatem amabat, asserens propter hoc Ioannem Baptistam ore divino fuisse laudatum. Si quando vero in data sibi tunica lenitatem sentiret, chordulis eam contexebat interius: quia non in casulis pauperum, sed in palatiis principum iuxta Veritatis verbum, vestimentorum dicebat requirendam esse mollitiem ».

(2) In cap. 2 Regulae.

tate maius in malo panno, minus in meliore vel Fratribus inhonesto inveniri contingit». «Quae ultima verba — iisdem citatis addit Marchant (1) — bene ponderanda sunt propter eos, qui sub titulo vilioris pretii pannos delicatos religiosae asperitati incongruos portare solent».

Notandum autem vestimentorum vilitatem non consistere in indivisibili, est enim in eiusdem etiam stricta observantia latitudo, et varii distinguuntur gradus alii aliis perfectiores. Nec praefatum Regulae de vilitate praeceptum obligat ad summum seu perfectissimum gradum, iuxta quod statuit Martinus V in suis Constitutionibus cap. 2: «Non debent nostrae vestes esse adeo pretiosae, ut videntes eas notare debeant curiositatem et vanitatem: neque ita viles et grossae, quod videntes eas ad terrorem, horrorem et derisum inducant». Hinc vilitatis praxis diiudicanda est ac determinanda iuxta locorum et temporum circumstantias. Quae tamen determinatio non relinquitur subditorum arbitrio, sed ex superius cit. Clementis V Declaratione Praelatorum iudicio est commissa. Hinc vestimenta illa merito et absque scrupulo vilia censeri non solum possunt, sed et omnino debent, quae talia iudicant ac concedunt, praesertim ex consensu communi, Ordinis Praelati: quod evidenter patet ex Extravag. *Quorundam, De verborum signif.* (tit. 14 cap. 1), qua Summus Pontifex Ioannes XXII in virtute sanctae obedientae et sub excommunicationis poena mandat, ut Fratres, qui curtos, strictos et difformes habitus contra communem Fratrum normam gestant, eosdem ad mandatum Ministri generalis statim deponant, et aliis iuxta ipsius Generalis arbitrium et determinationem sive iudicium induantur.

Tandem advertendum, ex superius cit. Clementis V Declaratione praeceptum Regulae de vestimentorum vilitate non solum ad exteriorem tunicam extendi, et hinc non minus in hac aliave veste interiore quam in habitu exteriore fugiendam esse pretiositatem, ac servandam vilitatem, asperitatem et paupertatem.

(1) In cap. 2 Regulae tit. 4 qu. 1.

135. Ad maiorem autem uniformitatem inter nos sancte retinendam, haec quae sequuntur statuimus, ab omnibus ad quos spectant observanda.

Constituitur hoc art. et sqq. latis providis praeceptis servanda **vestimentorum exteriorum uniformitas,** quae in toto Ordine sancte est retinenda vi mandati apostolici promulgati in Leonis XIII Const. *Felicitate quadam,* in qua statuitur sub III: « Vestitum cultumque eadem omnes forma induunto (1) ». Cuius mandati apostolici vis obligandi OMNINO universalis deducitur imprimis ex praedictae Const. fine Ordinem revocandi « ad unitatem communitatemque vitae plene cumulateque perfectam », ad quam procul dubio spectat vestimentorum exteriorum uniformitas, deinde clarius exponitur et confirmatur S. C. Episc. et Regul. Declaratione 8 Iul. 1898 (2). Agebatur de consuetudine, « iam fere in universa America meridionali a vetustis temporibus » inter Franciscales vigente, ac confirmata mandato Pii IX in Brevi *Apostolica Sedes* 12 Iun. 1877; quae consuetudo ut servari posse declararetur expostulaverat Archiepiscopus Limanus; ad quod postulatum S. C. Episc. et Regul. re undequaque mature perpensa respondendum esse censuit, uti sequitur: « A mandato Constitutionis apostolicae *Felicitate quadam* « vestitum cultumque omnes eadem forma induunto » non eximuntur collegia apostolica Fratrum Minorum Peruviae, ac ideo ipsi aliique omnes eiusdem Ordinis Religiosi in quacumque totius Americae regione degentes, sive ad collegia sive ad provincias spectantes, observare et ad praxim deducere tenentur art. 107 (nunc 138) novarum Constitutionum generalium Ordinis ».

Servanda in praxi vestimentorum uniformitas ea est quam Ordinis Praelati in hisce Constitutionibus art. 136-143 definierunt: quod, praeterquam ex harum Constitutionum auctoritate, iam manifestum est ex Ioannis XXII

(1) Cfr. *Acta Ordinis* Anno XVI (1897) p. 167.
(2) Cfr. *Acta Ordinis* Anno XVII (1898) p. 123 III.

Declaratione Extrav. *Quorundam, De verborum signif.* (tit. 14 cap. 1), qua in terminis committitur iudicio Ministrorum, Custodum et Guardianorum « determinare et praecipere, cuius longitudinis et latitudinis, grossitiei et subtilitatis, formae sive figurae, atque similium accidentalium esse debeant tam habitus ipsorumque caputia, quam interiores tunicae, quibus Fratres omnes Minores induuntur », mandaturque in virtute S. Obedientiae et sub excommunicationis poena, ut omnes suis Superioribus in hoc obediant, et se conforment. — Verum ad haec notandum: *a)* Cum a suprema in Ordine auctoritate statuta sit in vestimentis exterioribus servanda uniformitas, contra eamdem determinando et praecipiendo nihil possunt Praelati inferiores (1), nisi quod in hisce Constitutionibus iisdem determinandum relinquitur vel etiam committitur (2); exinde *b)* quum in hisce Constitutionibus de vestimentorum interiorum uniformitate nihil (3) inveniatur statutum, in eorumdem uniformitate determinanda ac praecipienda expedita manet quae facta est in praefata Ioannis XXII Declaratione etiam Praelatis inferioribus auctoritas ad normam in singulis provinciis lege vel consuetudine statutam.

136. Ad Ministrum provincialem cum suo Definitorio, cuius iudicio omnibus standum est, pertinet decernere pro sua provincia pretium et grossitiem panni, secundum locorum adiuncta, sive calidas aut frigidas regiones, et providere de panno pro conventibus provinciae vel designare fabricas ubi Guardiani pannum procurare debebunt.

Pretium et grossities panni relinquantur determinanda pro singulis provinciis Ministro provinciali cum

(1) Cfr. Kazenberger (Ed. nova) cap. 2 quaest. 4 Resp. 3 (pag. 61).

(2) Cfr. quod art. 136 statuitur de vestimentorum grossitie.

(3) Exceptis art. 136 (qui intelligendus videtur etiam de panno tunicarum interiorum) et art. 137.

suo Definitorio; quibus etiam committitur aut erecto pro provincia lanificio providere pannum, aut saltem designare fabricas ex quibus a Superioribus localibus pannus est procurandus.

137. Vestimenta exteriora lanea sint et in qualitate panni, in colore et forma ubique aequalia. Tunicae interiores pariter sint laneae, quae tamen ex panno subtiliori et minus aspero esse possunt.

138. Color artificialis exteriorum vestimentorum colorem lanae naturaliter subnigrae seu fulvae imitetur, qui italice dicitur *marrone*, gallice *marron*.

Vestimentorum exteriorum **uniformitas** ex art. 137 **servanda** est in **qualitate panni**, in **colore** et in **forma**.

Porro panni qualitas intelligenda talis quae in pannis vilitate, asperitate et paupertate (grossities determinanda relinquitur singulis provinciis) ex vigente Ordinis praxi, hodierni temporis circumstantiis maxime accommodata, servet auream mediocritatis regulam, quam et insinuat Martinus V in suis Constitutionibus cap. 2. superius cit. (1).

Color (neglecta lana naturaliter subnigra seu fulva, cuius sufficiens copia ubique haberi non potest) praescribitur art. 138 artificialis talis, qui praedictae lanae colorem imitetur: estque color castaneus ad nigredinem aliquantulum accedens.

Forma praecipue intelligenda caputii figura, ex qua omnis de habitus Franciscalis forma quaestio. Servanda autem est ea, qua modo communiter utitur Ordo noster: « quam formam — ita Marchant (2) — reducit ad tempora S. Bonaventurae R. P. Lucas Waddingus in suis Annalibus ad annum Christi 1260, Religionis annum 53, ipsumque S. Bonaventuram, ex diversorum auctorum testi-

(1) In comment. ad art. 134.
(2) In Regulae cap. 2 tit. 3 qu. 7 Conclusio 4.

monio, formae habitus, qua nunc utimur, facit institutorem quoad caputii figuram et eius orbicularitatem ad modum collaris. Quod quidem factum fuisse omnino existimo in Capitulo generali Narbonensi, ubi, ob varias difformitates in habitibus, vilitas, figura et qualitas tunicaram pro universis Fratribus fuit assignata, quam post multa Capitula resumpserunt antiqua Statuta Barchinonensia et ad haec usque tempora transmiserunt: et haec forma a Ioanne XXII (1) universaliter pro toto Ordine est approbata et universo Ordini demandata ».

139. Caputii latitudo articulationem humerorum non excedat, et a parte posteriori longitudo ultra cingulum vix descendat: formae rotundae sit, non simplicem pannum habens, sed duplicatum.

140. Habitus longitudo talis sit, ut Fratris illum deferentis staturae respondeat: latitudo quatuor metris maior non sit, nec minor tribus. Longitudo manicarum, quae sine angulis ad cubita esse debent, metacarpum cooperiat, nec ultra protrahatur: latitudo vero circa manum quinquaginta centimetra in gyrum non excedat. Nec ulli liceat a praescripta caputii et habitus mensura cis ultra recedere ; neque habitui alias petias subsuere, nisi laneas eiusdem coloris. Prohibentur sacculi et aperturae quaecumque circa pectus et infra chordam.

141. Pallium seu mantellum talis sit latitudinis, ut in terra explicatum tres circiter quadrantes circuli ordinarie non excedat. Eius longitudo ad decem centimetra infra genua protendi debet. Ad collum parvis ferreis uncis sit ligatum.

---

(1) Extrav. *Quorumdam, De verborum signif.* (tit. 14 cap. 1).

Provida ex ratione hisce art. determinatur singulorum **vestimentorum exteriorum** in omnibus suis partibus latitudinis longitudinisque **mensura**, ut scil. eorumdem uniformitas plene cumulateque perfecta in Ordine conservetur: quae mensura stricte est servanda non solum ex harum Constitutionum auctoritate, sed et ex paupertatis praecepto, ex quo, iuxta regulam in *Speculo disciplinae* (1) traditam, « amplitudo vel longitudo vestimenti superflua, sive in manicis sive in caputio sive in collario caputii, est admodum fugienda », siquidem paupertas vetat ut vestimenta in panni quantitate superfluant. — De qua mensura speciatim notandum, non licere a praedicta mensura cis ultra recedere; hinc interdicta in praefatis art. sola mensura maiore quam indicata etiam minorem interdictam censendam esse, ut ita etiam in mensura vigeat conformitas perfecta (2).

142. Cingulum seu chorda sit ex lana, simplex tamen, quacumque curiositate carens, et in omnibus aequale. Habeat in parte longiori dependente tres nodos, aequali distantia dispositos et a latere dextro pendeat.

Praescribitur hoc art. **deferendum cingulum** in omnibus **aequale**; quae aequalitas, praeterquam in materia et forma (ad quam pertinent tres nodi in parte longiore dependenti aequali distantia dispositi), servanda est etiam in modo deferendi, ita scil. ut pars dependens sit a latere deferentis dextero.

Cingulum deferendum est de praecepto utpote ad habitum Ordinis pertinens; etenim S. Pater « reiecta corrigia pro cingulo funem (3) » sumens voluit esse humile sui suorumque cinctorium, uti semper Ordo et practicavit et intellexit per cingulum, quod novitiis dandum prae-

(1) Parte 1 cap. 25.
(2) Cfr. *Acta Ordinis* Anno XVIII (1899) p. 5.
(3) Cfr. S. Bonaventura cap. 3. *Vitae.*

scribit cap. 2 Regulae. Cingulum tale deferimus, ut iugiter refricetur in nobis memoria crudelium alligationum, quas absque resistentia passus est mansuetissimus Agnus Dei Dominus Iesus Christus. Hoc monemur, ut amori illius, qui tam crudeliter funibus se ligari permisit ut effugere nequiret, donec nostrae solveret pretium redemptionis, permittamus nos vicissim ab eo ligari, ita ut effugere non possimus donec pretium persolverimus reciprocae charitatis, quod a nobis iure Ipse reposcit. Vani proinde, imo stulti sunt, qui in chorda qua praecinguntur curiositatem aliquam quaerunt; cum enim hominibus placere cupiunt, servi Christi aut imitatores Francisci non sunt (1).

143. Fratres sandaliis apertis, excluso quovis alio cuiuslibet materiae pedum operimento, incedere tenentur, quae quidem omni prorsus curiositate et pretiositate carere debent. Caligas vero, calceos, ocreas vel crepidas nonnisi qui necessitate coguntur et de Superiorum licentia portare possint.

Agitur hoc art. de illo cap. 2 Regulae praecepto, quod est **de non portandis calceamentis** nisi cogente necessitate. Quo quidem prohibentur, ex Declaratione Urbani VIII (2) et Innocentii XI (3), non solum consueta pedum operimenta exteriora cuiuscumque formae vel materiae, quales sunt calcei, ocreae, crepidae, sed etiam huiusmodi operimenta (ut ita dicam) interiora, quae nempe communiter una cum praefatis operimentis externis deferuntur, ut sunt caligae seu tibialia vel socci sive de panno sive texta ex lana aliave materia.

Iure igitur hoc art. statuitur, ut Fratres « sandaliis apertis, excluso quovis alio cuiuslibet materiae pedum operimento » incedere teneantur. « Sandalia autem vera

(1) Kerckhove cap. 3 § 11 n. 30.
(2) Const. *Sacrosanctum*.
(3) Const. *Sollicitudo pastoralis*.

sunt — ita Corduba (1) — soleae corrigiis desuper colligatae », ita ut saltem a parte anteriore fere usque ad calcem sint aperta; nihil enim impedire videtur quominus eorumdem pars posterior pro commodiore usu ad modum crepidarum tegatur. Huiusmodi sandalia inter calceamenta reputari non debere ex ipsa sandaliorum forma ita demonstrat Marchant (2): « Neque enim pedem ullo modo operiunt, sed tantum plantae tabellam supponunt, quae sive sit ex corio sive ligno sive altera materia parum refert, cum pes super aliquo calcare debeat, adhibeaturque magis ad removendam iniuriam laesionis quam ad pedis aliquod operimentum ».

Pro clariore hujus rei intellectu notandum:

a) Calceamenta « portare », secundum Hugonem de Dina, dicit usum; ex quo infert Marchant (3), « per unum aut alterum diem velut per accidens calceari, item ad Missam celebrandam, item ad pedes exsiccandos vel restaurandos post iter crepidis aut similibus uti, non esse proprie usum habere calceamentorum nec per Regulam prohiberi ». Similiter contra Regulam agere non videtur qui hiemali tempore contra frigus in cella vel in sede confessionali utitur quocumque pedum operimento, etiam in forma crepidarum et similium, dummodo iisdem indutus ne circumeat.

b) Cogens necessitas ad portanda calceamenta illa est — ait Hugo de Dina — « quam non carnis prudentia, sed rationabilis et urgens conciliat causa »; hinc — ut recte notat Ubertinus apud Corduba (4) — « communis afflictio frigoris pedum vel superfluus timor ne ex pedum nuditate infirmitatem quis incurrat, signis non apparentibus de propinquo » non est necessitas cogens. —

---

(1) In Regulae cap. 2 tit. 3 qu. 10.

(2) In Regulae cap. 2 qu. 23.

(3) In cap. 2 Regulae tit. 3 qu. 11.

(4) In Regulae cap. 2 qu. 23, ubi ex genuino Ubertini textu corrigendum quod erronee legitur: « Ne superfluus tumor » pro: « Ne superfluus timor ».

Porro necessitas cogens hac in re « non determinatur — ut notat Hugo de Dina post Quatuor Magistros — uno modo sed pluribus. Aliquando enim determinatur secundum statum personae, ut quia debilis et infirma. Aliquando secundum tempus, ut quia vehemens frigus est. Aliquando secundum locum, ut quia nudis pedibus sine detrimento transiri non potest(1). Aliquando secundum iter vel officium iniunctum, quod non potest nudis pedibus sine personae detrimento vel causae propter quam iniunctum est perfici ». Ad quae recte monet idem auctor: « Multa quidem debent potius negligi vel differri, quam Regulae forma, ab antiquis mira districtione servata, sine causa evidenti laxari [quod meminerint laxiores]. Sed ubi cogit necessitas non minus calceatus quam discalceatus servat Regulam. Quidam in nive et glacie sine calceis perduranter gravia incurrunt incommoda: melius est beneficium Regulae cum humilitate recipere, quam periçulum ex superstitione incurrere [quod notent nimis zelosi]. Semper tamen studendum est, ut indigentiam comitetur modestia et honestas ». — Gravior autem requiritur necessitas in portandis calceamentis proprie dictis ceterisque exterioribus operimentis quae ex usu communi calceamentis aequiparantur, quam in utendis operimentis illis, quae licet totum pedem ambiant, tamen pedum operimenti exterioris usum non habent, nec proinde stricto calceamentorum nomine veniunt; ratio habetur ex eo, quod haec non tam rigorose quam illa in Regula prohibentur. — Tandem variorum huiusmodi operimentorum usus ad existentem necessitatem accommodatus sit necesse est, ita ut operimentis, quae superius exteriorum nomine designavimus, uti non liceat ubi sufficiunt interiora operimenta.

c) Necessitas est a Praelato approbanda, uti in terminis addit Innocentius XI(2): cui concordat Cle-

(1) V. g. si via, qua incedendum est, ita sit nive conspersa, vel luto repleta, ut quolibet fere gressu his sandalia repleantur. Ita Albertus a Bulsano.

(2) Const. *Sollicitudo*.

mens V (1): « Quorum etiam — inquit — Ministrorum, Custodum et Guardianorum iudicio eodem modo relinquimus (eorum conscientias super hoc onerantes), pro qua necessitate possint Fratres calceamenta portare ». Hinc, ut cum Corduba notat Kerckhove (2), licet videatur adesse necessitas sufficiens ad portanda calceamenta, requiritur tamen auctoritativus interventus Praelati, si commode et sine detrimento haberi possit: secus sufficit ex natura rei cognita rationabilis necessitas, siquidem auctoritativus Praelati interventus in casu declaratio potius nominanda est quam dispensatio, quod bene notandum est. Huiusmodi Praelati interventus hanc etiam habet vim, ut suppleat, si quid de urgente necessitate desit (3), proindeque etiam in dubio Praelati iudicio securus stare potest subditus, qui tamen « cavere debet — ut recte notat Hugo de Dina — ne ex indulgentia faciat usum »: id est, ut quia uno tempore indulgetur omni tempore utatur: et quia hoc anno vel hieme fuit ei necessarium uti calceamentis, inde sibi consequentiam faciat semper utendi; qui enim hodie infirmatur, cras firmior esse potest: et qui hac hieme coactus fuit calceamenta portare, sequente potest nudis pedibus ambulare (4).

144. Qui in praedictis deliquerit corrigatur et pro modo culpae puniatur. Superiores vero haec omnia primum ipsi servent, et ab omnibus aliis servari curent, omnino solliciti ne in Fratrum vestitu vanitatem aut novitatem ullam permittant.

145. Minister generalis et Visitatores teneantur in decursu visitationis recognoscere pannos atque

---

(1) In Regulae Declaratione art. 5, 3.

(2) Cap. 3, § 11 n. 32 in fine; cfr. Marchant in Regulae cap. 2 tit. 31 qu. 13.

(3) Kerckhove cap. 3 § 11 n. 32 in fine.

(4) Ita Kerckhove, cap. 3 § 11 n. 33 ex Marchant in Regulae cap. 2. tit. 3 qu. 12 *Cautelae et praxes. Quarto.*

indumentorum qualitatem attendere, ut vel sic ipsis constet an Fratres communi panno paupere, et grossitie, textura et colore praescriptis utantur. Si alicubi in his Ordinis mentem compererint defraudatam, contra provinciae Praelatos procedere teneantur.

146. Ut vero nullus sit excusationi locus, in sartorum officinis tabella, qua forma et mensura habitus, caputii et mantelli, ut supra, exprimantur, vulgari sermone confecta, habeatur.

147. Nulli cuiusvis qualitatis vel conditionis liceat habitu vel mantello ex alio panno uti, nisi quo Fratres provinciae utuntur, ne quidem sub praetextu eleemosynae sibi ab aliquo in particulari pro vestimentis collatae.

Statuuntur hisce art. **media uniformitatis in vestimentis conservandae.** — Specialiter notandum, ea quae art. 147 praescribuntur de vestimentis exterioribus, etiam intelligenda videri de interioribus, ut hoc modo etiam in iisdem inter eiusdem provinciae alumnos servetur, quae tantopere optanda est, perfecta uniformitas.

148. Omnes, tam subditos quam Superiores, monemus ut habitus vel tunicas tempore attritos, quando opus fuerit, resarciri faciant, nec statim ac aliqua ex parte diruptos viderint, novis indui curent; si enim pauperes et mendici sumus, assutis vestibus mendicorum statui conformari non gravemur.

Agitur hoc art. **de vestimentorum repetiatione,** cuius mentio fit in Regulae cap. 2, hisce verbis: « Et possint ea repetiare de saccis et aliis petiis cum benedictione Dei ».

Duplex huiusmodi repetiatio ab expositoribus distinguitur: *a)* Prior adhibetur in vestimentis antiquioribus, ut scil. diuturniore usu ex aliqua parte consumpta vel lacera non statim nova procurentur, sed ad ulteriorem usum repetientur, more pauperum, qui tempore attritas et laceras vestes non statim abiiciunt et novas sibi provident, sed quantum fieri potest illas resarcire student. Quae repetiatio est obligatoria, utpote pertinens ad paupertatis observantiam in vestimentorum usu ex Regula debitam (1); haec igitur ut opportune fiat et ipsi Fratres et sartores curare, necnon et Superiores invigilare debent, quam si negligant contra paupertatem delinquunt graviter vel leviter pro capacitate materiae. — *b)* Altera adhibetur etiam in vestimentis novis, tum interius ut fortiora reddantur validiusque contra frigus tueantur, tum exterius ut viliora appareant ac ita in iis saeculi despectus ostendatur. Quae repetiatio est libertas Regulae; ita tamen ut quoad formam et rationem servandam non relinquatur determinanda uno singulorum arbitrio, sed Superiorum iudicio iuxta Clementis V Declarationem a Ioanne XXII confirmatam (2). Hinc considerata communi Ordinis praxi, quae ad conformitatem in vestimentis plene cumulateque perfectam inter nos retinendam ex harum Constitutionum vi omnino servanda est, repetiatio externa, quatenus spectat vestimentorum vilitatem et saeculi despectum, prohibita videtur, de cetero tamen stricte servata panni vilitate. Quod autem habetur in textu art. 140: « neque [liceat] habitui alias petias subsuere nisi laneas eiusdem coloris » ex terminis intelligendum videtur de interna repetiatione. — Imo et repetiatio illa, quae diuturniorem respicit vestimentorum conservationem, ita intra limites decentis et congruae vilitatis servetur, ut « monstruosae repetiationis deformitas prudenter vitetur (3) ».

(1) Cfr. Commentarius ad art. 134.

(2) Cfr. Commentarius ad art. 134; Marchant in Regulae cap. 2 tit. 4 qu. 4.

(3) Cfr. textus art. 134.

149. Habitus autem caeterarumque vestium mundities, comite semper modestia et simplicitate, ab omnibus Fratribus summopere curetur.

Inculcatur hoc art. **curanda vestiti mundities** una cum modestia et simplicitate.

150. Fratres in stramineo sacco, super nudas tabulas vel rigidas crates ferreas posito, cubent. Senibus tamen debilibus, necnon infirmis, uti culcitris, Superiore annuente, non prohibetur. Sine habitu, vel saltem sine tunica, femoralibus et chorda Fratres non dormiant.

Statuitur hoc art. servanda **in dormiendo austeritas et decentia.**

1. **Austeritas** servanda praescribitur in lecto, qui esse debet saccus stramineus, exclusis omnino (nisi pro senibus debilibus, necnon pro infirmis) culcitris (culcitis), i. e. lectis ex pluma aliave materia molle, quibus uti solent saeculares; prohibentur etiam spondae quoquo modo molles, nominatim ex rete metallico vel ex spiris metallicis, licet retineatur superpositus saccus straminens. Quae austeritas plane conformis est spiritui S. P. N. Francisci, qui — ut scribit S. Bonaventura (1) — « experientia certa didicerat, daemones asperitate terreri, deliciosis autem et mollibus ad tentandum fortius animari »: ad quod demonstrandum S. Doctor ibidem addit: « Unde cum nocte quadam propter infirmitatem capitis et oculorum praeter solitum morem cervical positum haberet [seraphicus Pater] ad caput, daemon in illud ingressus ipsum usque ad horam matutinalem inquietatum multimode a sanctae orationis studio perturbavit, donec, vocato socio, pulvinar cum daemonio fecit extra cellulam longius exportari ». Quo facto edocti Fratres non quaerant lecti mollitiem, ac lubenti animo servent in dormiendo austeritatem quam

(1) Legenda séu Vita S. Francisci cap. 5.

praescribunt Constitutiones, ut simus — secundum doctrinam Apostoli (1) — « semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris ».

2. **Decentia** autem ea intelligitur, ut Fratres dormiant vestiti aut habitu integro quo interdiu utuntur (quod magis conforme est antiquis Constitutionibus), aut saltem tunica inferiore cum chorda et femoralibus (uti habet hodiedum vigens etiam inter timoratos mos, hoc art. expressis verbis permissus). Hic cum habitu dormiendi usus servatur ex pia consuetudine quae cum Ordine coepit et crevit (uti ex variis Constitutionibus constat), ac confirmatur ss. canonum statutis (2). Hinc peccare, saltem leviter, qui sine habitu dormit, docent plures AA.; at merito contradicunt alii communiter, nisi forte Ordinis Constitutiones ad hoc obligent sub peccato: etenim dictam consuetudinem esse eiusmodi, ut obligationem in conscientia inducat (uti supponunt severioris opinionis defensores) minime demonstratur; iura autem allegata honestatem potius quam necessitatem importare docet Suarez (3); accedit quod cit. canones ex Conciliis particularibus sunt recepti, adeoque vim legis generalis non habent (4). Recte igitur Philippus a Castelluccio (5): « Servare habitum, inquit, hoc est tunicam cum caputio, etiam nocte in lecto, non est obligatorium neque ex lege canonica, neque ex Regula quam professi sumus, neque ex consuetudine vigorem legis habente ». « Non excusari tamen — addit Kerckhove (6) — ab omni peccato Religiosum, qui totus nudus sine legitima causa in suo lecto diu decumberet, quum id limites honestatis excedat, et omnem hominem, etiam saecularem, dedeceat ».

---

(1) II Cor. IV, 10.

(2) Cfr. Cap. *Sanctimonialis* 24 Dist. 23; cap. 16 caus. 20 qu. 1.

(3) *De Relig.* lib. I cap. 5, 18. Cfr. Ferraris, verb. *Habitus* n. 19.

(4) Cfr. Piatus tom. I qu. 336 in nota (2).

(5) Primo aequiv. praec. art. 1.

(6) Cap. 3 § 11 n. 9.

151. Habitus Ordinis saecularibus nunquam detur, nisi cum eodem induti sepeliri voluerint.

1. Prohibetur hoc art., **ne alias quam ad sepulturam saecularibus concedatur habitus Ordinis**; qui alias concedunt graviter vel leviter peccare possunt ratione maioris minorisve periculi, ne eodem ignominiose in ludis vel lasciviis utantur(1). — Quoad eremitas notanda est Const. Benedicti XIII confirmativa, ampliativa et roborativa alterius Const. Urbani VIII, ubi praecipitur quibuscumque Ordinariis et Sedis Apostolicae Nuntiis, ne quemquam eremitam habitum Fratrum tertiariorum Ordinis Minorum, vel simplicem tunicam oblongam cum vel sine mantello, absque Superiorum praedicti Ordinis licentia in scriptis obtenta, quoquo modo ferre permittant; praeterea praecipitur praedictis eremitis sub gravissimis poenis, ut pro maiore facilioreque eorum a Fratribus dicti Ordinis discrimine de cetero ultra barbam gestent etiam tunicam breviorem solitumque scapulare longius pallio seu mantello ad differentiam tertiariorum commensalium (2).

2. Concessa est a Leone X **indulgentia plenaria morientibus et sepeliri volentibus in habitu franciscali**, i. e. Fratrum Minorum aut Clarissarum vel Sororum Tertii Ordinis respective pro viris aut mulieribus: quam indulgentiam ut quis lucrari possit requiritur *a)* ut non solum petat sepeliri in dicto habitu, sed ut eodem indutus moriatur vel saltem in articulo mortis eumdem super se vel super lectum habeat, ac *b)* ut idem habitus ipsi concessus fuerit a Superiore Ordinis vel ab alio ex eiusdem commissione(3).

152. Nullo unquam tempore, etiam animi recreandi causa, Religionis habitum Fratres exuant, saecularemve superinduant.

---

(1) Cfr. Ferraris, verb. *Habitus* nn. 47 et 48.

(2) Cfr. Ferraris, verb. *Eremita* n. 20.

(3) Cfr. Kerckhove cap. 4 § 3 nn. 5 et 6; Ferraris, verb. *Habitus* nn. 43 et 44.

1. Agitur hoc art. **de Religionis habitu dimittendo**, vel **deponendo**, vel etiam veste superaddita **occultando**.

Ex iure communi (1) (apud nos etiam ex Regulae cap. 2 aequivalente praecepto) Regulares, qui ex instituto utuntur habitu proprio, eumdem gestare tenentur obligatione ex genere suo gravi, nec detur licentia cuiquam Regulari occulte ferendi habitum suae Religionis (2). Hinc qui, extra casum iustae causae a lege excusantis, per tempus notabile, puta per integrum diem, habitum dimittit, graviter peccat: quod intelligendum de dimissione proprie dicta, quae vestium mutationem importat, adeoque transitum ab habitu Religionis proprio ad aliam vestem non competentem (3), cui aequiparanda videtur habitus occultatio totalis, formaliter enim habitum dimittere in casu censendus est, qui eumdem non gestat patenter seu ut signum propriae Religionis protestativum (4). — Simplex habitus transitoria depositio, praesertim partialis, non videtur saltem graviter peccaminosa; imo nullum est peccatum, si fiat ex causa rationabili, maxime praxi comprobata; si vero fiat ex levitate vel sola commoditate, maxime contra usum vigentem, non solum perfringit huius art. statutum (quod de sola habitus depositione irrationabili intelligendum videtur) sed nec a peccato veniali excusanda, quia peccaminosum est quidquid irrationabiliter fit in rebus ad conscientiam pertinentibus. — Speciatim prohibetur, ne in repraesentationibus, quae honestae recreationis causa a Fratribus fieri licite possunt, habitus deponatur vel aliud vestimentum superinducendo occultetur.

---

(1) Cap. *Clerici* 15 *De vita et honest. cleric.* (lib. III tit. 1); cap. *Ut periculosa* 2 *Ne clerici vel monachi* in 6 (lib. III tit. 24).

(2) Conc. Trid. Sess. 25 cap. 19 *De Regularibus.*

(3) Cfr. Piatus tom. I qu. 335.

(4) Cfr. Piatus tom. I qu. 339.

2. In habitus dimissionem proprie dictam iure Decretalium (1) statuta est **excommunicatio latae sententiae nemini reservata**; quae poena, non obstante Const. *Apostolicae Sedis*, etiamnum vigere cum communi DD. dicenda est, cum spectet internum regimen Ordinum et Institutorum regularium; non tamen videtur afficere simpliciter professos, quippe quos esse proprie Regulares non constat (2). -- Porro ad huiusmodi poenam incurrendam ex terminis cit. cap. *Ut periculosa* requiritur, ut habitus dimissio temere fiat, i. e. cum scientia legis et sine rationabili causa saltem apparente (3); ceterum requiritur, ac etiam sufficere videtur habitus dimissio proprie dicta sensu superius explicato externe mortaliter peccaminosa, utpote per quam iuxta textum et rationem legis praebetur occasio vagandi: hinc non admittenda videtur Lucii Ferraris (4) cum aliis doctrina, ex qua insuper requiritur exitus e claustris; etenim in terminis non exitus poena punitur, sed habitus dimissio, ex qua periculosam praeberi materiam liberius exeundi et vagandi (quam per dictam poenam subtrahere intendit Pontifex), dubitari non potest (5).

In lege habitum non dimittendi seu permutandi cum alio, utpote quae est iuris communis, directe dispensat solus Rom. Pontifex eiusve delegatus; Praelatus regularis indirecte tantum dispensare potest, praecipiendo scil. vel permittendo ob iustam causam opus, ad quod faciendum prudentia postulat ut habitus dimittatur vel saltem occultetur (6).

---

(1) Cfr. *Ut periculosa* 2 *Ne clerici vel monachi* in 6° (lib. III tit. 24).

(2) Cfr. Vermeersch *De relig. Institutis* etc. tom. I n. 313, 2; Piatus tom. I. qu. 338.

(3) Cfr. Piatus tom. I. qu. 337. 2° c).

(4) Verbo *Habitus* n. 15.

(5) Cfr. Piatus tom. I qu. 340.

(6) Cfr. Piatus tom. I qu. 344.

§ XX.

De tonsura.

153. Omnibus Fratribus quolibet saltem mense tonsura radatur; neque ad hoc liceat saecularium tonstrinas adire.

154. Si quis adversae valetudinis causa, vel ob defectum periti tonsoris, radi non poterit, ei forficulis profunde ita tonderi liceat, ut rasus videatur.

Statuitur **tonsurae renovandae tempus**. Tonsura haec intelligitur specialis capitis tondendi modus, qui a monachis primum usurpatus ad clericos transiit primitus eadem omnino et deinceps temperatiore (si ita loqui fas est) forma, ut peculiari hac tonsione modo magis determinato in Ecclesia a ceteris fidelibus distinguerentur, qui sive in Religione sive in clericatu servitio divino specialiter fuissent mancipati. — Huius tonsurae deferendae obligatione eadem qua ceteri clerici, ex iure communi tenentur Religiosi in sacris constituti; qua in re pro materia gravi ratione diuturnitatis neglectae delationis a plerisque DD. non habetur nisi spatium integri anni, imo a pluribus ne id quidem, si de cetero habitus distinctio servetur (1).

Notandum ex huius art. statuto, exceptis adversae valetudinis vel deficientis tonsoris periti casibus, tonsuram stricto sensu radendam ad conformitatem servandam omnibus praescribi.

155. Capitis corona ab auribus ducatur et eiusdem latitudo tres digitos non excedat. Laicis circulus in rotundum item ducatur ab auribus. Cuncti breves semper capillos deferant.

---

(1) Cfr. Lehmkuhl *Theol. moralis* t. II n. 610 (Ed. 11 n. 772) IV, 2.

1. Definitur hoc art. **tonsurae forma**, quae « ea sit, ut toto capite superius detonso inferius relinquatur sola capillorum figura coronae, quae tres digitos (nec plus neque minus) in latitudinem ab auribus (i. e. ab ea aurium parte qua capiti sunt connexae) ducta et aliquantulum descendens ad cervicem caput circumcingit, detonsis etiam capillis longioribus, rasisque cum barba semper temporibus » (1). Haec est tonsura Fratrum sacerdotum et clericorum propria; Fratribus laicis, quibus proprie dicta tonsura non competit, inferius tantum ab auribus in rotundum capilli ex huius art. praescripto tondentur seu raduntur.

2. **Tonsurae significationem** mystico-moralem explicat Glossa in Clementin. cap. *Quorumdam* 2 *De vita et honest. cleric.* (lib. III tit. 1) hisce verbis: «.... Corona est signum regni et perfectionis, cum sit circularis carens angulo in signum carentiae sordium, quia ubi angulus ibi sordes: se ergo et alios virtutibus tegere et sordibus mundare debent, et sic in Deo regnabunt. Per rasuram autem ex parte superiori capilli subtrahuntur, ne mens ipsorum per occupationes temporales retardetur a contemplatione mysteriorum divinorum, summitas enim capitis est eminentia mentis: per ipsius ergo denudationem mentis relevatio designatur. Et quia conversi [laici] ministeriis divinis non occupantur, superius non raduntur, licet inferius tondeantur, quia temporalia deponunt. Tonsura vero ex parte inferiori capillos tondet usque ad elevationem sensuum, scilicet visus et auditus, ne scil. oculos vel aures impediant; et est signum, quod praescindenda sunt vitia cordis et corporis, ne intuitum divinorum impediant; et ex his debetur corona coelestis » (2).

---

(1) Cfr. Declaratio Rmi P. Ministri genlis, *Acta Ordinis*. Anno XXVI (1907) pag. 271 sub III.

(2) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 11 n. 36.

CAPUT III.

§ I.

De divinis officiis et choro.

156. Sacrae functiones et divinum Officium peragantur omnino ad praescriptum nostri Missalis, Breviarii, Caeremonialis ac Ritualis; neque pietatis etiam intuitu novum aliquid introduci permittatur.

Praescribitur hoc art. **ritus servandus in sacris functionibus et divino Officio peragendis**: qui ritus est sanctae Romanae Ecclesiae, cui Ordinis Missale, Breviarium, Caeremoniale ac Rituale in omnibus sunt conformia. — Huius ritus observantia generatim loquendo est de praecepto: patet imprimis ex vi rubricarum, quae iuxta communem DD., exceptis paucis omnino rubricis forma consilii expressis (1), omnes aliae, sive forma praecepti sive forma indifferenti seu aequivoca enuntiatae, veram et proprie dictam imponunt obligationem (2); deinde speciatim quoad divinum Officium peragendum probatur ex aequipollenti cap. 3 Regulae praecepto: «Clerici faciant divinum Officium secundum ordinem sanctae Romanae Ecclesiae», quod praeceptum non solum divini Officii substantiam, sed et ritum seu modum recitandi respicit (3); ita tamen ut hoc speciale Regulae praeceptum non obliget strictius, neque ad plura, quam communis clericorum divini Officii recitandi ex lege Ecclesiae obligatio: qui

(1) V. g. quae monent preces initio Missalis positas dicendas esse ante Missam pro opportunitate sacerdotis, aut sequentiam «Dies irae» legendam esse in Missis quotidianis defunctorum ad arbitrium sacerdotis.

(2) Cfr. Pourbaix-Coppin, *Sacrae Liturgiae Compendium* n. 6 sqq.

(3) Cfr. Kerckhove cap. 2 § 2 n. 2; Marchant in Regulae cap. 2 tit. 1 qu. 2.

enim obligatur ad ordinem S. Romanae Ecclesiae in horis canonicis servandum, tenetur sub eadem obligatione, qua Romana Ecclesia illum ordinem praecipit (1).

Ex hisce igitur manifestum est, quanta diligentia omnes curare debeant rubricarum et caeremoniarum tum notitiam tum observantiam. « Cum enim rubricae — ita Pourbaix-Coppin (2) — non sint merae regulae, sed plerumque vim habeant praecepti saltem levis, nonnunquam gravis, nemo non videt quot peccatis onerari possit sacerdos qui quotidie celebrat, quotidie Sacramenta ministrat, aliasque peragit sacras functiones, et in his omnibus, ob suam incuriam aut crassam ignorantiam, multas omittit aut pervertit rubricas, quae tamen pro libitu, teste Benedicto XIII, « in minimis etiam sine peccato negligi, omitti vel mutari haud possunt ». Neque hic praetermittendum est quod addit Tirinus: omissionem per se levem fieri posse gravem ratione scandali et contemptus; « et a contemptu — ita pergit idem auctor — nescio quomodo excusari possint istas caeremonias omittentes saepe saepius, imo immutantes, imo transferentes et confundentes ». — Accedit, quod iuxta Sixti V (3) verba « sacri ritus et caeremoniae, quibus Ecclesia a Spiritu Sancto edocta ex apostolica traditione et disciplina utitur in Sacramentorum administratione, divinis Officiis omnique Dei et Sanctorum veneratione, magnam christiani populi eruditionem veraeque fidei protestationem continent, rerum sacrarum maiestatem commendant, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollunt, et devotionis etiam igne inflammant »; hinc sicut rubricis accurate servatis erga res sacras venerationis devotionisque affectu fidelium mentes imbuuntur, ita econtra iis omissis aut neglectis rebus sacris contemptus et fidelibus scandalum facile afferri potest.

---

(1) Cfr. Gabriel-Angelo da Vicenza, *La Regola* etc. cap. 3 § 1.
(2) Opere cit. n. 11, 2°.
(3) Const. *Immensae aeterni Patris.*

157. Conventualis Missa officio diei conveniens quotidie celebretur, cui omnes non legitime impediti interesse tenentur.

1. Edicitur hoc art. imprimis **obligatio quotidie celebrandi Missam conventualem officio diei convenientem,** qua in obligatione explicanda DD. non conveniunt. Sunt qui huiusmodi obligationem non admittant nisi ex propriis Constitutionibus aut ex consuetudine, etiam post S. R. C. Decretum generale 2 Dec. 1891 sub I (*Decr. Auth.* n. 3757)(1); ast cum De Carpo(2) aliisque praefata obligatio etiam ex iure communi omnino affirmanda videtur, praesertim post S. R. C. responsum 14 Maii 1909(3); interrogata enim eadem S. C.: « An Religiosi, quorum Constitutiones nihil disponunt circa Missam conventualem, teneantur dicere quotidie unam Missam conventualem officio diei correspondentem, iuxta Decretum generale S. R. C. sub n. 3757 diei 2 Dec. 1891? », rescripsit: « *Affirmative* »; et ratio est quia Officii divini, quod in ecclesiis etiam regularibus iure communi(4) persolvendum praescribitur, integralis pars est Missa cum eodem conveniens. — Quae obligatio ex communi DD. cum Suarez(5) sub gravi est, ita ut Superior regularis, ubi est competens sacerdotum numerus, sub gravi culpa debeat curare, ut singulis diebus in propria ecclesia celebretur Missa conventualis, nisi forte omittatur ob urgentem et rationabilem causam(6).

---

(1) Cfr. *Monitore Ecclesiastico* vol. XII (seconda serie II) pag. 274 sub 85 coll. vol. VII part. 1 pag. 183 et part. 2 pag. 116 cum De Herdt *S. Liturgiae praxis* tom. I. n. 14.

(2) *Compl. Bibl. Lit.* part. 1 n. 10.

(3) Cfr. A. A. S. vol. I pag. 469 sub I.

(4) Cfr. Clement. *Gravi* 1 *de celebr. Missarum* (lib. III tit. 14).

(5) *De sacrificio* disp. 80 sect. 2 assert. 12 apud Kerckhove cap. 2 § 2 n. 30 contra Sanctorum cap. 3 Statutum 6.

(6) Cfr. Caeremoniale Ordinis nn. 413-419.

Quod spectat ad Missae conventualis applicationem exclusivam pro communitatis spirituali ac temporali bono necnon pro benefactoribus (quae fit in pluribus provinciis iuxta valde laudabilem consuetudinem aut peculiaria Statuta): huiusmodi applicatio cum obligatione celebrandi Missam conventualem de iure communi non est connexa. Declaravit quidem Benedictus XIV (1) Missam conventualem in ecclesiis cathedralibus et collegiatis canendam etiam quotidie debere applicari pro benefactoribus in genere cuiuslibet ecclesiae, sed non constat illam Declarationem afficere Missam conventualem quam Regulares celebrant; eorum enim ecclesiae non sunt cathedrales, nec stricte dictae collegiatae.

2. Continetur deinde hoc art. **Missae conventuali assistendi praescriptum,** quod praescriptum etiam iuris communis esse videtur, siquidem in cit. S. R. C. responso 14 Maii 1909 ad II legitur: «Missa conventualis choraliter, id est cum assistentia communitatis omnino celebranda est...» — Hoc autem praescriptum ex benigna iuris mente, intelligi posse videtur cum hac moderatione seu restrictione, ut assistentia Missae quae pro conventuali habetur non requiratur casu quo ex speciali causa cum communitatis assistentia celebretur altera Missa, sive extra sive iuxta divini Officii ordinem; licet enim haec altera Missa (saltem si extra ordinem officii celebretur) pleno sensu conventualis dici nequeat, tamen ratione assistentiae conventualis haberi posse videtur, eoque magis quod, ex S. R. C. Decreto n. 2514 ad 5, Regularibus duabus Missis conventualibus assistendi necessitas non est.

158. Diebus Dominicis ac festivis de praecepto, necnon in principalioribus Ordinis nostri festis, in illis conventibus in quibus sufficiens habetur nu-

---

(1) Const. *Cum semper* n. 2 apud Ferraris verb. *Missa* art. 3. n. 11.

merus Fratrum cantum ecclesiasticum callentium, Missa cantetur et si fieri possit, etiam Vesperae vel Completorium.

Praecipiuntur hoc art. quibusdam diebus determinatis vel per Statuta provincialia magis determinandis **Missa cantanda,** necnon **Vesperae** vel **Completorium cum cantu** persolvenda.

159. Festum Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, sub hoc mysterio singularis Ordinis nostri Patronae, ubique religiosa solemnitate celebretur. Item commendamus Ordinis nostri sacerdotibus ut utantur privilegio nobis concesso, celebrandi diebus sabbatinis, exceptis excipiendis, Missam votivam eiusdem Immaculatae Conceptionis, salva tamen semper Missa conventuali de Officio currente.

160. Cum Ordo noster SS. Cordi Iesu sit consecratus, statuimus ut festum eiusdem SS. Cordis quotannis in ecclesiis nostris solemniter celebretur, fiatque publica renovatio praefatae consecrationis, iuxta formam in Rituali Ordinis praescriptam. Insuper quavis prima cuiusque mensis feria VI, annuente Ordinario, SS. Sacramentum exponatur, atque, officio diei permittente, cantetur vel legatur Missa votiva de SS. Corde. Eadem feria VI singuli sacerdotes libenter utantur indulto nobis concesso, celebrandi Missas privatas de eodem SS. Corde Iesu, salva semper Missa conventuali. Quotidie, post Completorium vel alio tempore opportuno, consuetae preces in honorem SS. Cordis recitentur.

Statuuntur hisce art., ex speciali ratione ibidem relata, **festa Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis et SS. Cordis Iesu cum peculiari solemnitate celebranda.** — Praeterea commendantur, vel etiam praescribuntur quaedam **devotionis exercitia in B. M. V. Immaculate conceptam ac in SS. Cor Iesu** (1).

161. Ad divinas laudes in choro persolvendas, omnes statis temporibus conveniant, et nullus omnino, cuiuscumque privilegii vel superioritatis praetextu, a servitio chori censeatur immunis, nisi tempore quo quis officio suo legitime impediatur.

162. In residentiis vel stationibus, ubi, ob insufficientem Religiosorum numerum chori obligatio non urget, exhortamur Patres ut, in quantum possibile erit, horas canonicas choraliter persolvere zelo religioso studeant.

163. Si quis necessitate praepeditus choro interesse nequeat, et necessitas ad breve tempus duratura sit, de licentia Guardiani vel Praesidis abesse poterit; secus vero a Ministro provinciali licentiam obtinere debet, qui eam nisi gravem ob causam non concedat.

1. Agitur hisce art. et seqq. **de divini Officii choraliter persolvendi obligatione**: qua obligatione, primitus consuetudine introducta, ex iure Decretalium (2) etiamnum vigente tenentur cum aliis omnes Regulares qui ex suo instituto ad chorum destinentur; huiusmodi autem obligationem esse etiam vi Regulae communiter (contra plures) negant expositores: Regulae praeceptum de fa-

---

(1) De privilegio celebrandi Missam votivam Immaculatae Conceptionis cfr. Caeremoniale Ordinis nn. 271 et 272 et *Monumenta* pag. 189 sqq.; de Missa votiva SS. Cordis Iesu cfr. *Monumenta* pag. 196 sq.

(2) Cfr. Clement. *Gravi* 1 *De celebrat. Missarum* (lib. III tit. 14).

ciendo Officio divino iuxta ordinem S. Romanae Ecclesiae sensu directo et explicito explicant de recitatione personali et privata, ac S. Romanae Ecclesiae ordinem (quo comprehendi recitationem choralem opinantur alii) intelligunt de solis officii recitandi substantia et ritu (1). — Divini Officii choraliter recitandi obligatio est gravis ex genere suo, ut proinde mortaliter peccetur, si omittatur pars notabilis, qualis in recitatione chorali censetur, fortiore ratione quam in recitatione privata, hora minor moraliter integra vel pars aequivalens (2).

2. **Choralis recitationis obiectum** constituit imprimis **quotidiani Officii pensum** (ad quod merito referuntur Litaniae maiores (3) in festo S. Marci et in triduo Rogationum) prout in recitatione privata. Accedunt apud nos quinque officia defunctorum, quatuor generalia et quintum generalissimum (4).

3. Praefatae **obligationis subiectum** est praedictorum Regularium communitas qua talis, ita tamen ut obligationis implendae cura primario et ex munere incumbat Superiori, secundario tantum, deficiente scil. muneri suo Superiore, incumbat subditis. — Ut vero communitas hac obligatione actu ligetur, requiruntur et sufficiunt ex sententia communiore et probabiliore saltem quatuor (5) Religiosi ad chorum obligati (quales sunt clerici saltem simpliciter professi) (6), et quidem actu praesentes et expediti (7) seu non legitime excusati.

---

(1) Cfr. Marchant in Regulae cap. 3 tit. 1 qu. 5; Kerckhove, cap. 3 § 2 n. 20; Victorius ab Appeltern qu. 207.

(2) Cfr. S. Alphonsus lib. IV n. 142 *Notandum* 2 coll. n. 147.

(3) Cfr. Caeremoniale Ordinis nn. 181 et 648.

(4) Loc. cit. n. 175.

(5) Ferraris (verb. *Officium divinum* art. 1 n. 45) cum aliis docet requiri et sufficere tres.

(6) S. C. Episc. et Regul. 6 Aug. 1858 et 24 Mart. 1882; hinc ad obligationem non sufficiunt soli clerici novitii, a quibus tamen solis obligationi satisfieri probabiliter potest.

(7) Cfr. S. Alphonsus lib. IV n. 143 *Notandum 1.*

Ceterum individualis singulorum in choro praesentia non est meri consilii, siquidem ad eamdem obligantur tum solemniter tum etiam simpliciter professi non solum ex harum Constitutionum art. 161, sed et apostolicorum Decretorum (1) dispositione; quam obligationem moralem esse (communius sub levi tantum) docent alii (2), alii vero eamdem poenalem opinantur, ita ut etiam culpabiliter absentes per se non peccent, sed obligentur tantum ad poenam iuxta Ordinis Statutorum tenorem (3). Quidquid autem est de hac disputatione (4), practice nulla excusante causa rationabili — ut ait Suarez — obligatio huiusmodi vix violatur absque culpa levi; imo graviter peccat non solum Superior, ex cuius negligentia culpabili officii pars notabilis in choro non recitatur, sed etiam subditus, si eiusdem (non legitime dispensati) praesentia necessaria sit ad chorum rite habendum, vel si obedientia Superioris grave praeceptum imposuerit, vel etiam ex eiusdem absentia grave oriatur scandalum (5).

4. **Legitimae excusationis causae** sunt, praeter impotentiam sive physicam sive moralem, legitima exemptio vel dispensatio.

Exemptio autem, ex art. 161 tenore, recepto ex Clementis VIII Const. *Nullus omnino* (6), nemini, cuiuscumque privilegii vel superioritatis praetextu, competit nisi in quantum quis officii sui occupationibus pro tempore impediatur. — Ad dispensationem vero quod spectat notandum, apud nos non vigere Clementis VIII in cit. Const. hac de re dispositionem, utpote cuius in hisce Constitutionibus nulla fit mentio (7). Hinc in Ordine nostro res sol-

---

(1) Cfr. Clementis VIII Const. Nullus sub 1 n. 1.

(2) Cfr. Lehmkuhl *Theol. moralis* (Ed. 11) tom. II n. 788 sub 5; Vermeersch tom. I n. 314 sub 2.

(3) Cfr. Victorius qu. 208 ad I.

(4) Cfr. Piatus tom I qu. 347.

(5) Cfr. Vermeersch loc. cit.

(6) Cfr. *Monumenta* pag. 132, 1.

(7) Cfr. *Monumenta* pag. 181, I°.

venda est ex generali facultate, quam habent Superiores regulares, dispensandi super leges Ecclesiae in casibus frequenter occurrentibus (1) una cum hisce Constitutionibus. Quibus consideratis haec in praxi tenenda videntur: *a)* Dispensationem a chorali servitio, casu quo ex eadem impeditur legitima chori obligationi satisfactio, a Superioribus concedi vel eamdem plus minusve generaliter concessam applicari non posse, nisi ex causa omnino gravi, quum agatur de gravi obligatione impedienda. *b)* Remanente etiam sufficiente Religiosorum numero ad chori obligationi satisfaciendum, dispensationem a chorali servitio plus minusve generalem et stabilem concedi non posse, praeterquam in casu aegritudinis vel senectutis, nisi titulo extraordinariae occupationis in sacro ministerio aut specialis studii in scholis praeparandis et habendis vel alterius laboris scientifici: quibus in casibus dispensationis causa non requiritur absolute gravis, sed sufficit valde rationabilis. *c)* Ad concedendam dispensationem in casu particulari et transeunte a singulorum praesentia personali, quae tamen non sit necessaria ad chori obligationi satis faciendum, sufficere, interpretante communi usu et consuetudine, quamlibet causam rationabilem.

Qua in re attendendum etiam ad art. 163, ex cuius statuto Superiores locales nonnisi pro singulari aliquo casu, vel ad summum pro continuis aliquibus diebus a chorali assistentia subditos dispensare possunt, pro longiore vero exemptione requiritur Ministri provincialis licentia. — Ceterum cavendum omnino, ne per facilem dispensationem, vel etiam per impunitam aliquorum tepidorum negligentiam, decens Officii divini celebratio patiatur detrimentum, Religionis decor paulatim obfuscetur, et rigor tepescat; sicut enim in ceteris rebus, ita et in hac nimis facilis dispensatio est mera legis dissipatio et regularis observantiae relaxatio: accedit quod indiscrete

(1) Cfr. Vermeersch n. 314, I, 4.

eximendo aliquos a communi onere, ceteri aggravantur et ad similes licentias extorquendas incitantur, sicque charitas laeditur et vita communis diminuitur (1).

Tandem notandam directam a chori obligatione dispensationem, sive temporaneam sive perpetuam, universae communitati vel Religioni nonnisi a S. Sede concedi posse.

Nota. Speciatim **lectores**, ex declaratione Definitorii generalis (2), per se ad chorum tenentur sicut ceteri; per accidens tamen seu in praxi dispensari poterunt a Ministro provinciali ad normam art. 161 et 163. Dispensationem suam Minister provincialis limitabit vel extendet iuxta necessitatem, quae generatim non aderit, saltem plene, diebus dominicis et festivis; certo non aderit necessitas ad dispensandum pro tempore longiorum vacationum, nisi forte in aliquo casu extraordinario.

5. **Choralis recitationis locus** est conventus vel residentiae ecclesia publica (vel ea deficiente internum oratorium principale) aut etiam alius locus decens qui ex iudicio Episcopi, tamquam Apostolicae Sedis delegati, cum ecclesia communicat, ita ut per recitationem in alio loco generatim loquendo chori obligationi non satisfiat. Huc spectant quae sequuntur S. R. C. resolutiones (3):

« Dubium I. An Fratres Minores praecepto chori satisfaciant Officium divinum recitando in oratorio privato conventus ab ecclesia separato? Quodsi negative:

« Dubium II. An praecepto chori satisfaciant Officium divinum recitando in oratorio privato conventus, quod aperto muro vel accessu ecclesiae iungitur?

« Dubium III. An Superior localis dispensare possit, ut, eius arbitrio ex causa, veluti ob nimium frigus vel ca-

---

(1) Cfr. Kerckhove cap. 2 § 2 nn. 26 et 27.

(2) Cfr. *Acta Ordinis* anno XXXII (1913) pag. 249 *VI Dubium*.

(3) Cfr. *Decr. Auth.* (Ed. nova) n. 3506.

lorem, per aliquot menses Officium divinum recitetur extra ecclesiam in oratorio conventus vel sacristia?

« Resp. Ad I. *Negative.*

« Ad II. *Affirmative iuxta modum*, nimirum: Ad Rmum Episcopum, qui tamquam Sedis Apostolicae legatus visitet locum et videat, an sit decens et cum ecclesia communicet.

« Ad III. *Provisum in secundo* ».

Quae tamen resolutiones nihil obstare videntur, quin, existente vere rationabili et non facile auferendo impedimento quominus in casu particulari Officium divinum saltem decenter recitetur in ecclesia, recitatio choralis fiat in sacristia, vel etiam in oratorio vel alio quocumque honesto loco. Hinc Suarez (1) ait: « Antiquissima semper Ecclesiae consuetudo fuit, ut haec Officia quotidie in templis dicerentur, nisi necessitas aliud facere cogeret, id enim semper etiam facere licuit, et nunc licet ».

164. Recitatio Officii neque nimis protracta sit, neque nimis festina. Una pars chori recitare non incipiat, nisi altera pars iam desierit, et ad asteriscum semper pausa fiat.

Agitur hoc art. **de modo in chorali recitatione servando**: qui modus (praeter ea quae iam ad privatam recitationem spectant) hoc proprium habet:

a) Ut recitatio sit c o m m u n i s, et quidem a l t e r n i s (non ternis etc.) partibus, ita tamen ut quaedam iuxta morem ab uno vel solo vel alternatim cum altero aut a toto choro dicantur; hinc choralis recitatio (exceptis iis quae iuxta rubricas a singulis secreto sunt dicenda) fiat necesse est tali voce, ut recitata cum aliis auditione communicentur: nihil tamen refert quod unus vel alter ex

(1) *De Religione* lib. IV cap. 10 n. 21 in fine apud Kerckhove loc. cit. § 2 n. 24. Cfr. Angelus a SSmo Corde, *Manuale iuris comm. Regul.* etc. tom. I n. 383.

pluribus utatur submissa voce (1), quum necesse non sit, ut recitantes in una parte audiant omnes recitantes in altera, imo et ipse satisfacit praecepto recitandi horas canonicas (2), quia ille dicit integrum Officium qui dicit unam partem a se et habet alteram partem sibi communicatam a sociis (3). — Si quis in culpa non est, quominus aure percipiat ea quae altera pars chori recitat, probabiliter satisfacit, dummodo attendat quantum potest: sufficit autem in confuso saltem audire alteram chori partem, licet distincte audiri nequeat (4). Exinde plures DD. absolute docent satisfacere surdastrum, qui nempe possit aliquoties audire et praestet attentionem quam potest: et hoc probabile est S. Alphonso (5), saltem si advertat in breviario quae in confuso audit, ita ut bene percipiat quae dicuntur; verum eodem modo satisfacere et omnino surdum, negant plures DD. docentes necesse esse ut non audita submissa voce dicat (quod et S. Alphonso (6) magis placet), sed et non pauci affirmant, « nec immerito — ait D' Annibale (7) — nam oportet chori obligationes et iura aequa lance [siquidem surdum lucrari distributiones admittunt ipsi adversarii] metiri ». — Praeterea in chorali recitatione sedulo cavendum, ne una pars incipiat antequam altera plene absolverit; secus enim facile saltem venialiter peccari poterit laedendo debitam recitationis integritatem. Similiter quando in Officio cantato ab organo modulante figuratur quorumdam cantus (uti fit in hymnis,

---

(1) Semper requiritur, ut ex sociis praescriptus numerus (tres vel quatuor) alta voce utatur, secus non satisfit chori obligationi.

(2) Non autem satisfacit servitio chori; unde peccat si sub culpa tenetur ad recitationem Officii in choro, nec sua facere potest emolumenta quae iure secus percipere potuisset.

(3) Cfr. Suarez *De horis canonicis* cap. 12 n. 5 sqq.; S. Alphonsus lib. IV. n. 163 quaer. 1. in fine.

(4) Cfr. S. Alphonsus lib. IV n. 163 quaer. 2.

(5) Lib. IV. n. 163. quaer. 3. in fine.

(6) Lib. IV. n. 163. quaer. 3.

(7) *Summula Theol. moralis* part. III. n. 151. in nota (38).

canticis et antiphonis post psalmos repetendis) haec quae vocibus non cantantur iuxta Caerem. Episc. praescriptum (1) ab aliquo de choro intelligibili voce sunt supplenda. Verum ex sententia S. Alphonsi (2) cum communi « in choro non tenentur omissa supplere ii, qui, dum alii cantant, parant aut transferunt libros, perquirunt psalmos, pulsant organa aut campanas, vel alia choro necessaria peragunt; tunc enim per socios suppletur, quod ipsi forte non satis percipiunt »...; etiam « probabiliter satisfacit, qui, dum alii recitant, tussit vel excreat, etiamsi integer psalmus interim dicatur... Item probabiliter [quidam DD.] excusant eum qui in choro perlegit lectionem ne erret, alioquin erraturus; haec enim causa satis excusat ab illa levi omissione ».

b) Quod spectat ad debitam attentionem in recitatione communi (sive in choro sive cum socio), qui nullatenus attendit ad ea, quae ab altero [vel ab altera chori parte] dicuntur, sed distractionem plene voluntariam attentionem prorsus excludentem fovet, sane ne ad substantiam quidem satisfacit: nam qui ipse recitat, utcumque saltem canonicum pensum absolvit; qui vero alterum sinit recitare, nihil cum ulla attentione audiens, quoad hanc partem nihil facit. Imo hac in re ipsa involuntaria distractio, si attentionem penitus sustulit, facescit difficultatem: nihilominus iure ita legem ecclesiasticam interpretari debemus, ut propter eam noluerit ad aliquid repetendum obligare, sicut communiter sentiunt theologi; alioquin in choro aliquis difficulter satisfacit... Atque illa benigna interpretatio videtur applicanda esse omnino, etsi distractio aliquo modo voluntaria subrepserit, siquidem etiam illa non necessario omnem attentionem superficialem impedit. Quare nisi quis plene voluntarie distractus etiam satis adverterit, se attentionem nullam praestare posse, de obligatione repetendi non constare censeo... Et revera illa

(1) Lib. I cap. 28 § 6.
(2) Lib. IV. n. 143 *Notandum* 3.

assistentia quam choro adhuc aliquo modo pia mente praestat, et participatio cum aliis aliquantulum supplere potest proprium defectum (1).

c) Ex unanimi DD. sententia recitatio quae fit ex instituto Ecclesiae in choro, fieri debet nomine Ecclesiae et pro Ecclesia. Quum enim Officium divinum, saltem in choro recitatum, sit oratio publica et communis, quae per ministros Ecclesiae in persona totius populi fidelis Deo offertur, hinc tenentur tales ministri Ecclesiae offerre Deo Officium divinum pro ipsa Ecclesia et populo fideli, cuius voluntatis et petitionis in casu sunt legati et interpretes, et non possunt pro libitu offerre pro seipsis aut pro aliquo homine vel aliqua causa particulari (2). Qui totum Officium divinum, nimirum quoad omnes suas partes substantiales omnemque fructum satisfactorium et impetratorium, sic sibi vel alteri applicaret, peccaret certe; at Sporer (3) talem non audet damnare peccati mortalis, etsi a gravi veniali non excuset. « Ceterum certum videtur — ita cit. auctor (4) — posse te licite et laudabiliter tibi vel alteri applicare vel donare *a*) fructus accidentales ex speciali tua devotione vel difficultate habita in divino Officio...; *b*) omnem extraordinarium fervorem ac devotionem, quam ultra debitum adhibes; *c*) illum fructum spiritualem, qui in te redundat, quatenus exerces actum formalis obedientiae vel iustitiae, fungendo fideliter officio legati; *d*) addit Gobat... etiam fructum satisfactorium totius Officii, etsi contra sentiat Azorius... Quare licite et laudabiliter dices: Domine Deus, hanc recitationem Officii offero quoad possum pro hoc particulari homine, pro hac anima: qua oblatione tanto plus tua recitatio proderit illi particulari homini vel animae, quanto devotius et accuratius divinum pensum persolveris ».

---

(1) Haec Lehmkuhl tom. II. n. 637 (Ed. 11 n. 806).
(2) Cfr. Sporer (Ed. nova) *Theol. moralis sacramentalis* part. I. n. 444.
(3) Loc. cit. n. 445.
(4) Loc. cit. n. 446.

Nota. Communis DD. sententia idipsum universim affirmat de privata recitatione extra chorum; at Sporer (1) cum Gobat distinguens affirmat quoad eos, qui horas recitant privatim ex titulo beneficii aut professionis religiosae, negat (probabilius) quoad eos qui Officium divinum peragunt privatim ex solo titulo ordinis sacri.

d) Tandem in recitatione chorali, maxime solemni, uniformiter ab omnibus servandae sunt caeremoniae tum usu introductae tum praesertim a rubricis praescriptae, quae ordinantur non solum maioris devotionis gratia (ut volunt nonnulli), sed et, si agatur de posterioribus, cum stricta obligatione, ita tamen ut earum omissio per se non excedat culpam venialem (2). — Quibus in caeremoniis perfecta servetur uniformitas, ut nempe simul stent, sedeant, surgant, ac inclinent pariter, tempestive scil., devote, sufficienter et honeste, uti explicat *Speculum disciplinae* (3); quod concludendo addit: « Pulchra valde uniformitas in congregatione et conventu Fratrum, ubi debent et mores et animi convenire. Unanimes uniformitas decet, quae in moribus plurium unitive uniformes ordinat et decorat ».

Ipsa vero psalmodia gravis sit, i. e. neque nimis protracta neque nimis festina, in verborum prolatione aequalis, communem scil. recitationem nec praeveniendo nec subsequendo, ac in pausando necnon in vocis tono uniformis. Nihil enim adeo aedificat, et servorum Dei religiositatem commendat, quam devota et ordinata divini Officii in choro persolutio.

165. Antiqua Ordinis consuetudo recitandi media nocte in choro Matutinum cum Laudibus, tot Sanctorum exemplis et praeconiis commendata

---

(1) Loc. cit. n. 447.

(2) Cfr. Dicta in comment. ad art. 156; S. Alphonsus lib. IV. n. 179. quaer. 4.

(3) Part. I. cap. 15 nn. 10-12; cfr. *S. Bonaventurae Opera omnia* (Ed. nova) tom. VIII. p. 596.

atque, teste historia Ordinis, specialibus benedictionibus a Deo cumulata, ubi viget, firmiter teneatur; ubi vero in desuetudinem abierit, tam Superiores quam subditos in Domino exhortamur ut illam restituere sancto zelo conentur, decernentes ut saltem in conventibus novitiatus id omnino et quam primum fiat.

1. Ex veteri disciplina **tempus choralis recitationis** hoc erat, ut Matutinum cum Laudibus (quod dicitur Officium nocturnum) recitaretur tempore nocturno, nempe a solis occasu ad ortum usque, divisim tamen iuxta quatuor vigilias noctis et ipsius Officii (trium nocturnorum aut unius dumtaxat) qualitatem (1), reliquae vero horae (quae dicuntur diurnae) recitarentur tempore diurno, a solis scil. ortu ad occasum, similiter divisim, et quidem Prima post ortum solis, Tertia ad horam circiter nonam matutinam, Sexta ad meridiem, Nona ad horam circiter tertiam (2) pomeridianam, Vesperae ad solis occasum, Completorium ad noctis crepusculum (3): hanc autem horas canonicas discernendi rationem ex universali praxi contraria ne sub veniali quidem obligare hodie certum est.

Ex vigente disciplina haec norma esse videtur: Matutinum cum Laudibus coniunctim (4) (excepta nocte Nativitatis Domini) dicatur, et quidem aut media nocte, aut circa auroram paulo ante solis ortum (5), aut etiam, ubi viget diuturna consuetudo aut habetur indultum apostolicum, antecedente vespere ab hora, qua

---

(1) Cfr. Aloys. a Carpo Comp. *Biblioth. Liturgica* part. 2 n. 7.

(2) Iuxta hodiernum computandi modum.

(3) Cfr. Aloys. a Carpo loc. cit. n. 110.

(4) In choro Matutinum seiungere a Laudibus, Matutinum nempe recitare pridie et Laudes summo mane, non licere, patet ex S. R. C. responso 11. Mart. 1871. Cfr. *Decr. Auth.* n. 3241. Dub. 4.

(5) Cfr. Benedictus XIV. *De synodo* lib. 13. cap. 9. n. 13; *Instit. eccles.* 107 § 4.

« sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum », iuxta varias quae pro variis regionibus confici solent tabellas. Plures exstant S. Congr. decisiones, quibus S. Sedes negat Canonicis facultatem habitualiter vespere recitandi Matutinum.

Apud nos attendendum ad huius art. praescriptum, quo tamen non obstante etiam apud nos ubique anticipari potest Matutinum cum Laudibus in triduo sacro Maioris Hebdomadae (1), item Officium Defunctorum in die Commemorationis Omnium Fidel. Defunct. (2), item propter annexas indulgentias (3) in quibusdam festis, quae sunt: Solemnitas Corporis Christi et per octavam, festum Immac. Concept. et per octavam, festum SSmi Nominis Iesu, festum Visitationis B. M. V., festum Transfigurationis D. N. I. C., festum (sive die proprio sive translato) SSmi Cordis Iesu. — Horae minores dicantur tempore antemeridiano, interiecta vel postposita Missa conventuali iuxta rubricarum praescriptum. — Vesperae et Completorium dicantur tempore pomeridiano ab hora circiter secunda; excepto tamen quadragesimali tempore, quo (praeter dies Dominicos) in choro ante prandium recitari debent. — Ad haec notandum, in hac norma ex communiore sententia Episcopum (et idem est de Praelato respectu sui conventus) ex iusta causa dispensare posse in casu aliquo transeunte seu ad tempus, non vero ad longum tempus, multo minus in perpetuum (4): quod etiam in ordine ad hunc art. apud nos valere videtur.

2. Huc etiam referri potest **ordo horarum** statutus, quem in recitatione privata multoque magis in chorali negligere non licet, nisi adsit iusta causa: sic v. g. accedens ad chorum cum choro potest recitare horas poste-

---

(1) Cfr. Caerem. Episc. lib. II. cap. 22. nn. 3, 16. 17.

(2) Cfr. Caerem. Episc. lib. II. cap. 10. n. 1. coll. S. R. C. *Decr. Auth.* n. 3864. I.

(3) Cfr. S. C. Indulg. *Rescripta Auth.* Summar. Indulg. 15 (p. 394) nn. 30-32; S. R. C. *Decr. Auth.* n. 3712.

(4) Cfr. Victorius ab Appeltern loc. cit. qu. 212 p. 217 in nota 3).

riores anterioribus nondum absolutis: pariter intrans chorum incepta iam hora, vel eadem non absoluta ad aliud opus vocatus reversus, non debet quod nondum absolvit recitare durante Officio in choro, sed potius post expletum Officium, modo non sit pars valde exigua, utpote quae communi chori actione supplente, omitti potest.

Ceterum praescriptum temporis debiti vel ordinis statuti in horarum recitatione, etiam chorali, non est grave ex plurium (contra alios) sententia, iudice S. Alphonso (1), probabiliore; huiusmodi enim circumstantia temporis vel ordinis non pertinet ad substantiam praecepti, sed est quaedam caeremonia accidentalis, nec aliunde constat de gravi praecepto super hac re imposito. Attamen DD. communiter docent (2), grave committi peccatum celebrando Missam conventualem ante Officium nocturnum in choro dictum, nisi forte adsit gravis et publica causa, quae scandalum removeat.

166. Cantus qui non sit iuxta normas a S. Sede praescriptas in ecclesiis nostri Ordinis omnino prohibetur. Quapropter iuvenes nostri, tam in collegiis seraphicis quam in novitiatu et studiorum cursibus, in ecclesiastico cantu diligenter instruantur.

Definitur huius art. parte priore **cantus adhibendus** in ecclesiis nostri Ordinis, qui nempe sit « iuxta normas a S. Sede praescriptas » ; quae normae continentur in Motu proprio Pii X. fel. rec. *de musica sacra* d. d. 22 Nov. 1903 (3) cum addita *instructione* « cui, — ita Pontifex — tamquam *codici iuridico musices sacrae*, ex Nostrae Auctoritatis Apostolicae plenitudine vim legis tribuendam esse iubemus, ac religiosam eiusdem observantiam hoc Nostro Chirographo imponimus ». — Speciatim ad cantum Gre-

(1) Lib. IV n. 171.
(2) Apud S. Alphonsum lib. VI n. 348.
(3) Cfr. *Acta Ordinis* Anno XXIII (1904) pag. 47-51.

gorianum quod spectat, S. R. C. in Decreto 14 Aug. 1905 « de mandato SSmi declarat vivissimum esse eiusdem Sanctitatis Suae desiderium, quod ubique Ordinarii locorum curent, ut quilibet libri huçusque editi cantum liturgicum referentes, etiamsi quocumque pontificio privilegio muniti, aut quavis adprobatione commendati, sensim sine sensu, quam primum tamen, ab ecclesiis, etiam Regularium, romanum ritum sectantibus amoveantur, ita ut libri liturgici gregorianos concentus continentes ii tantummodo adhibeantur, qui, iuxta normas supradictas compositi, huic typicae editioni [i. e. Vaticanae] plane fuerint conformes ».

Ex huius art. partis posterioris provido praescripto **in cantu gregoriano instruendi sunt iuvenes,** qui intelligendi videntur non solum clerici, sed et sacerdotes iuniores (saltem quamdiu sunt sub peculiari magistri regimine) (1) praefati cantus, eiusdem praesertim executionis nondum satis periti.

§ II.

De ecclesiarum nitore et cultu.

167. Ecclesiarum nostrarum decori et sanctitati prospicientes, decernimus ut nemo in ecclesia quidquam agat quod non deceat domum Dei; et vel maxime ut omnes tam in ecclesia quam in sacristia ab omni conversatione non necessaria abstineant.

Agitur hoc art. **de ecclesiarum decori et sanctitati prospiciendo.** Qua de re haec habent Acta et Decreta Conc. plenarii Americae Latinae in Urbe celebrati anno 1899: ecclesia « vi consecrationis vel benedictionis eam consecuta est immunitatem, quae non solum quoslibet

(1) **Cfr. art. 100.**

actus illicitos, sed etiam simpliciter profanos atque sanctitati loci contrarios omnino excludit. Quare vetantur in ea negotiationes, iudicia saecularia, civiles conventus, profana colloquia, multoque magis ludi theatrales, cantus lascivi, et quidquid Officium divinum perturbet ac reverentiam domo Dei debitam offendat (1). Cum autem verba moveant, exempla trahant, ipsi sacerdotes [necnon clerici omnes ac laici religiosi, praesertim sacristae] sancta sua conversatione atque reverentia et devotione in ecclesia populum christianum efficaciter excitent ad fidelem imitationem. Quo exemplo fiet, ut ipsorum monita, quibus pro officio suo modestiam fidelibus praesertim mulieribus inculcant, discolos et per ecclesiam vagantes paterna gravitate et modestia redarguunt, eo maiorem habeant vim et auctoritatem » (n. 884) (2).

Huc spectat S. R. C. Decisio 14 Iul. 1887 (3), ex qua, occasione exsequiarum et festorum, quibus laicae sodalitates intersunt, in ecclesiis « non licet admittere nisi vexilla religiosa et pro quibus habetur formula benedictionis (4) in Rituali Romano ». — Vexilla quae prae se ferunt emblemata manifeste impia vel perversa si in ecclesiam per vim inducantur, tunc si Missa nondum inchoata fuerit, clerus recedat; si inchoata sit, post eam absolutam auctoritas ecclesiastica solemnem protestationem emittat de violata templi et sacrarum functionum sanctitate. Vexilla autem ita dicta nationalia, nullum emblema de se vetitum prae se ferentia, in ecclesia non sunt toleranda, nisi secus turbae aut pericula timeantur (5).

---

(1) Cfr. cap. *Decet* 2 *De immunit. eccles.* in 6° (lib. III tit. 23).

(2) Cfr. etiam Pii V Const. *Cum primum* 1 April. 1566; Urbani VIII Const. *Cum ecclesiae* 30 Ian. 1642.

(3) *Decr. Auth.* n. 3679.

(4) Benedicenda non sunt « nisi vexilla earum societatum, quarum statuta ab auctoritate ecclesiastica approbata fuerint, ab eaque aliquo modo dependeant, et aliquod Religionis signum, nullum autem emblema reprobandum prae se ferant ». S. Officium 3 Sept. 1887.

(5) S. Officium 4 April. 1887 et 24 Nov. 1897.

In casibus dubiis, statuto generali vel consuetudine legitima nondum solutis, recurrendum ad Episcopum, qui et hoc exigendi ius habet: huiusmodi sunt casus de concentibus musicis, etiam religiosis et ad cultum divinum non ordinatis, de congressibus catholicis, de academiis etiam sacri argumenti, de distributione praemiorum etc. (1).

168. Saeculares laici a choro prudenter arceantur, praesertim dum divina celebrantur Officia, et a sacristia dum sacerdotes ad Divina se praeparant.

Statuuntur hoc art. **saeculares laici arcendi a choro et a sacristia.** Qua de re notanda Clementis VIII Const. *Romanum decet* 31 Maii 1604, ex qua intra presbyterium cum clericis esse laicis personis non licet, multo minus iisdem concedere peculiares honores, praesertim qui aliquam iurisdictionis speciem habent (e. g. ut peristromata cum pulvinaribus ipsis deferantur), ita tamen ut in his omnibus attendantur consuetudines, praesertim si sint admissae et vetustae, modo tamen nihil irrationabile prae se ferant.

169. Sacerdotibus Sacrum facientibus inserviant Fratres laici vel tertiarii; quibus deficientibus, adhiberi possunt saeculares, etiam adolescentes modesti, quantum fieri potest veste talari et superpelliceo induti.

Agitur hoc art. de **Missae ministris,** qui in hoc sacro servitio, ob reverentiam corporalis praesentiae Salvatoris, servandae munditiae, reverentiae diligentiaeque speciali studio incumbere debent, prout providis opportunisque praescriptis explicat *Speculum disciplinae* part. I cap. 17 (2).

(1) Cfr. Wernz *Ius decretalium* tom. III n. 447.

(2) Cfr. S. Bonaventurae *Opera omnia* tom. VIII p. 598 sqq.

170. Chorus et ecclesia qualibet hebdomada, vel etiam saepius, mundentur et verrantur ac mundities ubique reluceat.

171. Diligenter curent Superiores et alii Officiales ut sacra vasa ecclesiae, supellex sacristiae, libri chorales et alia dedicata seu consecrata servitio Dei conserventur cum debito decore et munditie.

Praescribuntur hisce art. **curanda debita decus munditiesque in ecclesia, choro et sacristia, ac in** omnibus **rebus ad cultum divinum,** etiam remote tantum, **pertinentibus,** prout cultus divini praestantia et dignitas requirunt (1). — « Neque exteriores ecclesiae partes negligendae sunt, ne domus Dei hederis, vepribus aliisque modis suam pulchritudinem atque dignitatem amittat (2) ». Imo nec licet partem adhibere quae iacet subter pavimentum ecclesiae praesertim consecratae, ut cellarium et aliud huiusmodi, ad retinendum ibi vina et alias res mere profanas, quamvis aditus ad praedicta loca sit extra corpus sacri aedificii (3).

172. Quaecumque de ecclesiis, capellis, altaribus, caeterisque omnibus ad rem divinam quovis modo pertinentibus a Sancta Sede decreta sunt, ut executioni mandentur Superiores diligenter curent.

Inculcantur hoc art. **S. Sedis de ecclesiis sacraque supellectili Decreta**; quae ex Actis et Decretis cit. Conc. plenarii Americae Latinae (4) referre opportunum visum est.

---

(1) Cfr. *Speculum disciplinae* loc. cit. in comment. ad art. 169.
(2) Acta et Decreta cit. Conc. plenarii Americae Latinae n. 885.
(3) Cfr. S. R. C. *Decr. Auth.* n. 3157 Dub. 5.
(4) Tit. 14 cap. 1 et 2.

1. « **Nova ecclesia,** sive cleri saecularis sive regularis, non aedificetur, nisi obtenta in scriptis licentia Episcopi dioecesani (1). Quae licentia non est deneganda, nisi iusta obsistendi causa subsit (2), ut si de dotatione necessaria in forma legitima non constet (3), certumve iuris alterius praeiudicium inferatur (4). Neque fabrica est inchoanda, antequam ipse Episcopus, aut alius ab eo delegatus, locum inspexerit et approbaverit, crucem in eo fixerit ac primum lapidem benedictum in fundamentis posuerit (5) »... (n. 874).

« Prae caeteris, in nova ecclesia aedificanda, locus aptissimus et sacris aedibus conveniens seligatur. Quare, ut servetur traditio ecclesiastica, in memoriam Iesu Christi, qui cruentum sacrificium oblaturus in montem Calvariae ascendit, atque ad significandam civitatem illam sanctam in monte positam, idest Ecclesiam, quantum fieri potest, ecclesiae novae in edito atque prominenti loco aedificentur (6). Quod si fieri non possit, saltem ita super solium eleventur, ut per aliquot gradus, ut plurimum numero impares, ad ecclesiae pavimentum ascendatur. Quo maior sacris aedibus honor accrescat, Episcopus, in novo opere approbando, curet, ut novae ecclesiae ab aedibus profanis, et praesertim sordibus, prorsus separatae existant. At si ex rationabili causa prope ipsam ecclesiam domus sint aedificandae, cavendum est, ne prospectus, decor et quies domus Dei impediantur » (n. 875).

« Fabricae dispositio secundum formas ab Ecclesia receptas est ordinanda... Commendandum est ut

---

(1) Cap. *Auctoritate* 4 *De privileg.* in 6° (lib. V tit. 7); Conc. Trid. Sess. 25 cap. *De Regularibus;* Leo XIII Const. *Romanos Pontifices* 8 Maii 1881.

(2) Cap. *Ad audientiam* 3 X *De ecclesiis aedific.* (lib. III tit. 48).

(3) Pontificale Roman. part. 2 De bened. et impos. primi lapidis etc.

(4) Cap. *Intelleximus* 1, *Cum ex iniuncto* 2 X *De novi oper. nunt.* (lib. V tit. 32).

(5) Pontificale Roman. loc. cit.

(6) Act. XX, 7 sq.; Matth. V, 14, 16, 18; Apoc. XXI, 10.

novae ecclesiae, quatenus locorum dispositio permittit et naturae aedificii sacri convenit, secundum antiquissimam Ecclesiae traditionem, exhibeant speciem crucis, in qua salus mundi pependit; item convenit, nisi loci dispositio obsistat, ut altare principale cum presbyterio versus orientem situm sit, porta autem principalis construatur in parte occidentali ecclesiae sive in frontispicio, nisi pro dispositione ecclesiae, a sacerdote versa ad populum facie sacrum in altari maiori fieri soleat. Quod frontispicium, ex antiquo more, singulari semper ornatu decoratum est; et S. Carolus Borromaeus monet, ut in uniuscuiusque ecclesiae, praesertim parochialis, frontispicio, extrinsecus pingatur vel sculpatur in superiori parte principalis portae imago B. V. Mariae vel Sancti vel Sanctae, cuius nomine ipsa ecclesia appellatur. Denique externae ecclesiae dispositioni interna structura partium respondeat » (n. 876).

« Quod si in aedificandis ecclesiis leges Ecclesiae et traditiones artisque christianae praecepta observentur necesse est, non minus cavendum est ab abusibus per Sedem Apostolicam reprobatis. Quare, in fornicibus et tectis ecclesiarum vel oratoriorum, in quibus sacra fiunt, ambulacra et conclavia ad profanos usus, aut cubicula dormientibus destinata, aut loca ubi columbae vel alia altilia alantur omnino non construantur (1). Nemini absque apostolico privilegio ex contigua domo, nisi parochialis vel regularis sit, ianuam aut fenestram habere vel aperire liceat, quae in ecclesiam praebeat aspectum aut ingressum, neque tribunam vel angustam (2); quod si habeatur praedictum privilegium, expedit, ut fenestrae vel tribunae crates apponantur (3) » (n. 877).

2. « Quoad **imagines Servorum Dei,** qui nondum beatificationis et canonizationis honores consecuti sunt,

---

(1) S. R. C. *Decr. Auth.* (Ed. nova) nn. 756, 3157, 3978 ad 2. Cfr. Mach, Tes. de Sac. n. 418.

(2) S. R. C. *Decr. Auth.* (Ed. nova) n. 3978 ad 5.

(3) Cit. *Decr. Auth.* n. 3376 ad 2.

depictas vel depingendas in parietibus vel vitris coloratis ecclesiarum, accurate serventur cautelae a S. Rituum Congregatione praescriptae » (n. 880). — Qua de re eadem S. Congr. respondendum censuit: « Imagines virorum ac mulierum, qui cum fama sanctitatis decesserunt, sed nondum beatificationis aut canonizationis honores consecuti sunt, neque altaribus utcumque imponi posse, neque extra altaria depingi cum aureolis, radiis aliisve sanctitatis signis; posse tamen eorum imagines vel gesta ac facta in parietibus ecclesiae, seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo imagines illae neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium praeseferant, neque quidquid profani aut ab Ecclesiae consuetudine alieni (1) ».

Ceterum SS. Imaginum cultum quod spectat, non iisdem cultus publici actibus, quibus canonizatorum, venerari licet imagines beatificatorum: horum siquidem imagines quidem depingi possunt cum radiis, at non cum diademate seu circulo; nec retineri et exponi possunt in ecclesiis, oratoriis aliisque publicis locis, nec supra nec extra altare, iis ecclesiis tantum exceptis, in quibus eorum Officium permittitur: similiter eorumdem reliquiae in locis, pro quibus cultus concessus est, fidelium quidem venerationi exponi, non tamen in processionibus deferri, nec super altari poni possunt (2).

Praeterea generatim SS. Imagines, ut recte colantur, nihil repraesentent oportet, quod sit contra fidem, aut rudibus periculosi erroris occasionem praebeat; omnis lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur; verae sint seu conformes, saltem quoad substantiam, factis in S. Scriptura, traditione, historia ecclesiastica relatis; non insolitae, i. e. praxi Ecclesiae nondum comprobatae, nec licet ullo in loco vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, insolitam ponere vel ponendam curare, nisi ab Episcopo probata fuerit; non alienae in

(1) S. R. C. *Decr. Auth.* n. 3835.
(2) S. R. C. *Decr. Auth.* nn. 1097, 1130, 1156.

forma vestium, in coloribus etc., a praxi Ecclesiae probata et praescripta (1).

Speciatim imagines SSmi Cordis Iesu, publicae venerationi exponendae, personam Christi Domini cum Corde extrinsecus patente, non autem solum Cor repraesentare debent: imagines autem solum Cor Iesu exhibentes privatae tantum devotioni permittuntur (2), quod idem dicendum de effigie duorum Cordium, quorum unum refert Cor adorandum Verbi Incarnati cum solitis insignibus, alterum immaculatum Cor B. M. V. rosea corona redimitum et gladio perforatum, quam effigiem altaribus apponere pariter non licet (3); nova emblemata SSmi Cordis Iesu in Eucharistia non permittuntur, siquidem cultus erga SSmum Cor Iesu in Eucharistia non est perfectior cultu erga ipsam Eucharistiam, neque alius a cultu erga SSmum Cor Iesu (4); simulacra seu picturae Dominae nostrae SSmi Cordis cultui dicandae ex mandato S. Sedis repraesentare debent Virginem puerum Iesum, non ante genua, sed ulna gestantem (5); prohibita sunt emblemata quae una cum SSmis Cordibus Iesu et Mariae illud S. Ioseph exhibent (6). — Non exponantur in ecclesiis quibuslibet et quomodolibet qualificatis, nec eorum frontispiciis et atriis imagines profanae, vel alias indecentiam et inhonestatem prae se ferentes. Item votorum tabulae, donaria, imagines et eiusmodi alia, quae ad memoriam vel recuperatae valetudinis

---

(1) Cfr. Conc. Trid. Sess. 25 *De invoc. venerat. et Reliq. Sanctorum;* Urbani VIII Const. *Sacrosancta* 15 Mart. 1642; Benedicti XIV Const. *Sollicitudini.*

(2) S. Officium 26 Aug. 1891 apud *Collectan. S. C. de Propag. Fide* n. 1976.

(3) S. R. C. *Decr. Auth.* n. 3492.

(4) S. Officium 27 Maii 1891. Cfr. S. R. C. Decreta 28 Mart. 1914 (A. A. S. vol. VI pag. 146 sq.) et 15 Iul. 1914 (A. A. S. vol. VI pag. 382 sq.

(5) Litt. Card. Patrizi 28 Febr. 1875; cfr. *Nouv. Revue théol.* tom. VII p. 205 sqq. et p. 357 sqq.

(6) S. C. Indulg. 19 Febr. 1879; S. R. C. 14 Iun. 1873; cfr. *Supplementum* ad Ferraris (Ed. nov. tom. IX) p. 335, 11.

vel periculi depulsi vel beneficii divinitus mirabiliterque accepti in ecclesiis ex antiquo more institutoque suspendi solent, nihil falso, indecore, turpiter superstitioseque prae se ferant, secus omnino tollantur; similiter tollantur tabellae votivae partem corporis minus honestam referentes. Prohibendum quoque est sacrosanctae crucis effigiem, aliasque imagines ac Sanctorum historias, sacrorumque mysteriorum figuras et significationes in ullo quovis humi strato, pavimento, aut loco sordido, etiam extra ecclesiam insculpi, pingi effingive (1). — Tandem notandum, imagines devotas, in aliqua ecclesia speciali fidelium venerationi expositas, non posse in aliam ecclesiam transferri sine beneplacito apostolico; et si absque tali beneplacito sit iam facta translatio, non sustinetur, nec est approbanda (2).

3. « Novae **reliquiae** recipiendae non sunt, nisi recognoscente et approbante Episcopo (3). De earum identitate per probationes firmas et saltem morali evidentia certas constare debet (4). Tamen si desint authenticae litterae, possessio ab immemorabili et non interrupta, et etiam publicus cultus, id est certitudo moralis, sufficiunt, ut in veneratione alicuius reliquiae fideles non sint inquietandi (5). Episcopi vero est definire, an permittenda sit sanctarum reliquiarum publica expositio, de quibus nullum documentum authenticum ostenditur (6). Qua de re prae oculis habendum est Decretum S. C. Indulgentiarum et SS. Reliquiarum diei 20 Ianuarii 1896, videlicet: Reliquias antiquas conservandas esse in ea veneratione in qua hactenus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta eas falsas vel suppositias esse » (n. 410). — « Reliquiae Sanctorum non asserventur in monasteriis Mo-

(1) Ex Actis et Decretis cit. Conc. plenarii Americae Latinae nn. 401-403.

(2) S. C. C. 31 Iul. 1706 apud Ferraris verb. *Imagines* n. 37.

(3) Conc. Trid. Sess. 25 *De invoc. etc. Sanctorum.*

(4) S. C. Indulg. *Decr. Auth.* n. 289.

(5) Cit. *Decr. Auth.* n. 400.

(6) S. R. C. *Decr. Auth.* n. 1946.

nialium sed in exteriori ecclesia (1). Neque asserventur in privatis aedibus, neque apud laicos homines, sed in ecclesia, loco conspicuo bene septo atque undique ornato, collocentur et asserventur. Liceat tamen aliquando, quibus Episcopus rationabili et pia causa id concedendum censuerit, eas asservare in privato oratorio ac decenti, eiusdem Episcopi iudicio. Haec de insignibus reliquiis dicta sint. Parva enim reliquiaria cum particulis ex insignibus reliquiis, ex communi Ecclesiae usu, devote retineri possunt etiam a personis privatis, dummodo reliquiae authenticae sint, absit profanationis periculum et decenter serventur (2) » (n. 411). — « Reliquia, quae ob temporum vicissitudines deposita fuit in altera ecclesia, restituenda est ecclesiae, quae eam possidebat (3) » (n. 412). — « Reliquia SS. crucis retinenda est separatim a reliquiis Sanctorum » (n. 413), seu conservanda in theca separata (4).

4. « **Altare,** in quo in ecclesiis nostris sacrificium eucharisticum offertur atque augustissimum Sacramentum asservatur, uniuscuiusque ecclesiae principale sit ornamentum. Hinc, ubi fieri potest, saltem altare principale ecclesiae sit altare fixum ex una tabula lapidea, suae basi perfecte coniuncta riteque consecrata. Quod si huiusmodi altaria fixa haberi non possunt, ea erigantur altaria, quae, sive lateritia sive lignea sint, ad altaria fixa quam proxime accedant, ideoque parieti vel pavimento sint colligata, si lignea fuerint, atque mensae altaris inseratur altare portatile, quod constare debet ex vero lapide duro, non ex lapide puniceo vel gypso, et pro qualitate altaris sufficientis sit magnitudinis ad continendum calicem et patenam. Praeterea mensa altaris tribus mappis seu tobaleis lineis et mundis operiatur, quarum superior ex utroque latere decenter perpendeat usque ad

(1) S. C. Episc. et Regul. 7 Mart. 1617 apud Ferraris verb. *Cultus Sanctorum,* n. 82.

(2) Cfr. Benedictus XIV *De beat. et canon. SS.* lib. II cap. 13.

(3) S. R. C. *Decr. Auth.* n. 2760.

(4) S. R. C. 25 Maii 1906.

solum. Super gradum mensae inter candelabra sit eminens effigies, sculpta seu picta Christi Domini e cruce pendentis, collocata, eiusque magnitudinis ut sacerdos celebrans et populus assistens crucifixum, non vero solam crucem, commode intueri possint (1) » (n. 888).

5. « **Tabernaculum in medio altaris positum** ad asservandam sacratissimam Eucharistiam, quod in ecclesiis parochialibus et regularibus collocari ordinarie debet tamquam in digniori loco in ipso altari maiori..., sit, pro cuiusque ecclesiae facultatibus, affabre elaboratum, eleganterque ornatum conopeo (2) coloris officio congruentis, sin minus albi, vel saltem cortinula in exteriori parte, intus vero vel deauratum vel panno serico albi coloris circumvestitum (3); et in eo candidum sternatur corporale, quod frequenter mutandum erit. In ipso autem tabernaculo nihil praeter augustissimum Sacramentum reponere liceat, non sacra olea, non Sanctorum reliquias, non calices, non parvam pyxidem ad viaticum deservientem aut aliud quidpiam, quantumvis sanctum sacrumque videatur. Nihil quoque supra tabernaculum praeter crucem collocare licet, non imagines, non candelabra, non vasa cum floribus, non denique sacras reliquias, cuiuscumque sint dignitatis, etiam SS. crucis (4), ne illud sit veluti basis ad alia sustentanda; [sed tempore Nativitatis Domini poni potest imago Divini Infantis et tempore paschali imago SSmi Redemptoris (5)]. Nequit etiam ante eiusdem ostiolum vas florum neque aliud retineri, neque in eo imagines sculpi aut pingi, nisi Domini Salvatoris vel sacrae Eucharistiae allegoriam referentes. Ostiolum sit satis firmum suaque sera et clavi munitum, atque tale ut sacra pyxis facile et reverenter introduci ac extrahi possit. Clavis sit argentea vel saltem deargentata et duplex, ne una amissa fabri ferrarii manus

(1) S. R. C. *Decr. Auth.* n. 2621 ad 7.
(2) Rituale Rom. de Euchar.
(3) S. R. C. *Decr. Auth.* n. 4035 ad 4.
(4) S. R. C. *Decr. Auth.* n. 2067 ad 10; n. 2613 ad 6; n. 2740 ad 1.
(5) Cfr. Caeremoniale Romano-Seraphicum n. 315.

adhiberi necesse sit ad illud aperiendum; semperque sit apud parochum vel rectorem ecclesiae, numquam vero apud sacristam laicum » (n. 890). Non vero propterea reprobatur usus committendi viro regulari, qui diligenter fungitur officio sacristae, custodiam clavis tabernaculi custodiendae sub alia clavi in sacristia.

6. « **Sedes confessionales** in ecclesiis sufficienti numero exsistant atque in patenti, conspicuo et apto ecclesiae loco sint positae, et crate tenuiter perforata inter poenitentem et sacerdotem instructae. Exterius autem expedit ut aliquam habeant crucifixi vel Bmae Virginis imaginem, ad pios affectus in poenitentium corda excitandos. Denique sedes confessionalis non solum affabre et apte, quantum fieri potest, sit facta; sed praesertim ut decentiae, dignitatis sacerdotis atque sigilli sacramentalis ratio habeatur et legitimo commodo fidelium consulatur, summopere est curandum » (n. 892).

7. « **Suggestus** pro concione ad populum habenda, si elegantior haberi non possit, saltem in forma decenti conficiatur, atque a latere evangelii, quantum fieri possit, in loco apto et conspicuo sit positus »... (n. 893).

8. « **Sacristia**, quae partibus ecclesiae adnumerari potest, quatenus fieri valet, versus meridiem vel orientem sita sit ut functionibus sacris commode serviat, atque aptum habeat armarium ad conservanda utensilia liturgica. In loco conspicuo sacristiae sit crucifixi imago; tabella quoque affigatur Missarum onera descripta referens, neque sacrarium desit. Maxime vero rectores ecclesiarum sedulo invigilent, ut in sacristia omnia sint munda ac nitida, et quantum ministrorum officia patiuntur religiosum servetur silentium, et confabulationes nugaeque puerorum arceantur, neque ibidem morentur qui ad ministerium illius non pertinent » (n. 894).

9. « **Turris** ecclesiae ab usibus mere profanis aliena sit oportet. Item campanae ad usum ecclesiasticum destinatae, quae omnino debent benedici ab Episcopo, vel, si habeatur necessarium indultum apostolicum, a presbytero

cum aqua ab Episcopo benedicta (1), usibus profanis inservire non possunt (2), nisi in casibus necessitatis aut ex legitimis consuetudinibus ab Ecclesia adprobatis » (n. 895).

10. « **Calices** qui ad sacrificium Missae adhibentur, itemque patenae debent esse ex auro vel argento aut saltem habere cuppam et patenam argenteam, intus deauratam (3). Calices et patenae, antequam ad sacrificium eucharisticum adhibeantur, ab Episcopo consecrari debent (4). Quae consecratio sine indulto apostolico a simplici sacerdote fieri non potest (5). Calices et patenae exsecrantur, quando ita immutantur, vel franguntur, ut sancto sacrificio non iam inservire possint. Idque locum habet, si perforentur, vel cuppa calicis a pede cui fixa est per fractionem divellatur, vel si pars inferior cuppae deaurationem amittat: nec tamen debent exsecrari antequam artifici tradantur (6); sed sufficit ut post novam deaurationem vel reparationem denuo consecrentur. — Permittitur *catinum* seu patena specialis ad usum fidelium ad Sacram Synaxim accedentium, dummodo omnino etiam quoad formam distincta sit ab ea qua sacerdotes utuntur in sacrosancto Missae sacrificio, toties quoties inspicienda, et purificanda, decentique in loco vel in speciali bursa prope tabernaculum, non in ipso tabernaculo asservanda » (n. 899).

11. « **Pyxis**, seu **ciborium**, in qua conservatur vel etiam exponitur sacrosancta Eucharistia, si fieri possit, ex argento vel auro (7), utcumque vero ex solida decentique materia (8) sit confecta, atque saltem intus deaurata (9).

---

(1) S. R. C. *Decr. Auth.* n. 1781 et n. 3042 ad 2.

(2) Cit. *Decr. Auth.* n. 52 ad 1.

(3) Missale Roman. *Ritus celebr.* I, 1. Pro Ordine nostro observandum praeceptum art. 173.

(4) Cap. *Cum venisset* 1 § 8 X *De sacr. unct.* (lib. I tit. 15).

(5) Cit. *Decr. Auth.* n. 3042 ad 1.

(6) S. R. C. *Decr. Auth.* n. 2620 ad 1.

(7) Caerem. Episc. lib. II. cap. 30 n. 3.

(8) Rituale Roman. de Euchar.

(9) Cit. *Decr. Auth.* n. 3162 ad 6.

Quae pyxis ante usum ab Episcopo vel a sacerdote per ipsum delegato est benedicenda. Praeter ciborium maius habeatur etiam pyxis minor, eodem modo confecta, in usum infirmorum (1) » (n. 900).

12. « **Ostensorium**, in quo maior hostia publicae venerationi exponitur, quamvis summopere desiderandum ut aureum (2) sit vel argenteum, saltem expedit ut lunulam habeat ex auro vel argento rite confectam, cum reliquae ostensorii partes etiam ex aere vel stanno vel decenti metallo albo formari possint. Permittitur tamen, ut pyxis, monstrantia et lunula sint ex cupro deaurato (3). In summitate ostensorii crux visibilis omnino requiritur (4); ipsum autem ostensorium cum lunula ab Episcopo vel, si habeatur indultum S. Sedis, a sacerdote per ipsum delegato benedicatur (5) » (n. 901).

13. « **Vestes sacrae** sacerdotum atque levitarum, quamvis pro dignitate tanti sacrificii pretiosae sint oportet, tamen ubi paupertas ecclesiarum obstat, saltem integrae et decenter mundae et pulchrae exsistant, praesertim autem quoad formam, materiam, colorem in omnibus sint liturgicis praescriptionibus conformes (6) » (n. 902). — « Quoad formam vero vestium sacrarum, ex disciplina nunc in Ecclesia latina vigente receptam ac praesertim usu Ecclesiae Romanae probatam, absque venia Sedis Apostolicae nihil innovetur » (n. 903). — « Planetae, dalmaticae, tunicellae, stolae, manipuli, pluvialia ex tela linea vel gossypio vel lana, quamvis coloribus praescriptis tincta vel depicta sint, omnino prohibentur, sed ex pannis sericis vel argenteis vel aureis conficiantur; at etiamsi omnino desiderandum sit, ut paramenta sacra ex opere holoserico tantum confecta sint, tamen, attenta ecclesia-

(1) Caerem. Episc. lib. II cap. 33 n. 14.
(2) Pro Ordine nostro cfr. art. 173.
(3) S. R. C. *Decr. Auth.* n. 3162 ad 6.
(4) Cit. *Decr. Auth.* n. 2957.
(5) Cit. *Decr. Auth.* n. 926.
(6) Missale Roman. Rubr. gener. XVIII-XX; Rit. celebr. I, 2.

rum paupertate, pro paramentis sacris etiam illud panni genus tolerari potest, quod ex parte externa et oculis intuentium apparente integre ex filo serico contegitur, operis autem textilis fulcimentum in gossypio, lana vel in lino habet (1) » (n. 906). — « Coloris (2) tantum albi aut rubri aut viridis aut violacei aut nigri sint paramenta sacra. Quare color aureus et flavus coloribus liturgicis non sunt annumerandi (3), sed ab omnibus paramentis sunt exclusi. Item paramenta ex serico confecta atque aliis coloribus et floribus ita contexta, ut vix dignoscatur color primarius et praedominans, pro albo, rubro et viridi mixtim usurpari non valent (4): hinc conficiantur ex panno sive textili unius coloris, vel saltem unus color in fundo ita dominetur, ut facile uti primarius dignoscatur atque unius potius quam alterius coloris dici possint. Paramenta sacra quae ex auro sint contexta, pro albis, rubris, viridis tolerari possunt (5); caerulei autem coloris adhiberi nequeunt (6), nisi ex privilegio apostolico in Missis Immaculatae Conceptionis Bmae Virginis Mariae. Velum humerale subdiaconi, in Missa solemni adhibendum, coloris sit Missae convenientis; illud vero celebrantis, in expositione SSmi Sacramenti vel in benedictione cum ipso danda, numquam nisi coloris albi sit; similiter vela ciborii et baldachinum pro deferendo venerabili Sacramento (7) » (n. 907). — « In paramentis nigri coloris nullae imagines mortuorum vel cruces albae ponantur et multo minus ethnicorum signa appareant (8). Stemmata vero gentilitia donantis in sacris paramentis licet apponere (9) »

(1) Cit. *Decr. Auth.* n. 3543.

(2) Cfr. Missale Rom. Rubr. gener. XVIII.

(3) Cit. *Decr. Auth.* n. 3082 et n. 3191 ad 4.

(4) S. R. C. *Decr. Auth.* n. 2769 ad 5.

(5) Cit. *Decr. Auth.* n. 3191 ad 4.

(6) Cit. *Decr. Auth.* n. 2788 ad 2.

(7) Caerem. Episc. lib. I cap. 14 n. 1; Rit. Roman. de Euchar. Cfr. cit. *Decr. Auth.* n. 1615 ad 7.

(8) Caerem. Episc. lib. II cap. 9. n. 1.

(9) Cit. *Decr. Auth.* n. 2875.

(n. 908). — « Bursa corporalium crucem habeat in parte superiori. Manipulus et stola tres cruces habeant necesse est, scilicet in medio et in extremitatibus. Velum, quo calix tegitur, debet esse sericum et eiusdem coloris atque paramenta sacra et tam longe lateque patens, ut ex omni parte calicem tegat (1) » (n. 909).

14. « **Lintea**, quae propius inserviunt sacrificio eucharistico, nimirum mappae altaris, corporalia, pallae, purificatoria, non alia adhibenda sunt quam ex tela linea aut cannabina (2). Albae quoque atque amictus, superpellicea et rochetta, mappa ad dispensationem sacrae Communionis destinata, aliaeque tobaleae vel mappulae pariter ex lino aut cannabe sint, non ex gossypio vel alia quacumque materia, etsi munditie, candore ac tenacitate linum aut cannabium aemulante et aequante. Quod si S. Rituum Congregatio permisit, ut, si quae iam haberentur ex gossypio, adhiberi possent donec consumerentur, huiusmodi permissio ad purificatoria, pallas, corporalia non est extendenda (3), atque ea permissione pauperes tantum ecclesiae utantur oportet. Signum crucis amictui in medio est omnino insuendum (4); ad albas vero exornandas reticulata texta minime requiruntur » (n. 904).

15. « **Cingula** sint funiculi linei seu cannabini albi coloris; possunt tamen esse serici vel lanei et coloris paramentorum. Quoniam vero per cingulum significantur funes et flagella, quibus Christus Dominus ligatus et caesus est, penitus reprobamus cingula, quae ex panno plus minusve ornato confecta sunt atque potius zonam sive fasciam referunt. Tolerari tamen possunt huiusmodi cingula donec consumentur (5) » (n. 905).

16. « **Paramenta sacra** ab Episcopo iuxta sanctiones iuris sunt **benedicenda**. Quam facultatem benedicendi Epi-

---

(1) Rit. celebr. Miss. I n. 1.
(2) Cit. *Decr. Auth.* n. 3779 ad 1 et 2, n. 2600.
(3) S. R. C. *Decr. Auth.* n. 2600.
(4) Missale Roman. Rit. celebr. I, 3.
(5) S. R. C. *Decr. Auth.* n. 4848 ad 6.

scopus, si indulto Sedis Apostolicae sit munitus, etiam simplicibus sacerdotibus delegare potest. Praelati autem regulares, qui huiusmodi privilegio benedicendi paramenta sacra instructi sunt, meminerint illud pro suarum tantum, non aliarum ecclesiarum usu ipsis a Sede Apostolica esse concessum » (n. 910). — Porro ex praecepto benedici debent corporale, palla, mappae altaris, amictus, alba, manipulus, stola, tunicella, dalmatica et casula. Quoad cingulum, pluviale, superpelliceum et rochettum, non est una omnium sententia; convenit tamen ut etiam hae vestes benedicantur adhibita benedictione pro sacerdotalibus indumentis in genere, absque ulla mutatione. Purificatorium, velum calicis, bursa et antipendium non sunt benedicenda seorsim; sed decet ut benedicantur coniunctim cum aliis: purificatorium scil. et antipendium una cum mappis altaris, velum calicis vero, velum humerale et bursa una cum aliis indumentis sacerdotalibus (1).

Praedicta indumenta ac lintea sacra amittunt benedictionem imprimis quando ita sunt lacera aut usu trita, ut morali hominum aestimatione usui inservire nequeant; deinde dum amittunt formam sub qua sunt benedicta, sive id contingat per accidens sive ex industria, si nempe ad reparationem pars quaedam a toto separetur, ita ut stante hac reparatione, licet per brevissimum tempus, suo usui inservire nequeant; quia nimirum dum perit subiectum, perire necesse est formam ei inhaerentem. Sic amittitur benedictio albae, si manicae ab ea seiungantur: item casulae, si crux ad reparationem tollatur, et similiter si medius pannus anterioris partis auferatur novusque deinde ei sufficiatur: item cinguli, si rumpatur et nulla pars sufficiat ad cingendum, una autem sufficiente, altera ei annecti potest. Amittitur etiam benedictio, si ex benedictis alia nova fiant, v. g. manipulus et stola ex casulis, amictus ex alba: his ergo in casibus nova requiritur benedictio. Si autem sacra vestis, nulla eius parte prius abscissa, paulatim reficiatur et

(1) Cfr. Pourbaix-Coppin *S. Liturgiae Comp.* nn. 366 et 371.

assuatur etiam addita parte non benedicta, quum tunc eadem vestis moraliter censeatur manere, benedictio non deperit (1).

17. « **Vestimenta sacra** lacera et usu trita, quae restaurari iam non possunt, certe **in usus sordidos et profanos non sunt convertenda,** sed comburantur et cineres in sacrarium proiiciantur. Quod si ratione artis christianae alicuius pretii reputentur, quid agendum sit ab Episcopo expetatur » (n. 911).

Tandem monentur Superiores locales, ut in sacris paramentis reficiendis et opportune renovandis assidui sint et diligentes. Curent, ut omnia munda sint atque decentia, ideoque praesertim sacra lintea in forma a iure praescripta frequenter abluantur. Qua cura illi proprio satisfaciunt officio, populi fidelis excitant devotionem et maiorem divinae maiestati procurant gloriam (cfr. n. 912).

173. Praecipitur expresse ne in posterum recipiantur, et eo minus procurentur paramenta nimis pretiosa, et vasa aurea vel argentea, exceptis calicibus, patenis, pyxide et ostensorio, quae argentea esse possunt.

Quod hoc art. traditur praeceptum **de non procurandis, nec acceptandis paramentis aut vasis ecclesiasticis pretiosis,** est stricte obligans in conscientia, utpote pertinens ad altissimae nostrae paupertatis substantiam (2); ita enim Clemens V (3) declarans scribit: « Quamvis etiam paramenta et vasa ecclesiastica ad honorem divini nominis ordinentur, propter quem omnia fecit ipse Deus; tamen qui absconditorum est cognitor ad animum sibi ministrantium respicit principaliter, non ad manum;

---

(1) Ita Pourbaix-Coppin, *S. Liturgiae Comp.* n. 368.

(2) Cfr. Kazenberger cap. VI quaest. 2 *Notandum* 2; Marchant. cap. IV tit. 2 quaest. 31 et 4.

(3) In Declaratione Regulae, art. 16.

nec per illa sibi vult serviri, quae suorum servitorum conditioni et statui dissonarent. Propter quod sufficere debent eis vasa et paramenta ecclesiastica decentia, in numero et in magnitudine sufficientia competenter. Superfluitas autem, aut nimia pretiositas, vel quaecumque curiositas in his seu in aliis quibuscumque non potest ipsorum professioni vel statui convenire. Cum enim haec sapiant thesaurizationem seu copiam, paupertati tantae, quoad humanum iudicium, derogant manifeste. Quapropter praemissa servari a Fratribus volumus et mandamus » : et notandum ex cit. Pontificis verbis hac in re prohiberi non solum nimiam pretiositatem, sed et superfluitatem necnon quamcumque curiositatem. Hinc qui contra huius praecepti verum intellectum procurat vel etiam sponte oblata recipit paramenta vel vasa ecclesiastica nimis pretiosa, aut etiam superflua vel curiosa, peccat contra votum paupertatis graviter vel leviter pro materiae capacitate. Porro prohibita hac in re pretiositas et superfluitas non est diiudicanda absolute, sed consideratis Ecclesiae Decretis: sic pretiosum dici non potest quod in sacris paramentis vasisque omnino requirunt vel saltem valde desiderant dicta Decreta : similiter superflua habenda non est sacra supellex etiam eiusdem speciei duplex vel triplex, pro opportuno nempe usu quotidiano ac pro minore maioreve solemnitate: ex regula generali hac in re nobis prohibitus videtur excessus prae communi ecclesiarum usu.

Haec de pretiosa vel superflua supellectili causali praesertim procuratione acquirenda; nam quoad eamdem iam de facto acquisitam attendenda est Leonis X Const. *Merentur*, in qua idem Pontifex « declaravit et decrevit, quod Fratres Minores sunt tantum custodes, et non possessores paramentorum et ornamentorum ac vasorum, quae ad ministerium sacri altaris habent, et propterea illis absque suae professionis macula aut violatione uti, et potiri libere et licite posse, quum deceat iuxta solemnitatum celebritatem decentioribus paramentis

divinam honorare maiestatem (1) ». Et licet hanc Leonis X concessionem nonnulli censeant esse privilegium Regulae relaxativum, tamen, ex ipsius Pontificis verbis expressis « declaramus et decernimus », verior videtur sententia Cordubae (2) et cum eodem Roderici (Rodriguez) (3) docentium praefatam concessionem esse meram Regulae declarationem (4), ita tamen (quod bene notandum) ut ipsa acquisitio ornamentorum in pretiositate et numero excedentium, maxime per causalem procurationem, prohibita et illicita maneat ex Regula iuxta supra cit. Clementis V Declarationem, et nullo modo sit concessa per dictam Leonis X Const., sed potius exclusa (5). Hinc illegitime omnino quis sumeret eiusmodi ornamenta acquirendi praetextum ex cit. Leonis X Const., quae hodiedum, post lata in Ordine stricta statuta de non habendis ecclesiasticis paramentis ornamentisque pretiosis, in praxi applicanda videtur quoad ea tantum, quae ex antiquitate peculiarem merentur aestimationem.

174. Prohibetur Superioribus et subditis ne ullo tempore vel ullo praetextu, ad cuiusvis preces, indulgeant, supellectiles, vasa et quaecumque ad nostras ecclesias pertinentia aliis commodari, sine praevio consensu in scriptis Discretorii conventus vel Ministri provincialis.

Prohibetur hoc art., **ne res ad ecclesias nostras pertinentes commodentur** nisi accedente consensu Discretorii conventus vel Ministri provincialis, ut sic minuatur periculum amittendi res, quarum usum habemus.

---

(1) Apud Rodriguez *Quaest. canonic. et regular.* tom. III quaest. 25 art. 1.

(2) Expos. Regulae cap. 6 qu. 14.

(3) Loc. cit.

(4) Cfr. dicenda in commentario ad art. 317 de usu conventuum sumptuosorum.

(5) Cfr. Rodriguez loc. cit. art. 2.

§ III.

De suffragiis defunctorum.

175. Christianae pietatis ratio postulat ut si omnium qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis memoriam semper agere oportet, eorum tamen specialius agatur quibus magis tenemur.

Inculcantur hoc art. **persolvenda suffragia pro defunctis,** maxime pro iis quibus magis tenemur. Inter quos numerandi sunt Ordinis benefactores in temporalibus; nam ex theologorum doctrina (1) Regulares ex eleemosynis viventes tenentur saltem ex gratitudine (2) orare pro suis benefactoribus vivis et defunctis. Ratio habetur ex eo quod Regularibus eleemosynae dantur a fidelibus spe participandi eorumdem bonis operibus, qua spe defraudantur fideles, si ex bonis impetratoriis et satisfactoriis nulla ipsis applicentur. — Haec autem gratitudinis obligatio sub levi tantum esse videtur. Non desunt tamen theologi qui aestiment peccare mortaliter Regulares, qui fere numquam benefactorum memores sunt, et notabiliter negligunt sua suffragia applicare eisdem.

176. Pro Summo Pontifice, ubi primum de eius morte nuntiatum fuerit, in quovis conventu solemni ritu parentalia fiant, et singuli sacerdotes bis Sacrum offerant; Fratres clerici Officio defunctorum, laici vero centies repetita oratione dominica et salutatione angelica cum *Requiem aeternam* pro eius anima precentur.

---

(1) Apud Lezana *Summa quaest. regul.* vol. II verb. *Suffragia* n. 6; cfr. Corduba in Regulae cap. 6 qu. 13.

(2) Nullo scil. interveniente pacto; secus enim tenentur ex iustitiae obligatione gravi vel levi iuxta materiae capacitatem.

177. Pro Cardinali Protectore in quolibet conventu cantetur vel saltem legatur una Missa; Fratres vero clerici et laici dicant stationem SS. Sacramenti.

178. Pro Ministro aut Vicario generali in officio decedente singuli sacerdotes dicant Missas duas, omnes conventus unam solemnem cum integro Officio defunctorum, clerici et laici tres coronas B. M. V. et duas stationes SS. Sacramenti.

179. Pro Ex-Ministro generali aut Ex-Vicario generali et pro Procuratore generali in officio decedente singuli sacerdotes Sacrum semel applicent, omnes conventus unum solemne cum integro Officio defunctorum, clerici et laici duas coronas et duas stationes recitent.

180. In provinciis pro singulis Religiosis professis, etsi in aliena provincia vel in Missionibus decesserint, et pro tertiariis seu oblatis qui decem saltem annis Religioni inservierunt, singuli sacerdotes in provincia degentes unam saltem dicant Missam, Fratres clerici et laici ter pium Viae Crucis exercitium peragant.

181. Pro aliis Fratribus tertiariis et pro novitiis Minister provincialis decem Missas, Superior conventus saltem unam celebrari curent, Fratres clerici provinciae et laici ter stationem SS. Sacramenti recitent.

182. Pro syndico apostolico in conventu cui servitium suum praestitit et pro patre et matre alicuius Religiosi conventui adscripti una saltem celebretur Missa, Fratres clerici, si adsint, et laici ter stationem SS. Sacramenti recitent.

Hisce art. praescribuntur **varia pro variis defunctis suffragia.** — Pro recto horum praescriptorum intellectu notanda:

a) In praedictis art. Officium defunctorum s e m p e r intelligitur **totum Matutinum cum Laudibus,** at sine Vesperis. In art. 178 et 179 additur integrum, quia agitur de recitatione c h o r a l i, pro qua iuxta Rubricas in certis casibus nomine Officii defunctorum intelligitur non totum Matutinum etc., sed unum Nocturnum respectivae diei recitationis respondens, iuxta Rubricam specialem in Breviario ante I Nocturnum Officii defunctorum positam, cum Laudibus.

b) Preces iuxta praescriptum art. 176 dicendae a laicis intelligendae sunt hoc sensu, ut s i n g u l i s orationibus dominicis cum salutatione angelica addatur e t i a m precatio *Requiem aeternam* etc.

c) Statio SSmi Sacramenti, de qua art. 177, 178, 179, 181 et 182, intelligitur sexies repetita recitatio orationis dominicae, salutationis angelicae necnon doxologiae *Gloria Patri* etc., cui recitationi ex pontificia concessione adnexae sunt indulgentiae plurimae, quarum tamen determinatus numerus non cognoscitur. — Porro fiat huius stationis recitatio iuxta primaevam concessionem ante SS. altaris Sacramentum, et ex laudabili Ordinis praxi brachiis extensis, licet hic recitationis locus et modus non necessario requiratur ad lucrandas indulgentias (1).

d) Corona Virginis, de qua art. 178 et 179, intelligitur f r a n c i s c a n a seu septem Gaudiorum B. M. V., cuius origo, definitio et favor spiritualis explicatur in commentario ad art. 194.

e) Intelliguntur art. 180 Religiosi (sive clerici sive laici stricte dicti saltem simpliciter professi) omnes qui actualiter ad provinciam pertinent, licet forsan extra provinciam degant.

---

(1) Cfr. P. Petrus Mocchegiani a Monsano *Collectio Indulgentiarum* nn. 1396-1408.

f) Nomine clericorum et laicorum in praefatis art. comprehenduntur etiam respectivi novitii, necnon tertiarii seu oblati.

183. Praeterea in singulis conventibus statis diebus, iuxta rubricas peculiares nostri Breviarii, Officia generalia et generalissima defunctorum fiant.

Statuuntur hoc art. habenda **Officia generalia et generalissimum defunctorum**. Horum Officiorum celebrandorum stati dies sunt prout sequitur: Quatuor generalia agenda sunt die proxime non impedita primum post Dominicam Septuagesimae, secundum ante festum S. Mariae Magdalenae (22 Iulii), tertium ante festum Dedicationis S. Michaelis Archangeli, quartum ante Adventum; Officium vero generalissimum celebrari oportet post festum Omnium Sanctorum trium Ordinum die item proxime non impedita (1).

In his quinque Officiis persolvenda sunt Vesperae et Matutinum integrum cum Laudibus, ac decantanda Missa de Requiem; a Fratribus laicis (etiam novitiis) et tertiariis iuxta morem recitanda sunt centum *Pater*, *Ave* et *Requiem*.

Ex praedictis Officiis generalibus fiunt tria prima pro universis Fratribus, eorumque ac nostris propinquis et benefactoribus, quartum pro patribus et matribus Fratrum omnium quot sunt quotque fuerunt; generalissimum fit pro Fratribus et Sororibus cuiusque status trium Ordinum S. P. N. Francisci, pro eorum earumque ac viventium Fratrum et Sororum patribus et matribus necnon benefactoribus, ac pro iis omnibus qui in coemeteriis eorumdem Ordinum consepulti sunt (2).

Nota. Meminerint qui in praedictis suffragiis persolvendis sunt negligentes valde esse timendum, ne Deus in

---

(1) Cfr. Caerimoniale Ordinis n. 175.

(2) Rubricae peculiares nostri Breviarii nn. 214-216, 219-225.

ipsos non applicet suffragia pro ipsis, licet in particulari, oblata. Nam — ut ait Venerabilis Beda — « indignus erit omni suffragio, qui defunctorum immemor fuerit in hoc saeculo ». Et ex documentis historicis fide dignis constat, orationibus fusis et sacrificiis oblatis privatum a Deo fuisse mortuum, qui in vita negligens extitit in defunctis adiuvandis (1).

184. Habeat quaelibet provincia necrologium seu librum, in quo scribantur nomina Fratrum defunctorum, ut eorum memoria, die obitus recurrente, coram singulis communitatibus pie renovetur.

Praescribitur hoc art. in singulis provinciis **habendum necrologium,** in quo scribantur, sub die obitus nomina alumnorum provinciae, etiam tertiariorum seu oblatorum necnon novitiorum, defunctorum. Huius necrologii exemplar sit in singulis provinciae domibus, et inscriptorum nomina, die obitus occurrente, praelegantur coram singulis communitatibus.

§ 4.

De oratione mentali, aliisque pietatis officiis.

185. Divinis officiis mentalis oratio iungi debet, qua ad incitamenta virtutum nihil opportunius, nihil ad retinendam vel etiam restaurandam regularis vitae disciplinam magis necessarium est. Nec sane religioso nomine vere dignus est qui sanctae orationis studio non exardescit.

186. Fratres itaque omnes, congruis temporibus et locis, iuxta probatam cuiusque provinciae consuetudinem, insimul convenientes, diebus singu-

(1) Cfr. Kerckhove cap. 9, n. 3.

lis saltem per integram horam orationi mentali incumbant, praemissa moderata lectione libri, qui vernacula lingua mysteria fidei explicet. Ubi viget consuetudo diutius meditandi retineatur. Speciali huic obligationi satisfieri non potest per processiones vel per recitationem stationis SS. Sacramenti vel quid aliud simile.

187. Superiores de hoc sancto exercitio sint maxime solliciti: Fratres suos incitent verbo et exemplo, et negligentes poenis coerceant.

Agitur hisce art. **de orationis** praesertim **mentalis exercitio,** cuius necessitatem inculcat S. Bonaventura (1) hisce verbis: « Cavenda est perturbatio studii devotionis, ex qua fulcitur omnis vera Religio, et omne virtutis exercitium impinguatur. Arida est omnis Religio, quae non oleo isto saginatur; instabilis est bonorum operum structura, quae devotae orationis frequentia non compaginatur, sicut paries lapidum sine caemento. In omni Religione, ubi devotionis fervor tepuerit, etiam aliarum virtutum machina incipit deficere et appropinquare ruinae ». — Nil mirum igitur audire seraphicum Fundatorem admonentem, ut Fratres « attendant quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini et sanctam eius operationem, orare semper ad Deum puro corde (2) », item ut Fratres « ita laborent, ut sanctae orationis et devotionis spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deservire (3) ». Ad haec quantum qui in sacro ministerio laborant in orationis studio assidui sint oporteat, his verbis declarat seraphicus Patriarcha (4): « Prius praedicator haurire debet secretis orationibus, quod postea sacris ostendat

(1) *De sex alis Seraphim* cap. 2, in nova editione tom. VIII. p. 134 in fine sub 10.

(2) Regulae cap. 10.

(3) Regulae cap. 5.

(4) Opusc. part. III. coll. 17.

sermonibus: prius intus calescere, quam extra verba proferre. Laudandi sunt illi praedicatores, qui pro tempore sibi sapiunt sibique gustant. Illi vero male sciunt dividere, qui praedicationi totum, devotioni vero nihil impendunt »: quae et potiore iure applicanda confessariis, facile intelligit qui perpenderit artem artium esse regimen animarum. — Tandem quod spectat lectores et studentes S. Patris mentem patefacit epistola, quam S. Antonio scripsit (1) dum eum S. Scripturae lectorem instituit: « Placet mihi — ita scribit — quod sanctae theologiae litteras Fratribus interpreteris, ita tamen ut neque in te neque in ceteris (quod cupio) extinguatur sanctae orationis spiritus iuxta Regulam, quam profitemur (2) »: quem sanctae orationis spiritum ad mentem S. Patris exponens D. Bonaventura (3) triplicem distinguit devotionem: « Alia autem — ita scribit — devotio est communis, alia specialis, alia assidua: communis in divinis Officiis, specialis in orationibus, assidua in omnibus agendis », quam triplicem speciem ibidem describit verbis seraphicis ardoribus plenis. Studeant ergo omnes « desiderare super omnia spiritum orationis et devotionis, cuius praecipua fomenta et custodes sunt solitudo, silentium, terrenorum contemptus et perfecta animae quies; e contra praecipua orationis obstacula sunt inutilis egressus e conventu, frequens cum saecularibus praesertim cum personis alterius sexus conversatio, multiloquium, amor creaturarum, defectus spiritus mortificationis et immoderata in agendis sollicitudo: quae quidem obstacula pro viribus sunt evitanda et removenda (4) ».

---

(1) Opusc. part. I. epist. 3.

(2) Legi meretur P. Bernardus Van Loo *Stimulus seraphicae conversationis* XXX et XXXI.

(3) *De sex alis Seraphim* cap. 7 in nova editione tom. VIII. p. 148. sqq. sub nn. 4-14.

(4) Epistola encyclica Rmi Patris Ministri generalis fr. Dionysii Schuler; cfr. *Acta Ordinis* Anno XXIII. (1904) p. 22.

Hinc sapienter art. 186 statuitur, ut omnes [etiam alias a chorali assistentia exempti] diebus singulis saltem per horam incumbant orationi mentali, [et quidem] simul convenientes congruis temporibus et locis; talis enim oratio specialem habet promissionem a Christo Domino dicente Matth. XVIII, 19: « Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » : quod Suarez (1) intelligit etiam quando multi simul ad orandum conveniunt, licet unusquisque per se oret quasi privatim, nec habeat cum oratione alterius aliam coniunctionem praeter concomitantiam temporis aut loci vel materiae; qui modus — ait — potest etiam in oratione mentali inveniri, sicut patet in communitate religiosa, cuius personae omnes eadem hora ad sic orandum conveniunt ex communitatis ritu et consensu. — Nec speciali huic obligationi satisfieri potest per aliud quodcumque pietatis exercitium, excepto solo S. Viae Crucis exercitio ex art. 193.

188. Fratres omnes semel saltem in hebdomada Ordinis sacerdoti rite approbato confiteantur.

Praescribitur hoc art. **confessio saltem hebdomadaria peragenda** ab omnibus tam sacerdotibus, quam clericis et laicis, etiam novitiis et tertiariis, et quidem ex provida ratione, videlicet « ut eo se salutari praesidio muniant ad omnes oppugnationes daemonis fortiter superandas (2) » ; frequens siquidem confessio non sinit ut malum radices agat, et actus peccaminosus habitum generet vitiosum difficulter corrigendum; deinde plurimum confert ad acquirendam et conservandam conscientiae puritatem, cui personae Deo dicatae specialius studere debent. — Porro hoc confessionis praescriptum, ex huius art. mente

(1) *De Religione* lib. IV. cap. 1. n. 3. apud Kerckhove cap. 2. § 4. n. 4.
(2) Conc. Trid. Sess. 25 cap. 10 *De Regularibus.*

ac voto, intelligendum non solum de mortalium ad normam praecepti divini, sed et venialium peccatorum necnon moralium defectuum saltem magis voluntariorum, iuxta prudentis confessarii directionem, accusatione, qua fiat ut hebdomadaria confessio tum peccatorum remissionis recipiendae, tum maxime perfectionis acquirendae sit medium, hoc enim primarium videtur huius statuti intentum. Notandum tamen per accusationem ad normam praecepti divini satisfieri litterae seu stricto sensui huius art., utpote qui praescribit confessionem simpliciter; imo absolute loquendo sufficere videtur, ut quis non habens mortalia se praesentet confessario fateaturque mortalia se non habere, uti docet Sanctorus (1) contra Kerckhove (2).

189. Fratres clerici et laici quibusque Dominicis atque festivis diebus, prima cuiusque mensis feria VI, et diebus Indulgentiarum, vel etiam quotidie, iuxta confessarii iudicium, SS. Comunionem recipiant.

1. Praecipitur hoc art. **frequentior SS. Communionis receptio,** quae coniuncta cum hebdomadaria confessione de qua art. praec., religiosae perfectionis efficacissimum est incitamentum ac validissimum fulcimentum. Nam, ut habet S. Bonaventura (3), « dicitur hoc Sacramentum — loquitur de Eucharistia — magis unire, quia digne accedentem reddit ferventiorem, ut carbo ignitus, et iterum reddit fortiorem, ut bonus cibus. Et ex hoc quod reddit charitatem magis ignitam, adiuvat ad consumendam peccati venialis rubiginem. Et ex hoc quod magis firmat, adiuvat ad vitandum omnia scelera. Et ratione utriusque valet ad augmentum virtutum, et maxime charitatis, quae est vinculum, non quantum ad essentiam, sed quantum ad

(1) Cap. 5. Stat. 3. ad finem.
(2) Cap. 2. § 3. n. 8.
(3) In 4. dist. 15. part. 2. art. 1. qu. 3.

fervorem vel radicationem; fervor enim minuitur quotidie per venialia et radicatio: ideo oportet per hunc cibum restaurari deperditum ». De hac vero restauratione ita habet Catechismus Romanus (1): « Quidquid cupiditatis ardore anima amisit, cum levi aliqua in re parum offendit, totum Eucharistia, eas ipsas minores culpas abstergens, restituit: quemadmodum etiam... quod innati caloris vi quotidie detrahitur ac deperit, paulatim addi et refici naturali alimento sentimus ».

Notandum hic Pii X seu S. C. Concilii Decretum *Sacra Tridentina Synodus* 20 Dec. 1905 *de quotidiana SS. Eucharistiae sumptione* (2).

190. Ter in hebdomada, id est feria II, IV et VI hora congrua, dato signo, omnes communis disciplinae salutare peragant exercitium, nisi eisdem diebus occurrat festum aliquod duplex I aut II classis. Item excipiuntur octavae Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes, SS. Corporis Christi, Assumptionis et Immaculatae Conceptionis B. V. M., S. P. N. Dominici, S. P. N. Francisci et Omnium Sanctorum.

Praescribitur hoc art. salutare **communis disciplinae exercitium peragendum** iuxta illud Apostoli: « Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar ». Quum enim indomita caro nostra internus et gravissimus sit hostis noster, ideo illius insidiae prae ceteris sunt formidandae, ipsaque castigando subigenda est, ne illius concupiscentia in perditionem nos abripiat; siquidem « cum carnem restringimus — verba sunt S. Gregorii — ipsis ictibus non aërem sed immundos spiritus verberamus, et quum hoc, quod est intra nos, subiicimus, extra positis adversariis ictus

(1) Part. II. cap. 4. qu. 40.
(2) Cfr. *Monumenta* pag. 158.

damus ». Hinc discreta corporis castigatio aptissimum est ad virtutem et perfectionem plenamque vitiorum victoriam instrumentum, imo recta ad salutem via.

Quod autem exceptae statuuntur solemniores festivitates et praecipuarum solemnitatum octavae, in quibus communis disciplinae exercitium omittatur, hoc factum est ex priscorum Sanctorum Patrum exemplo, utpote qui et ipsi in praecipuis solemnitatibus de suo rigore nonnihil remittere solebant (1).

Preces tempore disciplinae recitandae notantur in Rituali Ordinis pag. 156 sqq.

191. Qualibet Feria VI fiat capitulum culparum, in quo defectus externi et negligentiae quotidianae agnoscantur, et Superior Fratres ad Regulae, Constitutionum, Statutorum et Ordinationum observantiam adhortetur, ac benefactores omnium orationibus commendet.

Agitur hoc art.

1. **de capitulo culparum,** in quo fiat publica culparum externarum et negligentiarum quotidianarum contra Regulam etc. accusatio et correptio: porro huiusmodi accusatio ex antiqua Ordinis praxi intelligitur non solum communis et generalis, sed et, saltem hic et nunc et quoad unum vel alterum iuxta Praelatorum discretionem, individualis et singularis (2). Quae pia praxis iam quasi nascentis Ecclesiae apud religiosas personas semper fuit in usu, et ab omnibus Ordinum Institutoribus in suis Regulis vel Constitutionibus praescripta (3), idque ob varias utilitates (4): publice accu-

---

(1) Cfr. Kerckhove cap. 2 § 6 n. 1; Sanctorus cap. 5. Stat. 4.

(2) Modum religiose faciendi huiusmodi accusationem describit *Speculum disciplinae* part. 1 cap. 10, 3.

(3) Cfr. Lezana *Mare magnum* etc. cap. 11; Sanctorus cap. 5. Statutum 4.

(4) Cfr. Kerckhove cap. 2 § 6 n. 2; Sanctorus cap. 8. Statutum 65.

sando defectus Religiosus abnegat semetipsum, quod est totius perfectionis summarium, — odit animam et corpus, dum animam subiicit confusioni et corpus poenis iniungendis, sicque amorem proprium destruit per sui confusionem, — fit Regulae ac disciplinae monasticae observantior, — imo si humilis haec accusatio fiat cum debita culpae admissae detestatione et poenitentiae impositae volontaria executione per eamdem venialia peccata remitti videntur, etiam quoad culpam, saltem ex opere operantis, — tandem Paulus V Const. *Romanus Pontifex* (1) concessit indulgentiam trium annorum totidemque quadragenarum iis Religiosis, « qui contrito corde et poenitentes eorum culpas et peccata et imperfectiones in capitulis culparum accusabunt et spiritualiter communicabunt et exercitium virtutum facient ».

2. **Modus habendi capitulum culparum** notatur in Rituali Ordinis tit. IV cap. 2. — Consuetae vivorum et defunctorum commendationes fiant iuxta formulare ibidem n. 1 indicatum. — Praecipua autem huius exercitii pars est cum accusatione ex huius art. et Ritualis praescripto facienda a Guardiano discreta ac prudens culparum negligentiarumque in observantia regulari correptio necnon opportuna ad eamdem admonitio; hinc Guardiani, qui numquam vel valde raro huiusmodi correptiones et admonitiones facerent, non solum huius art. praescriptum violarent, salutare hoc ad regularem observantiam firmandam exercitium in meram caeremoniam convertendo, sed et suo muneri deessent, nam a neglecta semper vel fere semper publica correptione admonitioneque, ex fragilitate humanae naturae ad malum pronae de facili introducuntur abusus et disciplinae Religionis relaxationes, quas, dum commode possunt, non corrigentes Superiores peccant, et etiam graviter, si exinde graviter laedatur observantia regularis (2).

(1) S. C. Indulg. *Decr. Auth.* p. 443 sqq.; cfr. P. Petrus Mocchegiani *Collectio Indulgentiarum* n. 1271 c. 4.

(2) Cfr. Kerckhove cap. 2 § 6 n. 3.

Tandem notandum, publicam in capitulo culparum accusationem correptionemque intelligendam de culpis levibus communibusque famae graviter non derogantibus, vel etiam de gravibus iam publicis et notoriis, quas etsi subditi sponte non accusent, debet Superior non ex odio vel passione, sed ex zelo observantiae moderate corrigere et pro iis imponere poenitentias salutares; quae quidem — ut notat Peyrinus (1) — non remittuntur per indulgentias, quum sint poenae iudiciales debitae hominibus vel Ecclesiae, non autem proprie Deo pro peccatis quoad culpam remissis, quae solae per indulgentias tolluntur. Porro posse Superiores defectus communes et ordinarios, etsi sint occulti, advertere in capitulo, etiam non praemissa correctione fraterna, docet aperte S. Thomas (2) scribens: « Huiusmodi proclamationes, quae in capitulis Religiosorum fiunt, sunt de aliquibus levibus, quae famae non derogant: unde sunt quasi quaedam commemorationes potius oblitarum culparum, quam accusationes vel denuntiationes. Si essent tamen talia, de quibus Frater infamaretur, contra praeceptum Domini ageret, qui per hunc modum Fratris peccatum publicaret ».

192. Servent omnes antiquam consuetudinem Religionis, eundi ad ecclesiam pro visitatione SS. Sacramenti et pro examine conscientiae, hora statuta vel statuenda in respectivis provinciis.

Provida ex ratione hoc art. praescribitur **peragenda visitatio SS. Sacramenti,** utpote quae plurimum confert ad conservandam augendamque divinam charitatem, quod est vinculum perfectionis, — necnon **habendum examen conscientiae,** tum particulare quum generale, quo nempe vitia ac defectus efficacius praecaveantur validiusque corrigantur.

---

(1) *Formul. Praelat.* litt. C cap. 22 n. 7.

(2) 2. 2. qu. 33 art. 7 ad 4.

Utrumque hoc exercitium peragendum est singulis diebus a communitate collegialiter hora determinata, utpote ex verbis huius art. statuta vel statuenda a Capitulo provinciali pro tota provincia.

193. Curent Superiores ut pium Viae Crucis exercitium feria VI, vel alia cuiusque hebdomadis die, nunquam a communitate omittatur; quod etiam loco meditationis vespertinae haberi poterit, dummodo per dimidiam horam perduret.

Statuitur hoc art. **pium Viae Crucis exercitium peragendum** a communitate collegialiter et quidem quavis hebdomada, neque ex ullo impedimento nisi ex necessitate omittendum; quod pium exercitium, ex obiecto et prima origine (1) omnibus fidelibus commendatum, prae ceteris Ordinis alumnis suadetur ex hac speciali ratione, quod in vigenti forma ac methodo necnon propagatione (2) Ordinis proprium merito dici debet.

Ad haec notandum, pium hoc exercitium, tum communitati qua tali tum singulis Fratribus, etiam loco meditationis haberi posse.

194. Coronam VII Gaudiorum B. M. V. in Ordine nostro celebrem, et a Summis Pontificibus coelestium munerum largitione decoratam, Fratres omnes, pro sua in Deiparam pietate, cingulo appensam uniformiter gestent et diebus singulis recitare studeant.

Hoc art. praescribitur a Fratribus **uniformiter gestanda cingulo appensa** necnon **singulis diebus** privatim saltem **recitanda corona septem Gaudiorum B. M. V.**

---

(1) Cfr. P. Petrus Mocchegiani *Collectio Indulgentiarum* nn. 1122 et 1123.

(2) Cfr. loc. cit. n. 1125.

Quae corona in Ordine celebris est imprimis origine; siquidem eamdem docuit — referente Waddingo (1) — ipsa Beatissima Virgo iuvenem quemdam Ordinis novitium sibi devotum, cui quum non liceret, uti in saeculo soleret, intendere floribus legendis Matri quotidie offerendis, et hinc iuvenili levitate constituisset ad saeculum redire, ipsa Mater filio devoto apparens potius quam coronam ex floribus qui cito marcescunt, ex floribus in aeternitatem virentibus, piis scil. precibus, confectam quotidie offerendam revelavit.

Constat autem huiusmodi corona ex septuaginta duobus *Ave Maria* et septem *Pater noster*, quae in recitando distinguitur in septem decades, quarum ultimae adiiciuntur duo *Ave Maria*, post quas finitas additur unum *Pater* et *Ave* pro Summo Pontifice. Porro recitatur haec corona in memoriam et honorem septem Gaudiorum Virginis Deiparae, necnon septuaginta duorum annorum, quos ipsa sacratissima Virgo, iuxta probabiliorem sententiam, in terra vixit; haec autem Gaudia sunt: Annuntiatio B. M. V., Visitatio B. M. V., Nativitas D. N. I. C., Adoratio Magorum, Inventio pueri Iesu in templo, Resurrectio D. N. I. C., et Assumptio B. M. V. Huius coronae recitationi adnexa est lucranda indulgentia plenaria (2), quae personalis est, non realis, i. e. immediate adnexa recitationi precum, minime vero coronae materiali, cuius proinde usus in recitando necessarius non est, multo minus eiusdem, si ea quis utatur, benedictio requiritur (3); sufficit igitur ad lucrandam hanc indulgentiam, ut preces, ex quibus constat corona, in praefato numero ac modo, cum vel sine alicuius coronae materialis usu, devote recitentur (4).

Nota. De indulgentiis Christifidelibus pro recitatione coronae septem Gaudiorum concessis cfr. Breve Apostoli-

(1) *Annal. Ord. Min.* tom. X ad annum 1422, n. 8.

(2) S. C. Indulg. *Decr. Auth.* n. 412 ad 1.

(3) S. C. Indulg. ibidem ad 2.

(4) Cfr. P. Petrus Mocchegiani a Monsano *Collectio Indulgentiarum* n. 711-723.

cum 15 Sept. 1905 (*Monumenta* pag. 208), et Rescriptum S. C. Indulg. 12 Sept. 1906 (*Monumenta* pag. 210). Item de privilegiis in dicta corona recitanda concessis cfr. Rescriptum S. C. Indulg. 12 Sept. 1906 (*Monumenta* pag. 211), et Rescriptum S. C. Indulg. 22 Iul. 1908 (*Monumenta* pag. 212).

195. Exercitia spiritualia quotannis per octo integros dies nemo praetermittat. Curent Ministri provinciales ut in singulis communitatibus ab aliquo ad id idoneo Religioso dirigantur.

Praescribuntur hoc art. **quotannis servanda exercitia spiritualia,** quae ad religiosorum hominum dignitatem et sanctimoniam retinendam ac fovendam quam maxime conducere, nemo est qui perspectum non habeat. Hinc sedula cura vigilent Superiores, ut iuxta respectivae provinciae normas praescriptas ab omnibus indispensabiliter et inviolabiliter peragantur. — Huiusmodi exercitia quae fiunt a communitate, peragenda sunt communiter sub directione alicuius idonei Religiosi.

In principio et in fine exercitiorum spiritualium dicantur preces, quae ponuntur in Rituali Ordinis tit. IV cap. 5.

196. Dominicis diebus vel alia hebdomadis die aliquis sacerdos idoneus inservientes saeculares, si qui sint, instruat in doctrina et vita christiana.

Praescribitur hoc art. **habenda** a sacerdote ad hoc designato **hebdomadalis inservientium saecularium instructio specialis,** cuius obiectum sit imprimis amplior et plenior christianae doctrinae explanatio, necnon ordinaria vitae christianae exercitia. Porro inservientes hoc art. intelligendi videntur soli familiares, qui nempe conventui inserviant famulatu continuo diu noctuque cohabitantes, non autem qui diurni tantum etsi ordinarii sunt operarii. Designatio sacerdotis idonei, qui eiusmodi operi incumbat, relinqui poterit Superiorum localium iudicio.

§ V.

De ieiunio.

197. Praeter ieiunia ab Ecclesia et Regula statuta, etiam vigilia S. P. N. Francisci ab omnibus ieiunio et abstinentia consecretur.

1. **Ieiunia ex Regula observanda** sunt, ex certa omnino (1) omnium doctrina, a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini (utroque praedicto festo excluso) et singulis feriis sextis per totum annum, etsi in feriam sextam cadat Nativitas Domini (2); insuper, ex communi EE. contra alios (3) sententia, a die Cinerum incipiendo usque ad Resurrectionem Domini exclusive. Communis affirmantium doctrina nititur illis Regulae cap. 3 verbis: « sed aliam usque ad Resurrectionem Domini ieiunent », quae intelligunt de speciali Regulae praecepto superaddito communi legi Ecclesiae. Qui negant, praedicta Regulae verba explicant in hunc sensum ut ponantur ad simplicem commemorationem, et sine novo praecepto, et arguunt ex Clementis Declaratione art. 3, ubi ieiunia ex aequipollenti Regulae praecepto obligantia ex professo declarans Pontifex non ponit ieiunium quadragesimale; nec huius argumenti vim infirmari putant ex eiusdem Clementis V. ibidem art. 7 *De ieiuniis* verbis: « Cum duobus temporibus annotatis in Regula, scilicet a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini, et maxime Quadragesimae, in quibus ieiu-

---

(1) Ex expressa Clementis V Declaratione art. 3 *De iis quae aequipollent praecepto.*

(2) Cap. *Explicari* fin. *De observ. ieiuniorum* (lib. III tit. 46).

(3) Cum Speculatore et Cypriano Crousers in *Lectionibus paraeneticis ad Regulam* lect. 4.

nare tenentur... », utpote in qua enuntiatione ieiunium quadragesimale minime ponitur ut obligatorium ex Regula, praesertim quum non dicatur: praescriptis in Regula, sed simpliciter: « annotatis in Regula ». Quae negantium sententia licet fundamento non spernendo fulciri videatur, eamdem tamen contra communem EE. doctrinam probare non ausim.

2. **Modus in ieiunando observandus** generatim est modus ieiunii ecclesiastici, servatis tamen particularibus locorum consuetudinibus. Hinc quae DD. explicando docent de modo in ieiunio ecclesiastico servando, de obligationis gravitate, necnon de causis excusantibus (1), valent etiam de ieiuniis ex Regula praescriptis.

Huc spectat responsum S. Officii 20 Dec. 1871 (2) ad postulationem Rmi P. Bernardini a Portu Romatino tunc temporis Ministri generalis datum, qua S. C. declaravit, « Regulares speciali voto abstinentiae a carnibus non adstrictos (3) gaudere indulto circa observantiam ciborum tempore Quadragesimae et per annum pro fidelibus promulgato ab Ordinariis locorum nomine sanctae Sedis Apostolicae »; exceptis tamen quoad nos illis peculiaribus indultis, etiam cum clausula Regularibus comprehensis, ab Ordinariis locorum nomine S. Sedis promulgatis pro esu carnium in feriis sextis infra annum (4): ratio habetur ex eo quod huiusmodi indultis dispensatur a sola lege abstinentiae, Fratres autem Minores, utpote qui ex speciali Regulae praecepto quavis feria sexta etiam ieiunii obligatione tenentur, in casu ab esu carnium prohibentur non sola lege abstinentiae, sed et ieiunii lege, cui (ut dictum est)

---

(1) Cfr. Cornelisse *Comp. Theol. moralis* tom. I n. 480 sqq.; Lehmkuhl *Theol. moralis* (Ed. 11) tom. I n. 1460 sqq.

(2) Cfr. *Acta Ordinis* Anno XI (1892) p. 37 in fine sq.

(3) Inter quos numeramur et nos Fratres Minores.

(4) S. Officium 18 Nov. 1891 apud *Acta Ordinis* Anno X (1891) p. 187.

per illa indulta non derogatur (1): nec quicquam probat in contrarium addita (de cetero ex cit. S. Officii responso 20 Dec. 1871, semper subintellecta) clausula Regularibus comprehensis, utpote quae ex dictis intelligi debet de illis solis Regularibus, qui ex peculiari praecepto ad ieiunium non sunt obstricti, sed tantum ex lege communi ab esu carnium abstinere debent (2). Ad haec tamen notandum, ex responso S. Officii 20 Ian. 1892 (3) cum omnibus Regularibus et Fratres Minores etiam in diebus ieiunii ex sola Regula praescripti posse frui indultis peculiaribus publicae valetudinis causa seu occasione epidemiae nomine S. Sedis ab Ordinariis publicatis.

3. **Ieiunio ex Regula observando tenentur** generatim omnes Fratres tum solemniter quum etiam simpliciter (4) Regulam professi.

Quaestio autem est de iuvenibus ante aetatis annum 21^{m} completum et senibus post aetatis annum 60^{m} inchoatum (5): a ieiunio ecclesiastico eximi vel excusari illos ex certa, hos ex probabili saltem DD. sententia constat (6). Si vero agatur de ieiunio ex Regula obligante, etiam praedictos iuvenes obligari EE. quasi unanimiter docent contra Medina, cuius sententiam proba-

---

(1) Ob eamdem rationem peculiari indulto dispensante lege abstinentiae sabbatinae (quod in quibusdam regionibus habetur) frui non possunt Fratres Minores in Sabbatis tempore praescripti ex Regula ieiunii a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini.

(2) Cfr. dicti S. Officii Decreti 18 Nov. 1891 *Brevis explicatio* apud *Acta Ordinis* Anno XI (1892), ubi et docetur, Fratres Minores indultis de quibus in casu (si quae habentur) frui libere posse in illis feriis sextis [item et in sabbatis de quibus in nota proxime praec.], in quibus et omnes christifideles ex Ecclesiae lege ieiunio sunt obstricti.

(3) Cfr. *Acta Ordinis* Anno XI (1892) p. 34 coll. ibidem p. 38.

(4) Cfr. S. C. super Statu Regularium 6 Aug. 1858 (*Monumenta* pag. 88. C.).

(5) Cfr. S. Alphonsus lib. III n. 1036 in fine.

(6) Cfr. S. Alphonsus lib. III n. 1035 et 1036.

bilem dicit Diana (licet ipse oppositam teneat), at sexagenarios excusari contra plures alii plures saltem probabile iudicant (1). — Verum discriminis inter iuvenes et senes in casu ratio non videtur manifesta. Senum excusatio fundatur in statu corporis minus valido ratione naturae decrescentis, quae, sicuti in statu morbi, uberiore ac frequentiore cibo foveri debeat, ne tota simul deficiat: sed et iuvenes similiter versantur in statu corporis minus valido ratione naturae increscentis, quae sicuti in statu convalescentiae, uberiore ac frequentiore cibo foveri debeat, ne a normali corporis valetudine adipiscenda impediatur, praesertim (ut videtur) in statu religioso, cuius norma vivendi et officia iuvenis eisdem nondum assuefacti vires insumunt: quonam igitur iure, admissa probabilitate excusationis pro senibus, eadem probabilitas negatur pro iuvenibus? Accedit quod — ut recte notat Kazenberger (2) — « ieiunia in nostra Regula praescripta non sunt vota, sed praecepta, iuxta dicta, ad modum praeceptorum Ecclesiae obligantia », ex quo satis videtur (quod notandum etiam contra eos qui cum iuvenibus et senes non excusari docent) si eodem modo obligant. Nec in casu contra exemptionem vel excusationem recte arguitur ex eo quod profitens vovet « toto tempore vitae Regulam observare »; nam haec formula respicit observantiam Regulae in genere, non autem in individuo singulorum praeceptorum, proindeque nihil impedit in casu usum legitimae ex aetate (quatenus existit) excusationis (3).

Quibus disputatis pro praxi concluserim, a ieiuniis etiam Regulae (quantum ad praescriptum de unica refectione, non vero ad abstinentiam a cibis prohibitis) ex-

---

(1) Legesis Ballerini-Palmieri *Opus theol. morale* vol. II tract. VII Ed. 3 nn. 1139 et 1140.

(2) Cap. 3 quaest. 3 Infertur 9 cum pluribus aliis apud S. Alphonsum lib. III n. 1039.

(3) Cfr. S. Alphonsus lib. III n. 1039 coll. n. 1038; Cornelisse *Comp. Theol. moralis* tom. I n. 486.

cusari non solum senes sexagenarios, sed et iuvenes ante completum 21^m aetatis annum saltem dispensative ita scil. ut ex sola ratione naturae increscentis communiter (1) dispensari possint, quum experientia genus humanum, praesertim in iuvenili aetate, multum debilitatum demonstrat, et senes iam assuefacti vitae religiosae austeritatibus iisdem ferendis magis pares inveniantur quam iuvenes, qui ex vita saeculari molliore ad vitam religiosam severiorem nuper transiere. — Neque probaverim quae scribit Marchant (2): « Ex vi Regulae maior necessitas requiritur, ut quis ieiunare non teneatur, in ieiuniis Regulae quam in ieiuniis Ecclesiae »; quod enim ex Regula requiritur necessitas manifesta, non inde dicitur gravior, siquidem manifestatio rei pertinet ad cognitionem, non ad gravitatem. Porro « necessitas » ex Regula intelligitur accommoda, quae « manifesta » dicitur quando intelligenti vel discreto cuilibet et maxime Praelato dubia non existit (3). Hinc eaedem causae, quae ex DD. doctrina a ieiunio ecclesiastico excusant, ad excusandum etiam a ieiunio Regulae sufficiunt (4).

Nota. Inter ieiunia a Regularibus stricta obligatione observanda numerantur etiam ieiunia, quae in regione, provincia vel loco, in quo degunt per modum domicilii, inducta sunt per consuetudinem vere communem, i. e. non solum populo et clero, sed etiam ipsis Regularibus: solius autem populi et cleri moribus inducta consuetudo a Regularibus non recepta ipsos (secluso scandalo) non obligat. Ratio habetur ex eo quod consuetudo habet vim obligandi, at nonnisi in tantum in quantum est recepta a tali communitate: Regulares autem distinctam a populo et clero communitatem ex iure constituunt.

---

(1) Excepto forsan uno vel altero, de cuius statu corporis satis robusto ex certis signis constat.

(2) Cap. 3 tit. 3 quaest. 3 conclusio 1.

(3) Ita Hugo de Dina apud Kazenberger cap. 3 q. 3 Infertur 9.

(4) Ita Kerckhove (in expositione Regulae) cum communi, teste Kazenberger loc. cit. 2. Ratione infirmitatis (Ed. nova p. 81 in fine).

Verum non tenentur (secluso scandalo) servare Regulares *a*) ieiunia a populo, etiam approbante Episcopo, voto promissa, et ideo servari solita, nisi et ipsi Regulares communi consensu voverint aut consuetudinem ex populi voto ortam acceptarint; secus enim deest obligationis fundamentum, nec *b*) ieiunia ab Episcopo dioecesano sive per praeceptum sive per statutum indicta; Ordinariorum enim iurisdictioni non subsunt Regulares nisi in quibusdam casibus expresse exceptis, inter quos non numeratur casus de quo agitur: statutum autem Conc. Trid. Sess. 25 cap. 12 *De Regularibus* non est ad rem utpote quod expresse statuit de interdictis et diebus festis, hinc ad ieiunia non est extendendum (1).

4. Statuitur hoc art., non conscientiae, sed statuti obligatione **servandum in vigilia S. P. N. Francisci ieiunium cum abstinentia** a carnibus ubique locorum, et etiam a lacticiniis et ovis iuxta vigentem in variis regionibus ieiunantium communem morem.

198. Quadragesimam Epiphaniae, quae *Benedicta* dicitur, ieiunare cogatur nemo; laudabiliter vero volentibus ieiunare Superiores opportune provideant, et in fine quadragesimae benedictionem impertiantur, prouti in Rituali Ordinis continetur.

199. Invigilent Superiores locales ne a subditis frangatur ieiunium, ac proinde omnia ita provideant, ut illud servare valeant.

Agitur

1. **de quadragesima Epiphaniae**, quae Benedicta dicitur hanc ob causam, quod seraphicus Pater in Regula (2) specialem adprecatur benedictionem iis « qui voluntarie eam ieiunant » : porro huius benedictionis efficacia in hoc potissimum consistit, quod Fratribus volunta-

(1) Cfr. Kerckhove cap. 2 § 5 nn. 8-10.
(2) Cap. 3.

rie hanc quadragesimam ieiunantibus providebit necessaria corporis et animae, tam in particulari quam in communi, nec a participatione communis gratiae et protectionis per ieiunantes promeritae excludendi videntur, qui bonae voluntatis ex rationabili causa ieiunare non valent (1).

Ut autem haec quadragesima servetur iuxta mentem S. Patris, et exinde benedictio ab eodem adprecata plene obtineatur, stricte loquendo requiri videtur idem in ieiunando modus, qui in ieiuniis obligatoriis servandus praescribitur (2); ast secundum vigentem Ecclesiae in ieiunando disciplinam aliquantulum emollitam (cui concordat et Ordinis praxis), ex qua nempe ob mutatas temporum circumstantias in servando quadragesimali ieiunio communis dispensatio valde opportuna demonstratur, sufficere videtur, ut et haec quadragesima benedicta servetur cum dispensatione, quae pro quadragesima Adventus (uti dicitur) quotannis concedi est solita, praesertim considerata sententia Cordubae, qui scribit (3): « Notandum secundum Hugonem cap. 3, quod tale ieiunium Epiphaniae potest in carnibus fieri (modo dicatur proprie ieiunium, modo non, sed potius abstinentia), quia nullum in gratuitis bonum contemnendum est, et statutum generale est ad hoc ».

Quadragesima Epiphaniae est libertas Regulae; unde recte statuitur, ut eamdem «ieiunare cogatur nemo »: quod tamen non ita absolute intelligendum videtur, ut nulla omnino sit Praelatis dictam libertatem restringendi facultas. Licet enim Regulae libertates — ut docet Corduba (4) — concedantur generaliter Fratribus ita ut ex Regula easdem servare non teneantur, modificatio tamen pro quando et quomodo expediat talibus concessio-

---

(1) Cfr. Kerckhove cap. 2 § 5 n. 5.

(2) Cfr. Kerckhove cap. 1 § 5 n. 4.

(3) In cap. 3 Regulae qu. 1 in fine apud Kerckhove loc. proxime cit.

(4) In Regulae cap. 10 qu. 1 puncto 6, qui citat S. Bernardinum, et cui consentiunt Sanchez lib. VI in decal. cap. 3 n. 9 et Peyrinus tom. I qu. 1 cap. 3 § 6 et alii. Cfr. Kerckhove cap. 1 § 5 n. 6.

nibus uti vel non uti, regulariter pertinet ad Praelatos, etiam ex ipsa Regula, sicuti in aliis licitis per se non specialiter prohibitis; proinde libertates Regulae non possunt quidem a Praelatis generaliter imponi per modum stricti praecepti omnes et singulos in conscientia obligantis, imo nec generaliter et in toto quomodolibet impediri, ast earumdem usum ob rationabilem causam, praesertim communem, per restrictivam ordinationem simpliciter talem ex parte limitare prohibitum non videtur, et ut Fratres subditi huiusmodi ordinationem rationabiliter factam libertati concessae ex Regula religiose praeponant convenit omnino propter bonum obedientiae, pacem et uniformitatem in communitate. Hinc nihil obstare videtur, quominus in quadragesima Epiphaniae servetur existens, vel etiam consentiente Capitulo introducatur in provinciis usus, ex quo carnibus concessis (quasi ex dispensatione iuxta superius dicta) in prandio, in collatiuncula vespertina quoad qualitatem ciborum ieiunantibus se conforment omnes (saltem ubi ex consuetudine a ieiunio non excluduntur lacticinia), manente tamen semper omnibus qui voluerint plena libertate pluries sese reficiendi: ita siquidem amoventur multae deordinationes, praescripta uniformitas et in victu perfectior servatur, et benedictio a seraphico Patre adprecata ex servato hoc ieiunio saltem aliqualiter in communi plenior descendet et in omnes. Praeterea

2. inculcatur **in ieiuniis a Guardianis curandum,** ut ieiunantibus ita provideatur, quatenus ex oblato cibo minus solido aut non decenter vario mortificationi gravamen non superaddatur. — Specialiter notandum, huiusmodi curam, quoad ieiunium Epiphaniae, ex textu art. 198 intelligi opportunam, qua scil. ultra quam rationabiliter desiderari potest in procurando victu communi non graventur Guardiani. Hinc, ex dictis de modo debito servandi dictam quadragesimam, necesse non videtur, ut Guardianus ieiunare volentibus procuret comestionem principalem in piscibus, nisi forte in provincia laudabilis vi-

geat consuetudo in piscibus servandi et alias quadragesimas; irrationabiliter enim desideratur pro hoc ieiunio libero quod ne pro obligatorio quidem a Guardianis concedi oportet.

Nota. Ex Rituali Ordinis tit. 4 cap. 4, ritu ibidem praescripto, die 15 Febr. facta coenula gratiisque persolutis, datur benedictio post quadragesimam Epiphaniae.

§ VI.

De silentio.

200. Sacrum et regulare silentium in choro, ecclesia, sacristia, ambulacris et refectorio religiose servetur. Occurrente necessitate vel rationabili causa, loqui licet, breviter tamen et submissa voce.

Agitur hoc art. **de silentio regulari,** quod ceu medium devotionis nutriendae et disciplinae claustralis servandae efficacissimum a SS. Patribus et vitae religiosae magistris maxime commendatur (1). Porro statuitur ad normam iuris communis (2) servandum silentium non solum in choro, ecclesia, et sacristia (saltem tempore quo Missae celebrantur), necnon in refectorio seu tempore refectionis, (nisi dispensatum fuerit); praeterea in ambulacris aliisque conventus locis communibus, non excluso horto: in quibus etiam posterioribus locis servandum est s e m p e r, excepto solo tempore recreationi concesso (3), ita tamen ut et tempore silentii occurrente necessitate vel rationabili causa loqui liceat, at breviter non ultra quam occurrens causa postulat, et submissa voce, ne scil. silentii disciplina turbetur.

---

(1) Cfr. Van Loo *Stimulus seraphicae conversationis* p. 252 in fine et sqq.; Kerckhove cap. 4 § 1 n. 1; Sanctorus cap. 3 statutum 10.

(2) Cap. *Cum ad monasterium* 6 *De Statu monach.* (lib. III tit. 35).

(3) Cfr. art. 201.

201. Tempus, quo religiosum colloquium recreationis causa conceditur, ordinarie non excedat horam cum dimidio; cuius distributio fiat iuxta morem cuiusque provinciae.

Permittitur hoc art. **tempus religiosi colloquii recreationis causa concedendum** singulis diebus, sive post prandium sive post coenam iuxta provinciarum determinationem, ita tamen ut colloquii concessi tempus omne non excedat horam cum dimidio: quod intelligendum de tempore colloquii quotidiano seu ordinario, proinde nihil impedit, quominus hic et nunc occurrente causa extraordinaria maius colloquii tempus concedatur. — Tandem notandum, concesso colloquii tempore permitti quidem in omnibus communibus conventus locis non sacris simplicem locutionem, at non licere, ut et conversationes stricte dictae ubique ex consulto fiant (1).

202. Lectio ad prandium et coenam ubique habeatur, et nonnisi raro, scilicet diebus a Definitorio provinciali designatis, dispensetur; numquam vero pro toto refectionis tempore.

Statuitur hoc art. **lectio ad mensam communem ubique servanda**: quod exemplo SS. Patrum in omnibus bene reformatis Religionibus semper rigorose extitit observatum, ut Religiosi pascendo corpori ne toti sint attenti, sed dum corpus pascunt simul et animum spirituali cibo nutriant. Apud nos — teste Kerckhove (2) — mos inolevit tempore mensae aliquando concedendi Fratribus facultatem religiose colloquendi: qui mos hoc art. approbatur, ita tamen ut huiusmodi dispensatio, extra casum omnino extraordinarium, nonnisi diebus a Definitorio provinciali designatis concedatur, neque umquam ex toto intermit-

(1) Cfr. art. 203.
(2) Cap. 4 § 1 n. 3.

tatur lectio, sed ut cesset tantum postquam aliquamdiu duravit.

203. Superiores locales sedulo ac prudenti zelo invigilent ne in privatis Fratrum cellis conversationes fiant, sed assignetur locus quo Fratres tempore ad id determinato ad religiosam conversationem convenire valeant.

Agitur hoc art. **de conversationibus** stricte dictis, quae concesso colloquio religioso non ubique, sed determinato loco communiter habendae statuuntur provida ex ratione, ut communis charitatis vinculum inter Fratres firmetur, et particularibus amicitiis, vitae claustrali adeo inimicis, via praecludatur. Hinc etiam Superioribus iure optimo iniunguntur prudenti et vigilanti zelo **impediendae in privatis Fratrum cellis conversationes**, utpote quae praedictis amicitiis ineundis quasi proximam praebent occasionem.

204. Fratres sine legitima licentia non ingrediantur cellam alterius, exceptis cellis Superiorum, lectorum et magistrorum pro sibi commisis tantum.

Hoc art. statuitur omnino **vitandus**, absque debita Superioris licentia, **omnis in cellam alterius ingressus**, utpote ex quo plurima oriri nata sunt pericula: a qua lege excipiuntur cellae tum Superiorum quos in cella adeundi omnibus est facultas, tum etiam lectorum et magistrorum, quorum utrorumque cellas ingredi licet iis solis, qui edocendi vel dirigendi respective commissi ipsis sunt.

205. Saecularium vero, non mulierum tantum, sed etiam virorum conversationes, tamquam spiritui devotionis noxias, aversentur, et semper eam modestiam, quae sancti P. Francisci filiis congruit et ad pietatem fovendam apta sit, sollicite servent.

Quae hoc art. statuuntur **evitandae cum saecularibus conversationes,** intelliguntur non tam nimis liberae ac minus prudentes, quas aversandas ipsum periculum monet, quam potius inutiles ac nimis frequentes, utpote spiritui devotionis noxiae; nihil sane est quod a rebus divinis contemplandis sectandisque virum religiosum magis avocat quam saecularia negotia, quae ex huiusmodi conversationibus animum ingrediuntur ac ingressa occupant; quas proinde conversationes non solum ipsi Fratres prompti evitare, sed et Superiores omni sollicitudine impedire debent.

206. Superiores demum et magistri verbo et exemplo totis viribus curent ut subditi verba levia, nimis libera, aut etiam vel remote minus honesta studiose devitent, sicut pariter quodlibet verbum indecorum vel charitatis et urbanitatis normas offendens.

Inculcantur hoc art. a Superioribus et magistris sedula cura **impedienda etiam inter Fratres** verba et expressiones quae normas honestatis, decoris, urbanitatis vel charitatis laedunt.

§ VII.

De localis clausurae disciplina.

207. Cum localis clausura sit religiosae vitae praesidium et ornamentum, in eius custodiam omni solertia vigiles nos esse oportet. Propterea ubique ostiarii sint, in magnis conventibus duo, in reliquis unus, diligentia, urbanitate et morum integritate commendati. Hi ianuae, quae clausa semper esse debet, custodiendae assistant, pulsantibus praesto sint, et Fratrem qui requisitus fuerit, de licentia Superioris, vocent.

Inculcatur hoc art. **localis clausurae custodia**: ad huiusmodi autem custodiam spectat imprimis ex iure communi (1), ut loca clausurae claudantur et clausa semper serventur tali modo, quo liber, saltem saecularium, in eadem ingressus impediatur; deinde ex huius art. statuto, ut nullus Frater, etiam requisitus, ad adventantes vocetur, multo minus non vocatus accedat, nisi de expressa vel tacita Guardiani licentia.

1. **Localis clausura extenditur** (2) generatim ad totum illud spatium, quod ambitur et clauditur muris, parietibus seu septis monasterii. Hinc particulatim sub clausura comprehenduntur claustra (ambitus), cellae, officinae, refectorium, dormitorium, infirmaria, coquina, aliaque huiusmodi loca aedificii conventualis interiora, item viridaria seu horti et prata conventui contigua, et de cetero ab eodem non separata muro aliave sepe conveniente: praedicta loca pertinent ad clausuram ex ipsa iuris determinatione, proindeque Superiorum arbitrio a lege clausurae eximi non possunt; hinc dicuntur constituere clausuram necessariam, ut distinguatur a clausura arbitraria dicta, qua intelliguntur loca non ita interiora, ut de rigore iuris certo, i. e. absque fundato dubio, sub clausura esse censeri debeant, quae proinde Superiorum arbitrio a lege clausurae eximi aut sub eadem comprehendi possunt: ad quod notandum hac in re nomine Superiorum non intelligi locales, sed maiores, saltem Provinciales, qui tamen non ex solo arbitrio, sed iuxta laudabiles Ordinis vel provinciae consuetudines, attentis loci exigentiis et situs qualitate, clausurae terminos assignare debent (3). — **Non extenditur** clausura *a)* ad ecclesiam, scil. exteriorem, aliter enim est de oratoriis internis; nec *b)* ad chorum, quatenus est eiusdem ecclesiae

(1) Clementis VIII Decr. *Nullus omnino* 25 Iun. 1599 n. 18. *Monumenta* pag. 134.

(2) Cfr. Reiffenstuel lib. III tit. 35 nn. 26 et 27; Ferraris verb. *Conventus* art. 3 n. 9-15; Kerckhove cap. 4 § 5 nn. 9-12.

(3) Cfr. Piatus Montensis tom. I p. 345 qu. 3.

pars, et non potius ipsius conventus, utpote ex quo solo ad eumdem pateat accessus; nec etiam *c)* ad sacristiam, et quidem ex certa sententia, si ex sola ecclesia ad eamdem immediatus (i. e. non transeundo per partem claustri) patet accessus, imo etiam ex probabili plurium contra alios sententia, praxi fere ubique confirmata, si praeterquam ex ecclesia patet et alius accessus a claustro (1), nec tandem *d)* ad illas conventus partes quae extraneis utriusque sexus excipiendis reservantur et collocutoria vocantur, nec ad loca iis adnexa quae non habent cum habitatione Regularium liberam communicationem. Advertendum tamen loca praedicta censeri extra clausuram in odiosis tantum, non autem in favorabilibus, ita ut ad eadem adire etiam sine debita licentia licite possint Regulares, salvo tamen quoad loca sub *d)* statuto huius art. in fine.

2. **Legi clausurae subiiciuntur** Regularium conventus veri nominis, etiam parvi seu residentiae. Hinc eximuntur *a)* conventualia aedificia imperfecta, in quibus nondum vigeat rigor observantiae regularis, licet iam aliqui Religiosi illic commorentur ad constructionis opera

---

(1) Huc spectat S. C. Episc. et Regul. resolutio 1 Martii 1836 ad dubium ex parte Ordinis Capuccinorum propositum «circa sacristias ecclesiarum ipsius Ordinis, quae unum ostium in ecclesia et aliud habent in claustro, id est: An dictae sacristiae ut pars claustri reputari debeant necne? Ipsamet S. Congregatio morem approbavit constanter toto in Ordine isto observatum, videlicet: quod quotiescumque ad sacristiam aditus patet per duo ostia, quorum unum inducit in claustrum, aliud autem in ecclesiam, tunc sacristia in claustro comprehensa reputatur. Si vero sacristia a claustro sit penitus seiuncta, ita ut adiri non possit nisi per ecclesiam vel chorum, tunc non comprehenditur in claustro». Bull. Capuccin. tom. X p. 47 n. 2; cfr. Anal. Iur. Pontif. Serie XVII col. 86 n. 1562, ubi haec verba addita sunt: « S. eadem Congr. iussit P. V. scribere, ut totum hoc communicet P. Provinciali Oratoris, praecipiendo ut haec absolute observentur in omnibus aliis Ordinis conventibus ». — Ex qua resolutione licet forsan concludi possit severiorem sententiam tenendam, ubi ita habet mos vigens, nihil tamen exinde erui posse videtur contra sententiam et praxim mitiorem.

dirigenda et ad reliquorum habitationem aptandam: ad Superiorem spectat definire obligationis initium; *b)* granciae, hospitia, aliaque huiusmodi loca, quae a conventu distant: ex communiore tamen doctrina legi subsunt illa hospitia, in quibus aliqui Religiosi, saltem tres, permanenter degunt modo regulari et collegialiter ad instar aliorum conventuum, quamvis non habeant ecclesiam cum Eucharistia; *c)* villae ac domus rusticae, in quibus Religiosi hic et nunc ad tempus degunt recreationis vel villicationis gratia (1).

Nota. S. C. de Propag. Fide die 26 Aug. 1780 clausurae legi subiectas esse decrevit illas stationes seu domos Missionariorum regularium, in quibus duo vel tres Missionarii ritus latini stabiliter commorantur, ita ut nemini Regulari cuicumque omnino liceat ullam feminam intra privata huiusmodi domorum curricula, mansiones, recessus sub ullo praetextu introducere, multoque minus sacramentum Poenitentiae ibidem ipsis administrare. Admitti tamen possunt mulieres pro sacris functionibus in internis ecclesiis aut oratoriis publicis domorum praedictarum, ad quae tamen recto tramite accedant, et similiter inde recedant (2).

3. **Legis clausurae obiectum** ex iure communi est duplex prohibitio, ne scil. ipsi Regulares e conventu egrediantur absque Superioris licentia (3), et ne mulieres in eorum conventus ingrediantur vel admittentur (4); accedit ex harum Constitut. (5) statuto et iuris communis voto (6) tertia prohibitio, ne scil. saeculares viri ad partes conventus interiores promiscue admittantur.

---

(1) Cfr. Ferraris verb. *Conventus* art. 3 n. 8; Piatus tom. I qu. 376; Vermeersch tom. I n. 303, 1.

(2) *S. C. de Propag. Fide Collectan.* Ed. nova nn. 545 et 587.

(3) Cfr. harum Constitut. art. 209 et 210.

(4) Cfr. harum Constitut. art. 213.

(5) Art. 211 et 212.

(6) Cfr. Schema Constitut. de clausura Conc. Vatic. cap. 2 in fine, et inferius ad art. 211.

208. In singulis domibus locutorium, extra clausuram, ad conventus ianuam, ita constituatur, ut in eo conversantes facile videri possint, quin tamen audiantur; neque alibi saeculares a Fratribus ad colloquendum recipiantur. Superiores non permittant Religiosis frequenter, nec sine rationabili causa, multoque minus durante Officio divino vel alio communitatis actu, ad locutorium accedere.

Agitur hoc art. de **locutoriis**, quorum imprimis externa structura determinatur; deinde accessus ad eadem providis statutis limitatur.

209. Nemini, nisi de licentia Superioris singulis vicibus impetrata et causa probata ac benedictione accepta, e conventu egredi liceat. Superiores vero monemus ut non levibus de causis egrediendi licentiam concedant, et ut exeunti Fratri, quantum fieri poterit, socium adiungant, praesertim si accedat ad domos saecularium. Licentiae generales nemini concedantur.

210. Egressi ubi primum redierint, ad Superiorem, et reditus significandi et petendae benedictionis causa, accedant.

Quae his art. statuuntur.

1. **de egressu e conventu** recepta sunt ex Clementis VIII Decr. *Nullus* 25 Ian. 1599 (1). Pro quorum intellectu notandum *a)* requiri generatim loquendo licentiam specialem et expressam, utpote ex legis terminis « singulis vicibus et causa probata » impetrandam; hinc excluditur imprimis licentia generalis (quae et expressis legis verbis concedi prohibetur): intelligenda au-

(1) Cfr. *Monumenta* pag. 134 nn 19-21.

tem videtur generalis absolute, talis scil. qua et ipsa egressus causa arbitrio ipsius egressuri definienda relinquitur, non talis quae ex causa determinata (v. g. officii impositi Missam celebrandi vel confessiones audiendi) semel pro repetitis vicibus conceditur; excluditur etiam licentia praesumpta seu interpretativa, ni forte in casu qui moram non patitur, v. g. quando quis ad moribundum vocatur, vel ad vicinum incendium extinguendum et similia; *b)* exeundi causam iustam intelligi non solum monasterii vel proximi, sed et ipsius Religiosi egressuri necessitatem vel utilitatem, non exclusa rationabili recreatione, imo et aliam quamcumque causam iudicio Superioris rationabilem; quae si nulla existit, legem infringit ipse Superior exeundo et aliis exeundi licentiam concedendo, necnon et subditus licentia concessa scienter utendo; cit. enim Clementis VIII Decr. statuit absolute: « Nullus e conventu egredi audeat sine causa »; *c)* praescribi socium adiungendum ab ipso Superiore, proinde in eiusdem arbitrio est socium rogatum prudenter denegare: obligatio autem cum socio egrediendi intelligenda est « excepto casu necessitatis [utique accommodae seu rationabilis causae] Superioris localis iudicio comprobandae ». — « Provideant etiam Superiores, ne Religiosi in saecularium consuetudinem se insinuent: et tam in claustris quam extra ita conversatione, gestu, habitu et incessu se gerant, ut qui ex adverso sunt vereantur nihil habentes malum dicere de eis, et christifideles ab ipsis ubique aedificationem accipiant (1) ». — Ad haec notant DD., potestatem Superioribus regularibus iure antiquo (2) attributam, nec revocatam a Conc. Trident. (3), — qua scil. subditis facere poterant suis copiam per longum tempus, quasi per modum habitationis, iustis de causis (4) extra

(1) Schema *Constitut. de clausura* Conc. Vatic. cap. 2.

(2) Cap. *Ut periculosa* 2 *Ne clerici vel monachi* in 6 (lib. III tit. 24).

(3) Cap. 4 Sess. 25 *De Regularibus.*

(4) Peculiariter in iure attenditur causa studiorum, praedicationis, servitii aut Episcopo, aut Cardinali, aut Principi, aut universitati praestandi.

claustra manendi, — coërcitam esse per posteriora Decreta, ita ut « non nisi ex gravissima causa a Sede Apostolica probanda huiusmodi facultates concedi possint (1) ».

2. Hoc clausurae praescriptum servandi **obligatio** verius contra alios ex **genere suo gravis** (2) est, obligans scil. iuxta materiae capacitatem; agitur enim de lege Ecclesiae proprie dicta, quae per se obligat iuxta capacitatem materiae: hanc autem in casu ex genere suo gravem habendam demonstrat poena gravis contra transgressores statuta (3). — Porro hac in re materia levis est, si Religiosus diurno tempore hic et nunc sine licentia exit more solito paulo post rediturus, seclusis tamen speciali prohibitione sive Superioris sive provinciae vel Ordinis, et omni prava intentione; gravis autem habetur materia, si egressus sine licentia fit noctu moraliter accepto, de tempore scil. quo per se mirum sit saeculari Religiosum habere obvium, vel quo inter tenebras homines vel etiam Religiosi talis conventus communiter a diurnis laboribus quiescere et requiei nocturnae se dare solent, — aut etiam si huiusmodi egressus fit ad notabile tempus, ad quod intentionem pernoctandi extra conventum sufficere docent alii, dum alii requirunt intentionem permanendi extra conventum ultra duos vel tres dies, nisi tamen severius statuat lex propria Ordinis (4). — Praeterea facile graviter muneri suo deesse possunt Superiores, qui exeundi licentias sine iusta causa vel non adiuncto socio passim et indiscriminatim concedendo relaxandae disciplinae vel scandali occasionem praebent.

---

(1) Cit. Clementis VIII Decr. *Nullus. Monumenta* p. 135 n. 32; Lucidi *De visitatione* etc. vol. II cap. 4 nn. 12 et 13. Cfr. tamen art. 216.

(2) Cfr. S. Alphonsus lib. IV n. 37.

(3) Cfr. cit. Clementis VIII Decr. *Nullus. Monumenta* p. 134 n. 20.

(4) Cfr. Vermeersch tom. I n. 304, 2 ex Piato tom. I. qu. 380; Kerckhove cap. 5 § 2 n. 10.

211. Saeculares viri ad interiores officinas numquam admittantur, et ne quidem ad interiora claustri, nisi necessitas aut rationabilis convenientia, a Superiore praevie probanda, aliter fieri postulaverit.

212. Saeculares, etiam ecclesiastici, ad mensam non admittantur, excepto syndico apostolico. Ubi vero contrarius usus viget, Superiores pro viribus eum prudenter abrogare studeant.

Statuitur his art. prohibitio, **ne admittantur saeculares viri ad partes conventus interiores**, maxime ad officinas et ad communem mensam; quae prohibitio licet nondum sit ex formali iuris communis lege, eamdem tamen ad iuris mentem et ex huius voto latam demonstrat cit. *Schema Constitutionis de clausura* Conc. Vatic., in quo cap. 2 in fine haec leguntur: « Quapropter quominus saeculares absque iusta causa religiosas domos frequentent impediant [Superiores], ne singularis familiae tranquillitas et silentium turbetur, et spiritus observantiae, quo Ordinum regularium alumni animati esse debent, tepescat, paulatimque extinguatur »: quae neglectae huiusmodi prohibitionis pericula admonent impelluntque Superiores, ut in eiusdem observantiam sedula cura incumbant.

213. Quae Summi Pontifices de mulieribus in domos Regularium non admittendis pie prudenterque statuerunt, inviolate serventur etiam quoad puellas parvulas cuiuscumque aetatis. Qui contra fecerit, ultra poenas in Pontificiis Constitutionibus contentas, gravius etiam Superioris arbitrio puniatur. Gravi quoque poena a Ministro provinciali plectatur qui mulieres in hospitia nostra ingredi permiserit.

Inculcantur hoc art.

1. servandae **de mulieribus in domos Regularium non admittendis** Apostolicae Constitutiones atque sanctiones (1), ex quibus ita concludendum, « ut earumdem domorum, conventuum et monasteriorum septa et sacra claustra foeminae quaelibet cuiuscumque generis aut conditionis ingredi, aut in ea, etiamsi infantilis aetatis sint, recipi nullo modo possint sub censuris et poenis contra violantes clausuram inflictis, quovis hac de re ablato discrimine, an aliquo vel etiam nullo privilegiorum praetextu ingressus obtingat; ac non obstante quovis privilegio, et quacumque etiam longi temporis contraria consuetudine » (2).

2. Ab hac lege **excipiuntur** imprimis reginae (vel personae aequiparatae) cum decenti comitatu, quae quum speciali nota sint dignae et de iis nulla fiat mentio in Apostolicis Constitutionibus, a lege exemptae censentur; deinde etiam, iuxta Benedicti XIV Const. *Regularis disciplinae*, aliae quaedam nobiles feminae ibidem enumeratae ex obtentis tamen specialibus sive confirmationis sive concessionis apostolicis litteris et servatis conditionibus ibidem adiectis (3). — Num vero post Benedicti XIV Const. *Regularis disciplinae* excipiantur casus a S. Pio V Const. *Decet* expresse permissi (4), ex utraque parte de-

---

(1) Cap. *Pervenit* 20 caus. 18 quaest. 1, S. Pii V Const. *Decet Romanum Pontificem*, Gregorii XIII Const. *Ubi gratiae*, et praesertim Benedicti XIV Const. *Regularis disciplinae*, qua innovat omnes Summorum Pontificum Constitutiones, ac tollit facultatem dispensandi et privilegia iam concessa.

(2) Cit. *Schema Constitutionis de clausura* Conc. Vatic. cap. 1.

(3) Cfr. Ferraris verb. *Conventus* art. 3 n. 36.

(4) Nempe « quando in eis [locis clausurae subiectis] Missae et alia divina Officia celebrantur, ac dum processiones fiunt, et quando christifidelium cadavera ibi sepeliuntur, ac etiam pro iis suffragia fiunt... Similiter quando divinum verbum in claustris monasteriorum et regularium locorum proponitur, vel per aliam quamcumque causam tantus concursus populi fuerit, quod commode ingredi non possint et egredi per portam ecclesiae... ». Cfr. Kerckhove cap. 4 § 5 n. 18 sqq.

certant DD. (1); qua stante acri disputatione quidam ex recentioribus (2) affirmant hac in re hodie standum esse vigenti consuetudini uniuscuiusque loci particularis. « Nihilominus — ita Bucceroni (3) — S. R. C. 11 Iun. 1629 revocationem haberi affirmat per Breve Gregorii XIII *Ubi gratia.* Eademque S. C. 6 Iul. 1631 Decretum edidit universale, « quod mulieres de cetero non possint occasione quarumvis processionum ingredi septa monasteriorum regularium ». Et 24 Nov. 1635 id prohibuit, « non obstante quacumque contraria consuetudine ».

3. **Violatae legis poenae** sunt:

a) Excommunicatio Rom. Pontifici simpliciter reservata (4), quam incurrunt imprimis mulieres clausuram violantes, nempe ingrediendo complete, i. e. ita ut totum corpus intra clausuram collocetur, « quovis hac de re ablato discrimine, an aliquo vel etiam nullo privilegiorum praetextu ingressus obtingat (5) »; quae mulieres intelliguntur non solum usum rationis habentes (uti per se patet), sed insuper puberes seu adultae, impuberes enim poena arbitraria ab Episcopo sunt puniendae (6). — Deinde praefatam excommunicationem incurrunt Superiores aliive scil. Regulares (non personae saeculares, etiam servitio monasterii addicti) (7) mulieres in clausuram admittentes: admittentium autem nomine « veniunt —

---

(1) Cfr. Avanzini-Pennacchi in Const. *Apostolicae Sedis* Ed. 2ª tom. I p. 797 sqq. pro affirmante; *Nouv. Revue théol.* tom. IX p. 256 sqq. XVII et XVIII et tom. XIV p. 400 sqq. pro negante.

(2) Cfr. Varceno *Theol. moralis* tom. II n. 468.

(3) Comment. in Const. *Apostolicae Sedis* Ed. 5ª pag. 143 n. 56.

(4) Const. *Apostolicae Sedis* tit. II n. 7.

(5) Cit. superius sub hoc art. *Schema Conc. Vatic.*

(6) Cfr. S. C. Episc. et Regul. 1 Iun. 1685 apud Avanzini-Pennacchi loc. cit. p. 777.

(7) Cfr. Avanzini-Pennacchi loc. cit. p. 790 col. 2 alinea *Certum est;* imo Vermeersch loc. cit. n. 370, excipit etiam Religiosos non stricte tales; at Bucceroni (Comment. in Const. *Apostolicae Sedis*) interpretatur, ut intelligantur « ii qui domi sunt et domus sunt ».

ita Ferraris (1) — omnes Religiosi active influentes in talem ingressum mulierum, ut sunt invitantes, consulentes, hortantes, approbantes (2), monstrantes iter (3), auferentes impedimenta, ianuam aperientes, eas recipientes, concedentes et auctoritative, sive ratione sui officii permittentes, ut intrent », non autem qui mere in causa sunt, cur mulier iam ingressa diutius intra claustra detineatur (4). Num vero excommunicationem incurrant admittentes puellas **septennio minores**, lis est inter DD. (5): iuris saltem menti conformior videtur plurium sententia affirmans ex superius cit. textu Schematis Conc. Vatic.; negantis tamen sententiae ex DD. auctoritate probabilitas negari posse non videtur; hinc stante dubio in praxi ab incurrenda excommunicatione eximendus videtur admittens in casu.

b) Privatio dignitatum, beneficiorum et officiorum ac inhabilitas ad illa et alia in posterum obtinenda, ipso facto incurrenda a dictis admittentibus (6); quae poena ex veriore plurium (contra alios) sententia etiamnum vigere dicenda est (7).

c) Ex huius art. statuto poena arbitraria ex gravioribus inter paternas in Ordine usitatis (8) infligenda a

---

(1) Verb. *Conventus* art. 3 n. 30.

(2) Intellige ad clausurae ianuam; admissio enim stricte dicta requirit (extra casum auctoritativae iussionis vel permissionis) praesentiam admittentium; hinc admittentium nomine non veniunt invitantes etc. mulieribus consistentibus non ad clausurae ianuam, sed alio in loco, modo tamen postea nullam ad ipsum ingressus actum opem praebeant. Cfr. Avanzini-Pennachi loc. cit. p. 790 col. 1 in fine.

(3) Nempe practice seu in ipso actu ingressus, non qui alio tempore modum ingrediendi tantum theoretice (ut ita dicam) docent; ratio habetur ex dictis in nota praec.

(4) Cfr. Avanzini-Pennacchi loc. cit. p. 791 col. 2 in fine contra Ferraris loc. cit. n. 31.

(5) Cfr. Piatus tom. I qu. 388, 30.

(6) Gregorii XIII Const. *Ubi gratiae.*

(7) Avanzini-Pennacchi loc. cit. tom. I pag. 802 col. 2.

(8) Cfr. art. 353.

competente Superiore, etiam in eum, qui mulieres in hospitia (1) nostra ingredi permiserit.

4. **Legis clausurae cessatio** pro conventu in particulari fit *a)* materiali eiusdem eversione, qua perit conventus, donec restituatur; *b)* penitus dissoluta communitate: quod si legitimo factum sit modo, res non ambigitur; perinde tamen dicendum videtur, hoc saltem sensu ut clausura sit veluti suspensa, si iniqua vi coacti in tempus non definitum abierint Religiosi omnes, per unum enim vel alterum Religiosorum, qui exclusis extraneis domum insidere pergant (2), clausuram bene retineri posse confirmatur ex superius (3) dato Decreto S. C. de Propag. Fide de clausura servanda in domibus Missionariorum. Si vero, servato iure in totum, pars antiquae domus recuperata fuerit, dummodo eadem satis a reliquis aedibus separari valeat, redibit quoad hanc partem lex clausurae. Ratio in his omnibus habetur ex eo, quod clausura afficit conventum quatenus sedes est religiosae communitatis (4).

§ VIII.

De itinerantibus.

214. Superiores ab inutilibus evagationibus et ipsi abstineant, et Fratres coercere teneantur. Licentias itinerandi, etsi sub praetextu peregrinationis petantur, parce tantum et nonnisi legitima sub-

---

(1) Cfr. art. 314.

(2) Intellige tamquam Religiosi nomine Ordinis retinentis ius in conventum; qui enim in conventibus a Gubernio occupatis residere permittuntur pauci, non ut Religiosi, sed potius ut rectores ecclesiae, ad clausuram servandam stricte obligati non videntur. Cfr. Avanzini-Pennacchi loc. cit. tom. I p. 802 col. 1.

(3) In commentario ad art. 207, 2 Nota.

(4) Cfr. Vermeersch tom. I n. 309.

sistente causa concedant. Ad invisendos vero parentes nonnisi raro, gravi de causa, et pro paucis diebus facultatem Fratribus faciant.

Statuuntur hoc art. **evitandae** tum a Superioribus tum a Fratribus **evagationes inutiles**, dignoscendae ex deficiente rationabili causa proportionata, vel ex iusto maiore, consideratis circumstantiis, frequentia; quae evagationes intelliguntur non solum itinera in loca longinqua intra et extra provinciam, sed etiam excursationes in loca habitationis et vicinias. Huiusmodi cautio lata est ex provida omnino ratione, siquidem ex inutili evagatione oriri natum est ipsorum Fratrum damnum spirituale, saecularium scandalum et disciplinae regularis dissolutio. Re etenim vera quantum Religiosorum bonos mores corrumpere, fervorem extinguere, devotionem minuere soleat nimia et superflua, prorsus impertinens et vana extra monasteria vagatio, et per vicos et plateas civitatum et oppidorum inquieta circuitio, docent unanimiter SS. Patres, docet et experientia. — Praeterea nihil est quod Religiosos magis invisos magisque contemptibiles reddit, quam vaga et incauta eorum deambulatio inter saeculares, qui ex eo quod Religiosos passim extra monasterium cernunt eosdem mundo nondum mortuos sed viventes concludunt, sicque facile aspernantur quos solo habitu e se dissitos conspiciunt (1). — Quod tandem spectat periculum Ordinis timendum, sufficiat adduxisse auctoritatem seraphici Doctoris divi Bonaventurae scribentis (2): « Perquirenti mihi causas, cur splendor nostri Ordinis quodam modo obfuscatur, Ordo exterius conficitur, et nitor conscientiarum interius defoedatur; [inter alia ibid. exposita] occurrit evagatio plurimorum, qui propter solatium suorum corporum,

---

(1) Cfr. Kerckhove cap. 5 § 2 n. 1 sqq.

(2) In epistola officiali, post suam in Ministrum generalem electionem, data ad omnes Ministros provinciales et Custodes Ordinis. Cfr. eiusdem *Opera omnia* tom. VIII p. 468, 2.

gravando eos, per quos transeunt, non exempla post se relinquunt vitae, sed scandala potius animarum ». Probandum utique quod scribit S. Basilius (1): « Neque vero tamen propterea est tamquam in custodia permanendum: sed quandocumque et res poscit, et conscientia non reprehendit, libere est fidenterque prodeundum »: ast inutiles vagationes nec res poscit unquam, nec conscientia, si recta est, umquam Religioso approbare potest.

215. Ministri provinciales, sine Ministri generalis licentia, nequeunt ire aut Fratres suos mittere ad alias provincias, extra casus omnino necessarios, et nonnisi ad loca proximiora provinciarum contiguarum. Illi qui ultra mensem in aliena provincia manere debent certiorem faciant eius Ministrum.

Ministri provincialis facultas licentiandi Fratres licet per se intra limites provinciae restringi non videatur, tamen, ut quis extra provinciam mitti legitime possit, ex huius art. praescripto requiritur aut licentia Ministri generalis, aut casus qui ex ratione occurrente merito inevitabilis iudicetur, exclusa proinde omnino merae recreationis causa; neque tunc mitti potest nisi ad loca provinciarum contiguarum, quarum scil. limites tangunt limites provinciae ex qua fit missio, et quidem ad harum provinciarum sola loca proxima morali sensu accepta seu non admodum remota. Nec ipsi Ministri provinciales ad alias provincias transire licite possunt nisi servatis praedictis conditionibus. — Quod praescriptum opportune latum probat efficacius, quod praebet, remedium adversus itinera longinqua, ex quibus, praeter gravia mala (2), efficiuntur magnae expensae, non sine altissimae paupertatis laedendae periculo, obtinendae et faciendae.

---

(1) Apud Kerckhove cap. 5 § 2 n. 6.

(2) Cfr. comment. in art. 214.

Huius art. statutum: « *Illi qui ultra mensem... eius Ministrum* » hoc interpretandum videtur sensu, ut qui in alienam provinciam transeunt cum intentione vel saltem cum verisimili praevisione ibidem manendi ultra mensem (moraliter accipiendum), certiorem faciant eiusdem provinciae Ministrum statim post adventum, secus statim a die quo adest praedicta intentio vel praevisio, ac insuper huic communicationi addant, quantum temporis eorumdem commoratio sit duratura.

216. Ministri provinciales ad summum per duos menses, intra limites praecedenti numero determinatos, et quidem ex gravi causa, possunt licentiam morandi extra claustra suis subditis concedere. Quam licentiam Minister generalis concedere nequit ultra sex menses, absque speciali S. Sedis facultate.

Agitur hoc art. **de licentia morandi extra claustra,** i. e. extra Ordinis loca ad normam canonicam legitime constituta. Quam licentiam Superior provincialis, ex provido huius art. statuto ad mentem Clementis VIII Const. *Nullus* (1), concedere non potest, nisi intra limites praecedente art. determinatos, et quidem ex gravi causa, ac ad summum per duos menses. Minister vero generalis praedictam licentiam concedere nequit ultra sex menses, nisi obtinuerit specialem S. Sedis facultatem.

217. Quoties Praelati itinerandi licentiam concedunt, in ipsis obedientialibus litteris tempus quoque praefiniant.

218. Qui obedientiales litteras a Ministro generali accepit, iis ordinarie uti nequit, nisi prius easdem Ministro proviciali exhibuerit, vel saltem

(1) Cfr. *Monumenta* pag. 135 n. 32; Piatus tom. I qu. 382.

per litteras eum certiorem fecerit. Similiter qui a Ministro provinciali licentiam accepit, eam prius Guardiano suo manifestare debet.

219. Licentiae intra duos menses a receptione executioni mandari debent; hoc termino elapso, nullae sint, nisi in eis tempus executionis praestituatur.

220. Cum primum quis ad civitatem aut locum accesserit in quo conventus noster est, nisi aliter ipsi permissum fuerit, recta ad illum pergat, Superiori debitam obedientiam praestet et obedientiales litteras ostendat. Sine eiusdem Superioris licentia, nonnisi ex causa rationabili concedenda, neque e conventu egredi, neque ad saecularium domus ire, et multo minus ibi comedere aut pernoctare possit.

221. Si autem Superior localis compererit aliquem Fratrem in tali loco morari vel per vicinia vagari, eum ad se advocet et in conventu retineat, ac statim Ministrum provicialem de hoc certiorem faciat, a quo ad proprium conventum dictus Frater illico redire iubebitur sub poenis contra apostatas latis.

222. Qui sine necessitate iverit ad alium locum, vel in itinere extra viam, ultra impetratam licentiam, vel excesserit tempus sibi concessum, vel iverit sine socio sibi assignato, pro modo culpae puniatur.

Feruntur hisce art. varia praescripta **de modo licentiandi Fratres utendique licentiis concessis.** Sunt autem:

a) Ut itinerandi licentiae, generatim loquendo, nonnisi scripto concedantur, prout in hisce praescriptis

manifesto supponitur, praesertim si iter fiat extra provinciam, saltem ad loca eidem non vicina, in iisdem praefiniendo non solum itineris tempus (art. 217), sed et ex sensu implicito art. 222, quatenus pro circumstantiis opportunum visum fuerit, loca (etiam in itinere) commorationis, necnon itineris viam, quo scil. efficacius praecaveantur vagationes inutiles.

b) Ut licentiae concessae a Superiore maiore exhibeantur Superiori minori vel saltem cum eo communicentur ex art. 218; quod nisi factum sit licentia concessa nondum est completa, proindeque eiusdem usus est peccaminosus contra legem clausurae graviter vel leviter iuxta materiae capacitatem (1).

c) Ut licentiae sub poena nullitatis intra duos menses a receptione executioni mandentur (art. 219), nisi forte posterius executionis tempus expresse concedatur.

d) Ut in locis commorationis, in quibus est Ordinis conventus, non nisi ex licentia expressa alio devertant Fratres quam in conventum, eiusque Superiori debitam iuxta statuta in art. 220 praestent obedientiam. Frater contrafaciens est coërcendus iuxta praescriptum art. 221.

223. Omnes iter facientes meminerint salutaris moniti in S. Regula nostra eis traditi. Modeste igitur ac religiose semper et ubique incedant, manibus religioso more compositis, incessu gravi, vultu demisso, oculis non vagis, ita ut populo aedificationi sint, et quam gerunt religiosam dignitatem ostendant; ac orationi mentali aliisque pietatis exercitiis opportunis temporibus vacent.

Inculcatur hoc art. secundum Regulae (2) monitum **servanda inter saeculares modestia religiosa**, qua scil. Fratres vitam moresque suos omnes ita componant, « ut

(1) Cfr. comment. in art. 209 et 210.
(2) Cap. 3.

— monente Conc. Trid. — habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum prae se ferant: levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem (1) ». Hanc ergo virtutem in filiis suis requirit seraphicus Pater, ut exemplari sua vita, quasi fragrantissimo odore, omnes ad pietatem et Dei cultum attrahant.

Quapropter ad praecavenda scandala et obloquia Superiores praesertim locales sedulo invigilent in subditorum cum saecularibus conversationem, ea tamen charitativa prudentia, ut nemo inani vel iniusta gravetur suspicione, exindeque intolerabilem suspecti nominis contumeliam immerito sustineri debeat; quos incaute vel minus religiose agere ex verisimilibus indiciis deprehenderit Superior, illico moneat, non tamen nisi post monitionem recidivis communis confidentiae signa subtrahat; experientia enim docuit hisce signis prudenter continuatis incautos non raro tam efficaciter moveri, ut conversatione vere religiosa prioris suspicionis notam eluant (2).

224. Quum assistere mundanis spectaculis statui religioso inconveniens sit et scandalum facile pariat, omnibus Fratribus accessus ad profanas repraesentationes et concursus clamorosos cuiuscumque generis prohibetur.

Hoc art. **prohibetur accessus ad spectacula**: quae prohibitio intelligenda imprimis de scenicis spectaculis publicis, quibus interesse communiter pro gravi scandalo habetur et gravi indecentia statui clericali illata (3), imo generatim de aliis mundanis spectaculis

(1) Sess. 22 cap. 1 *De reform.*, quae ad clericos saeculares dicta a fortiori Religiosos omnes spectare nemo est qui ambigat.

(2) Cfr. Kerckhove cap. 5 § 1 nn. 2, 9, 13; *Speculum disciplinae* part. 1 cap. 18 et 30.

(3) Cfr. Lehmkuhl *Theol. moralis* Ed. 11 tom. II n. 778.

quibuscumque, uti v. g. sunt cursus equorum, extraordinarii conventus musici etc., ad quae assistere statui religioso, ex instituto a mundo segregato, minime est consentaneum. — Ad privata vero spectacula honesta, praesertim quae fiunt in scholis aliisve huiusmodi Institutis, haec prohibitio extendi non videtur.

225. Recordentur praeterea omnes Constitutionis Apostolicae, qua cavetur ne Fratres sine licentia Ministri generalis Romam petant. Qui sine legitima facultate Romam venerint, poenas in apostatas decretas incurrunt; tunc iniuncta poena emendati et ab apostasia absoluti ad provinciam suam remittantur. Excipiuntur tantum qui, praemonito Ministro generali, ex causa communi et urgenti totius provinciae, a Ministro provinciali cum suo Definitorio Romam mittuntur.

Traditur hoc art.

1. **prohibitio apostolica de itinere Romano,** nisi impetrata licentia in scriptis a Generali dumtaxat (1), vel etiam, ex causa communi totius provinciae dumtaxat ac insuper ita urgente ut desit tempus impetrandi praedictam licentiam, a Provinciali (2), coniunctim — ex huius art. statuto — cum suo Definitorio ac praemonito Ministro generali.

2. **Prohibitionis sanctio poenalis** ex iure communi (3) est vocis activae et passivae per biennium privatio Rom. Pontifici reservata, ac insuper ex huius art. statuto praeter poenam arbitrariam poenae in apostatas decretae (4).

---

(1) Clementis VIII Decr. *Nullus* n. 22 *Monumenta* p. 134. Cfr. tamen *Monumenta* pag. 181, I°.

(2) Clementis VIII Decr. *Decretum illud* 10 Mart. 1601. *Monumenta* pag. 137.

(3) Cit. Clementis VIII Decr. *Nullus* n. 23 col. eiusdem Decr. *Decretum illud.*

(4) Cfr. art. art. 124.

§ IX.

De non equitando.

226. Nemo, sine manifesta necessitate vel infirmitate et sine expressa licentia sui Superioris, equitare audeat.

Proponitur hoc art. cap. 3 Regulae **prohibitio equitandi.** Porro equitare ex vi verbi non solum significat equo insidendo iter facere seu equo vehi, sed etiam (licet minus proprie) equitare dicitur qui cuivis iumento insidens iter facit; hinc concludendum ex Regulae littera in rigore prohiberi tantum, ne Fratres equo vel alio iumento insidentes iter faciant, ita tamen ut littera legis equum vetat proprius ideoque gravius, alia vero iumenta minus graviter (1): hoc ergo est directum et principale huius prohibitionis obiectum.

Quod vero spectat illud vectionis genus, quod dicitur bigatio vel quadrigatio expositores dissentiunt. Praeplacet sententia Marchantii, qui docet (2), « bigationem non vetari in rigore verbi *equitare*, sed aliunde, traditione, exemplo Patrum, paupertatis usu, regulari humilitate etc. Unde theologice et realiter loquendo licitum vel illicitum, peccatum et non peccatum in bigando ad limam dictorum titulorum expendenda sunt »...

A prohibitione equitandi excusat manifestae necessitatis casus qui haberi potest *a*) ratione itineris ex necessitate suscipiendi, quod sive ex longitudine sive ex via impedita (propter aquas, nives, lutum etc.) sine

---

(1) Cfr. Marchant cap. 3 ad textum *de equitatione* qu. 1; Kerckhove cap. 5. § 7 nn. 1-3; Kazenberger cap. 3 qu. 4 *Infertur* 1 et 2.

(2) Cap. 3 ad textum *de equitatione* qu. 2 *Appendix* in Ed. 2. Cfr. opusculum *De vi verborum* "*Fratres non debeant equitare*", extractum ex *Acta Ordinis Minorum* Anno XXXIII (1914).

gravi incommodo vel periculo probabili a pedestri perfici nequit; *b*) ratione negotii necessario peragendi ita urgentis, ut quis pedester loco debito opportuno tempore adesse non possit, aut non nisi cum gravi incommodo vel probabili incertitudine; *c*) ratione infirmitatis, quando scil, quis senex vel aegrotans vel debilis ex necessitate facere debet iter, quod sine magna difficultate vel salutis periculo a pedestri perfici non potest; imo docet Corduba (1) in casu infirmitatis sufficere, etiam sine alia itinerandi necessitate, solam causam aëris mutationis vel recreationis quae conducere possit ad convalescendum vel ad infirmi levamen. Praeterea quod ad licitam equitationem requiritur Superioris licentia, non est vi Regulae sed ex provido huius art. statuto, ut scil. abusus praecaveantur; quae licentia expressa sit oportet, nisi forte in casu particulari commode haberi non possit.

227. Itineratio in via ferrea licita est ex rationabili causa, et de Superioris licentia, ac salvo semper quoad locum spiritu humilitatis.

Quae hoc art. statuuntur **de itineratione in via ferrea** recepta sunt ex S. C. Episc. et Regul. Declaratione 19 Iun. 1863 (2). Quum in Ordine orta esset quaestio de liceitate vectionis in via ferrea, res delata est ad praefatam S. Congregationem, proposito dubio: « Utrum iter factum in vapore terrestri per se opponatur puritati Regulae Fratrum Minorum, vel saltem generalibus MM. Observantium Statutis ». Eadem S. C., post votum exquisitum tum a P. Ministro genli nostro quum a P. Ministro genli PP. Capuccinorum uti eiusdem S. C. Consultore (3) re mature disceptata (4), proposito dubio reformato prout se-

(1) Apud Kerckhove cap. 5 § 7 n. 10.

(2) Cfr. Bizzarri *Collectan.* Ed. nova pag. 689 in fine et sqq.; *Acta Ordinis* Anno I (1882) p. 163 sqq.

(3) Quod utrumque votum legitur apud Bizzarri loc. cit.

(4) Cfr. Bizzarri loc. cit.

quitur: « Se, e come l'uso de' trasporti a vapore per terra sia permesso ai Frati Minori Osservanti nel caso (1) »? rescripsit: « Affirmative ex rationabili causa de licentia Superiorum prout in usu rhedarum, salvo quoad locum spiritu humilitatis ». Cuius responsi varia habetur interpretatio, dum itinerationem in via ferrea vi Regulae licitam (2) esse ex eodem concludunt alii, alii vero illicitam (3). Equidem utramque conclusionem valde dubiam putaverim, dum praefati responsi intentum practicum potius quam theoreticum crediderim, ut sensus sit q. d.: Seposita quaestione quid hac in re statuendum considerata sola Regula, quoad praxim permissus est usus currus vaporiferi, dummodo fiat ex rationabili causa etc. Quae interpretatio mihi persuadetur ex dato utriusque P. Ministri generalis voto, quod utrumque manifeste in primis postulat solutionem, qua practica ex permisso dictae vectionis usu libero oriunda incommoda et pericula praecaveantur; praesertim vero ex eo quod dubium ab oratore propositum (in quo quaestio theoretica expresse ponitur) reformatum fuit ab ipsa S. C. in dubium, quod in suis terminis magis praxim respicit.

In eumdem igitur sensum interpretandum videtur huius art. statutum, ut videlicet itineratio in via ferrea, stante dubio de eiusdem liceitate vi Regulae, in praxi licita declaretur, dummodo fiat *a*) ex rationabili causa, ne scil. in itineratione nimis indulgendo effeminatae commoditati laedatur status pauperis austeritas quam Regula intendit, neve alia sequantur incommoda; *b*) de Superioris licentia, ut scil. abusuum occasio removeatur; *c*) ac salvo semper quoad locum spiritu humilitatis conformiter ad intentum Regulae in

(1) Latine: « An et quomodo usus vectionis per vaporem in terra permissus sit Fratribus Minoribus Observantibus in casu »?

(2) Cfr. Gabriel-Angelo da Vicenza loc. cit. p. 75; Kazenberger (Ed. novissima ex typographia Portiunculae) p. 87 in nota (1).

(3) Inter quos Hilarius Parisiensis.

definienda itinerationis forma, ut scil. in eligendo loco generatim loquendo non divitum sed pauperum mos teneatur, servata tamen semper religiosae honestatis urbanitatisque exigentia aliisque consideratis circumstantiis. — Quae conditiones ex praefata S. Congregationis Declaratione, requiri videntur etiam pro legitimo usu rhedarum. Caveant proinde Superiores, ne indiscriminatim omnibus petentibus, nullo praehabito examine, nulla cogente causa, nulla consideratione facta, usum viae ferreae vel rhedarum, etiam publicarum, concedant; caveant subditi, ne constituti in itinere, nulla occurrente causa rationabili, ex mera commoditate, vel levitate, vel curiositate pro usu viae ferreae vel rhedarum licentias passim praesumant.

228. Si vero propter vectionem expensae fieri debent, serventur cautelae, ad normam Regulae nostrae, pro recursu ad pecuniam requisitae.

Prohibetur hoc art., **ne propter vectionem expensae fiant,** nisi servatis cautelis, quae in expensis pecuniariis faciendis vel procurandis ad normam Regulae requiruntur.

CAPUT IV.

§ I.

De interdicto pecuniae.

229. Ne Fratres per se vel per interpositam personam denarios vel pecuniae recipiant, Religionis nostrae specialissimum est praeceptum. Aliarum enim necessariarum rerum non utique dominium, sed tamen usum possumus habere: denariorum vero nec dominium nec usum; ac proinde quaevis pecuniae vel denariorum contrectatio, quae non

sit pure naturalis, seu quae sit quovis modo politica, cuiuscumque sint denarii vel pecunia, nobis est penitus interdicta.

Inculcatur hoc art.

1. Regulae (1) praeceptum **de non recipiendis denariis vel pecunia.** In quo praecepto ex veriore (uti videtur) plurium, contra complures alios (2), sententia denarii et pecunia sunt synonima et pro eodem accipiuntur: quod concordat cum Nicolai III et Clementis V Declarationibus, in quibus (uti legenti patebit) denarii et pecunia simul confunduntur, imo et solum nomen pecuniae adhibetur ad significandos etiam denarios; qua in sententia nomine denariorum et pecuniae intelligitur moneta, sive metallica sive chartacea, publica auctoritate instituta ad pretium rerum emendarum, seu quatenus est formale instrumentum contractus emptionis-venditionis (3).

Cuius **praecepti finis** ex mente seraphici Patris is fuisse videtur, ut ab Ordine excludatur facillimum, quod habetur ex usu pecuniae, medium ad providendum occurrentibus necessitatibus: quod tamen non ita intelligendum, ut praedictum provisionis medium omni modo exclusum voluerit S. Pater, patebit ex comment. ad art. 233.

2. **Circa pecuniam** praedicto sensu intellectam **prohibetur** non solum dominium alteriusque iuris politici exercitium, sed et simplex usus facti (4), ita ut

---

(1) Cap. 4.

(2) Inter quos Gabriel-Angelo da Vicenza cap. 4 § 1 p. 82 et 83.

(3) Kazenberger cap. 4 quaest. 1 *Notandum;* Marchant cap. 4 ad textum 1 tit. 1 qu. 1.

(4) Interdictus circa pecuniam simplex usus facti est proprium obiectum huius praecepti quatenus specifice distinguitur a voto, quo circa quamcumque rem temporalem, proinde et circa pecuniam, prohibentur omnes actus qui dominium alteriusve iuris politici exercitium includunt. — Huiusmodi actus sunt: « Praecipere, quod et qualiter pecunia expendatur, computumque exigere de expensa, eam quomodocumque repetere sive deponere aut deponi facere, — capsulam pecuniae vel eius clavem deferre ». (Clementis V Declar. art. 7 n. 4). Similiter (uti docent EE.) pe-

— declarante Innocentio XI (1) — nobis sit interdicta « quaevis pecuniae seu denariorum contrectatio, quae non sit pure naturalis, seu quae sit quovis modo politica, cuiuscumque sint denarii seu pecunia ». — Porro pecuniae contrectatio, i. e. actio circa pecuniam, dicitur pure naturalis seu materialis, quando exercita circa pecuniam actio ex sese seu ex fine operis respicit eamdem secundum naturam suam physicam, quatenus nempe est materia aurea, argentea etc., aut quatenus in genere est res ad proximum omnimode spectans (2). Huiusmodi contrectationem pecuniae in Regula non prohiberi, unanimis est EE. sententia, confirmata per cit. Innocentii XI Declarationem. At recte notat Kazenberger (3) a pecuniae contrectatione etiam pure naturali abstinendum, in quantum fieri potest, secundum spiritum S. P. Francisci, qui Fratres suos ab omni contrectatione pecuniae, etiam materiali, voluit elongatos (4); cavendum quoque in hac contrectatione a scandalo pusillorum, qui omnem pecuniae attactum et contrectationem putant Fratribus penitus interdictam. Multo magis autem cavendum a pharisaeismo illorum,

---

cuniam apud se civiliter deponi permittere, ita ut de ea ratio reddi debeat, — pecuniam mutuum dare vel accipere, ex ea cambium facere, ad lucrum et interesse dare, — iuridicas quitantias dare, — accipere cambiales sub proprio nomine litteras, quibus demandatur pecunia numeranda.

(1) Const. *Sollicitudo.*

(2) Exempla contractionis pure naturalis sunt: Pecuniam tangere mere per curiositatem, vel eam de terra sublevare, ut reddatur domino ex cuius manibus decidit, — recipere denarios aureos vel argenteos ut ex eorumdem materia aliquod vas sacrum conficiatur vel deauretur etc., — recipere pecuniam in simplicem custodiam naturalem. Cfr. Kazenberger cap. 4 qu. 1 *Infertur* 3; Marchant. cap. 4 ad textum 1 tit. 1 qu. 2. *Exceptiones ab hoc praecepto;* Kerckhove cap. 3 § 2 n. 22. — De translatione pecuniae aliisque quaestionibus peculiaribus dicetur inferius ad hunc art.

(3) Loc. cit. in fine cum Marchant loc. cit. in fine et Kerckhove loc. cit. n. 23.

(4) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 2 n. 6.

qui totam suam religionem ponunt in non tangendis manu pecuniis, quas nihilominus aliunde moraliter contra Regulae praeceptum accipiunt. — Pecuniae contrectatio dicitur politica seu civilis, quando actio circa pecuniam exercita ex sese seu ex fine operis respicit eamdem secundum naturam suam socialem, quatenus nempe est mensura a publica auctoritate instituta pretii rerum. Huiusmodi politica pecuniae contrectatio, ex unanimi EE. sententia confirmata per cit. Innocentii XI Declarationem vi Regulae omnino est prohibita, idque sive fiat per se i. e. immediate et in propria persona, sive per interpositam personam i. e. per alium suo nomine vel sua auctoritate, sive in propriam vel conventus, sive in alterius utilitatem, sive formaliter i. e. quatenus ipse est pecuniae possessor, expensor etc., sive instrumentaliter i. e. per participationem cum alio, ut huius minister vel instrumentum, dum hic contrectat tamquam dominus vel expensor; etenim ex cit. Innocentii XI Declaratione omnino generaliter prohibita est « quaevis contrectatio...., quae sit quovis modo politica, cuiuscumque domini sint denarii seu pecunia ».

3. Ex his principiis, quae (ni fallor) dubia videri non possunt, quaerenda est **solutio** quarumdam **specialium hac de re quaestionum**, quae inter EE. agitantur. Sunt autem:

I. **Simplex pecuniae transportatio.**

Praenotandum hic agi de huiusmodi translatione formali, coniuncta scil. cum pecuniae traditione alicui personae, seu de transportatione de persona ad personam non de simpliciter portanda alterius pecunia ad tempus (v. g. in itinere ob periculum latronum), nec de nuda transponenda pecunia de uno loco in alium (v. g. de terra in manum possessoris, de mensa in mensam, de cubiculo in cubiculum) quin concurrat proprie dicta pecuniae traditio, siquidem hoc sensu simpliciter portare vel nude transponere pecuniam pure naturalem dicendam esse pecuniae contrectationem nemo est qui dubitet.

Formalem pecuniae transportationem quamcumque, etiam usibus Fratrum vel conventus destinatae, stricte in Regula non prohiberi docent pauci EE., utpote quibus transportatio contrectatio pure naturalis dicenda videatur. Cui doctrinae verius contradicendum videtur cum communissima aliorum, saltem si agitur de pecunia usibus Fratrum vel conventus destinata (1). — Fundamentum huius sententiae est, quod actio qua syndico vel substituto traditur pecunia, haec pecunia traditur in usum commercialem, ut scil. pro occurrentibus necessitatibus expendatur; hinc vere est contrectatio civilis. Sed qui in casu transportat, tradit instrumentaliter seu ministerialiter; ergo habetur civilis contrectatio instrumentalis, quae ex superius dictis aeque ac formalis Regulae adversari videtur. — Praeterea Nicolaus III in sua Declaratione (2) ad transportandam in casu necessitatis pecuniam statuit legem de pluribus substitutis etiam indefinite subrogandis, et quidem hanc ob causam, « ne ipsorum [Fratrum] puritas in huiusmodi observatione praecepti [de non recipiendis pecuniis] maculetur in aliquo (3) »; at quorsum haec obligatio de multiplicandis substitutis, si praefato Regulae praecepto pecuniae trasportatio in casu Fratribus ipsis non interdicitur. — Deinde si ex Regula licita est transportatio pecuniae etiam Ordinis usibus destinatae, quid prohibet, quominus pro re emenda vel solvenda pretium ad mercatorem vel creditorem nomine syndici ferant ipsi Fratres? Quis autem non perspicit sic maxima pro parte in praxi inutile ac fucosum fieri capitale et distinctivum nostrae Religionis praeceptum, quo non tantum dominium, sed et usus prohibetur pecuniae. — Tandem accedit expressa S. C. Episc. et Regul. Declaratio 1 Iul. 1796: « S. Congregatio..... censuit rescribendum prout rescripsit:

(1) Intelligitur proinde transportatio ad syndicum qua talem vel qua dantis substitutum, vel etiam ad alium sive ipsius syndici sive dantis substitutum.

(2) Art. 6 *De pecuniariis eleemosynis pro necessitatibus praeteritis* n. 3.

(3) Cfr. ibidem n. 1.

Non licere Fratribus quibuscumque Ordinis Minorum S. Francisci recipere per seipsos pecuniam seu denarios a benefactoribus quacumque ex causa, etiam titulo eleemosynae sive gratuitae sive onerosae oblatos, neque ad hoc ut eos ad apostolicum syndicum conventus deferant, sed huiusmodi receptionem ac transportationem fieri debere per saeculares personas ab eodem syndico deputatas » (1). — Concludendum ergo cum Sanctoro (2): « Eas [pecunias] ad syndicum deferre pro necessitatibus Fratrum expendendas, vel apud se retinere, per diem aut noctem, syndico postmodum consignandas, peccatum mortale est, quia est expresse vetitum per Declarationes dictorum Pontificum, et est contrectatio pecuniae, saltem instrumentaliter, et ut substitutus dantis »: quod idem iisdem fere verbis docet Kerckhove (3) « iuxta expositores », ut addit.

Dictum est: « saltem si agitur de pecunia usibus Fratrum vel conventus destinata: plures (4) enim contra alios (5) docent contra Regulam non esse transportare pecuniam pro aliis. — Equidem hoc nimis generaliter et absolute dici putaverim: licet enim admittendi sint hac in re occurrentes casus contrectationis pure naturalis (6), tamen et casus civilis contrectationis ministerialis hac in re occurrentes admittendi videntur: qua enim ratione negari potest occurrens civilis contrectatio ministerialis in deferenda pecunia alterius nomine pro

---

(1) Cfr. Alb. a Bulsano *Expositio Regulae* pag. 197 in nota; Trienekens *Vota et praecepta* Ed. 2 pag. 121 nota (2).

(2) Cap. IV Stat. 2 *Respondeo quarto.*

(3) Cap. 3 § 2 n. 21 IV.

(4) Inter quos Sanctorus loc. proxime cit.

(5) Inter quos Marchant cap. 4 *De pecunia et denariis* qu. 2 *Exceptiones ab hoc praecepto, Patet 1.*

(6) Huiusmodi casus sunt, v. g. furem cum pecunia furto ablata fugientem detinere, pecuniam etiam vi eripere, et domino reddere — inventam pecuniam ferre ad dominum, vel fideli personae consignare quae faciat quod faciendum est, — transferre ad dominum marsupium ex oblivione relictum, — pecuniam ad dominum pro restitutione (theologice accepta) facienda.

solutione rei ab ipso emptae vel emendae? Hinc praedictae translationis liceitatem aut illiceitatem diiudicandam putaverim ex individualis casus indole.

II. Distributio eleemosynae pecuniariae.

Imprimis Regulae adversari videtur huiusmodi distributio quae fit ad arbitrium Fratris, ita scil. ut ex sua propria voluntate determinet aut personam succurrendam, aut quantitatem pecuniae dandam, utramque sive absolutam sive relativam; omnino enim adesse videtur pecuniae qua talis propria auctoritate dispositio, vel saltem dispensatio vel administratio, quae in Clementis V Declaratione art. 12 Fratri Minori interdicta supponitur (1); hinc sequitur distributionem in casu vi Regulae interdici, sive eadem fiat a Fratre per se seu in propria persona, sive per alium, qui, utpote ab ipsomet Fratre (uti supponitur) sua auctoritate designatus, vera est persona interposita.

Si vero agitur de eleemosyna rogatu Fratris distribuenda pauperi ab ipsomet benefactore, per se vel per alium a se substitutum, in individuo designato et simul in quantitate ab eodem fixo modo determinata, etiamsi huiusmodi designatio et determinatio fiat ipso Fratre proponente vel etiam rogante, nihil habetur Regulae contrarium; nullus enim in casu habetur, uti patet, civilis in pecunia distribuenda Fratris interventus (2). — Num vero in casu ipsemet Frater concessam eleemosynam in propria persona ad pauperem deferre seu transportare licite possit, affirmare non ausim; licet enim huiusmodi transportatio forsan videri possit aliqua ratione contrectatio pure naturalis, quatenus nempe consideretur ceu simplex transportatio rei a benefactore iam concessae tali pauperi in individuo, adeoque, saltem morali sensu, ad eumdem pertinentis: attamen quia

---

(1) Cfr. Gabriel-Angelo da Vicenza cap. 4 § 1 art. 1 Regula 3 n. 1.

(2) Cfr. Gabriel-Angelo da Vicenza loc. cit. n. 2; cfr. etiam dicenda in comment. ad art. 233, 1, *a*).

coniuncta est commissio donandi, actio distribuentis habenda videtur donatio ministerialis, quae pecuniam respiciens utique est contrectatio civilis. Concordare videtur Kerckhove, dum scribit (1), « peccare contra praeceptum Regulae de non recipiendo pecunias,... qui pecunias recipiunt in alienum usum, ut eas alteri dent... » — Quidquid est de hac quaestione, saltem non convenit, ut Frater ipse eleemosynam pauperibus tradat, si id sine gravi difficultate alio modo fieri potest.

Haec de eleemosynis ex expressa voluntate domini pauperibus distribuendis. Maior difficultas est de pecunia ex voluntate benefactorum destinata Fratrum necessitatibus: num scil. et quanam ratione ex tali pecunia eleemosynam pauperibus facere valeant Superiores, quin prohibitum sibi dominium seu ius in pecuniam exercent. — Ad istam difficultatem tollendam — ex sententia Albertis a Bulsano § 55 n. 7 — distinguenda est voluntas expressa et implicita. Iam vero ut ex dicta pecunia fiant eleemosynae pauperibus, non habetur benefactorum [vel Papae quatenus illa pecunia transierit in dominium S. Romanae Ecclesiae] voluntas expressa; adest tamen implicita; rationabiliter enim praesumuntur benefactores (vel Papa) consentire, ut ex tali pecunia pauperibus subveniatur, si Superior iudicaverit id fieri posse, quin conventus necessitates exinde detrimentum capiant. Necessarius tamen est in hisce eleemosynis distribuendis pauperibus syndici huiusve substituti (vel dantium substituti, si alius, praeter syndicum, ab ipsis designatus habeatur) interventus, quo consentiat, tali pauperi in individuo designato, et simul in tanta quantitate determinata concedatur.

« Ceterum — ita monet Albertus a Bulsano loc. cit. — etiam Guardiani et Superiores memores sint oportet, se eleemosynarum etiam indifferentium nullatenus dominos esse, sed has quoque iuxta intentionem benefactorum pro necessitatibus Fratrum expendere debere. Quamvis autem,

(1) Cap. 3 § 2 n. 21 III.

si pro necessitatibus conventus iam satis provisum sit, ex tacita vel praesumpta benefactorum voluntate per eleemosynas superabundantes pauperibus in vera necessitate constitutis subsidium concedi possit, nullatenus tamen Guardianis et Superioribus licitum est per eleemosynas indifferentes propinquis aut amicis suis commodiorem vitam comparare, aut eorumdem animos donis sibi devincire, quia ad haec ne tacitam quidem benefactorum voluntatem praesumere possunt. Denique tum intentio benefactorum, tum ordo charitatis postulat, ut primo Fratribus indigentibus, et dein aliis pauperibus subveniatur: si ergo in conventu quodam eleemosyna superabundans inveniatur, convenit ut per hanc auxilium praestetur aliis conventibus in necessitate constitutis. Quia autem huiusmodi indigentias communiter solus Provincialis cognoscit, ideo necesse est, ut huic Guardiani et Superiores eleemosynas, quibus abundant, indicent et ipsius distributioni committant ».

III. Usus bursarii in via.

In hac quaestione bursarius intelligitur amicus spiritualis seu benefactor, qui sive in propria persona sive in persona alterius a se substituti suo nomine Fratrem comitatur in via, ut necessitatibus occurrentibus mediante pecunia provideat. — Vi Regulae prohiberi usum bursarii, qui nomine Fratris bursam gerat et pecuniam administret, dubitari non potest; talis enim bursarius manifesto est vera Fratrum interposita persona.

Bursarium (de quo in quaestione), agentibus Fratribus, vero sensu procurare ex Regula non licet extra casum necessitatis et absque competentis Superioris licentia; nam habetur in casu verus recursus, qui nonnisi supposita vera necessitate et competentis Superioris auctoritate licite fieri potest (1). Porro necessitas huiusmodi habetur, quando in itinere ex causa rationabili (non ex futili tantum ratione) suscipiendo occurrentibus necessitatibus victus, ho-

(1) Cfr. dicenda ad art. 233.

spitii etc. sine notabili incommodo provideri verisimiliter non potest mendicando vel hic et nunc iuxta Regulam recurrendo (1). — Nihil autem impedire videtur, quominus cum debita a Superioribus dependentia simpliciter acceptetur, etiam ad itineris commoditates pro statu nostro paupere licitas, benefactor, qui absque ulla Fratris procuratione itineris comes sua sponte sese offert, ut ex spontanea liberalitate occurrentibus necessitatibus provideat; tunc enim habetur mera beneficii ultro oblati acceptatio. — Tandem advertendum, in usu bursarii ita se gerere debere Fratres, ut nec corde nec opere nec signo habeant vel habere videantur in dictam pecuniam expendendam auctoritatem, mandando scil. ut sic vel sic pecunia expendatur, vel de ea computum exigendo, et cetera huiusmodi, quae facile, praesertim in usu bursarii substituti, ex incuria vel inscitia fieri possunt.

IV. **Usus litterarum cambialium aliarumve litterarum obligatoriarum,** quibus demandatur pecunia numeranda.

Licet huiusmodi litterae ratione sui non sint pecunia, proindeque qua tales a Fratribus recipi, servari ac transportari libere possint, tamen, si per easdem IPSISMET FRATRIBUS pecunia numeranda demandatur, earumdem usus PER SE (2) licitus non est, siquidem hoc in casu usus ex fine operis includit consensum in pecuniam nomine proprio recipiendam, utpote quod litterarum terminis exprimitur.

Verum si litterae huiusmodi non fiant sub nomine Fratris, sed ita ut pecunia in necessitates Fratris expendenda numeretur alteri personae in litteris expressae, vel etiam a Fratre denominandae, earundem usus li-

(1) Cfr. Kerckhove cap. 5 § 7 nn. 12 et 13; Marchant. cap. 4 tit. 6.

(2) Per accidens, si insciis Fratribus ignorantia datoris litterarum hae praedicto modo fuerint conscriptae, usus hic et nunc occurrente necessitate prohibitus non videtur, ita tamen ut pecunia recipiatur et expendatur ab alio tamquam praesumpto substituto principalis benefactoris.

citus est; ratio est, quia in casu litterae etsi sint obligatoriae respectu personarum quae ad invicem scribunt, non tamen respectu Fratris, qui (uti supponitur) ad receptorem pecuniae tamquam ad amicum spiritualem legitime substitutum pro expensione recurrit (1).

230. Quisquis itaque denarios vel pecuniam procuraverit, receperit, expenderit, portaverit vel ad recipiendum, in proprios vel aliorum usus convertendum, alium substituerit, item qui penes se vel alium denarios depositos habuerit, poenas subeat contra proprietarios decretas.

Statuuntur hoc art. **actus circa pecuniam prohibiti poena proprietariorum puniendi**, et quidem provida ex ratione, ut scil. gravi hac sanctione poenali firmetur praecepti *de non recipiendis pecuniis* pura observantia, et ex hac Ordinis decor proprius conservetur; est enim paupertas cum pecuniae repulsa nostri Instituti peculiaris praerogativa, cuius proinde transgressio, imo et mera transgressionis apparentia supra modum seraphicam deturpat Religionem.

Poena proprietariorum, de qua hoc art., definitur infra art. 361, qua poena puniendi actus sunt, qui sequuntur:

a) Pecuniam procurare, i. e. petere, sollicitare actione causali sive immediata sive mediata; idque auctoritate propria, i. e. absque competentis Superioris commissione vel licentia: intelligitur igitur quilibet illegitimus ad amicos spirituales recursus (2).

b) Pecuniam recipere, i. e. in auctoritatem vel etiam in simplicem usum facti accipere convertendam sive in proprios sive aliorum usus, tum si fiat per se

---

(1) Ita Marchant cap. 4 *De pecunia et denariis* qu. 2 *Exceptiones ab hoc praecepto, Petes.* 2.

(2) Cfr. dicenda inferius ad art. 233.

seu in propria persona, quum etiam si fiat per interpositam personam seu per alium ad recipiendam a se substitutum.

c) Pecuniam expendere, i. e. convertere in propriam vel aliorum utilitatem.

d) Pecuniam portare, i. e. de loco in locum transferre formaliter eatenus, quatenus huiusmodi translatio seu transportatio includit pecuniae contrectationem civilem; pecuniae enim transportatio, quae sit contrectatio pure naturalis, quum Regulae non adversetur nec hac sanctione poenali comprehendi videtur (1).

e) Pecuniam depositam habere penes se vel alium, eum scil. in finem ut occasione occurrente expendatur in proprios vel etiam aliorum usus.

231. Capsae vel trunci ad recipiendas pecuniarias eleemosynas, etiam pro Missis oblatas, omnino prohibentur, tam in ecclesia, quam in quovis alio conventus loco; neque permittatur Fratribus in ecclesiis nostris, etiam inter praedicandum, pecuniam petere pro se vel pro ecclesia Ordinis vel pro conventu.

232. Ut omnis auferatur occasio transgrediendi hoc peculiare praeceptum, nemini Fratrum permittatur administratio fundorum, redituum aut bonorum mobilium vel immobilium, cuiuscumque domini haec sint.

Inculcatur hisce art. **triplex prohibitio specialis**, ut scil. praecepti *de pecuniis non recipiendis* violati etiam species seu apparentia impediatur, imo et eiusdem praecepti transgrediendi auferatur occasio et periculum.

Est autem:

1. **Prohibitio capsarum vel truncorum ad recipiendas pecuniarias eleemosynas**: huiusmodi prohibitio ha-

(1) Cfr. comment ad art. praec. sub I.

betur ex Clementis V Declaratione art. 7, 1; eamdem ad eleemosynas Missarum expresse extendit Urbanus VIII (1) decernendo: « Capsae vel trunci ad recipiendas eleemosynas pecuniarias, etiam pro Missis oblatas, non solum ab ecclesia, sed etiam a sacristia, et a quacumque parte quae sit intra clausuram conventus omnino prohibentur ». Ratio est ex eo, quod — ut habet Corduba (2) — talis modus agendi est quasi quaestus pecuniarius a Regula prohibitus (3): unde — ait — Fratres qui consentiunt vel permittunt in suis domibus a saecularibus quacumque de causa offerri pecunias in altari, vel labro aeneo, vel capsa seu vasculo... peccant in Regulam, et committunt quaestum pecuniarium prohibitum.

2. **Prohibitio petitionis collectaeve pecuniariae in ecclesiis nostris** factae in favorem nostrum, idque non solum si fiat ab ipsis Fratribus, sed etiam ab aliis; ratio eadem est, quae sub 1 est explicata.

Dictum est: in favorem nostrum; pro aliis enim causis piis, v. g. pro pauperibus, scholis, missionibus etc., in ecclesiis nostris pecuniariae collectae a Fratribus commendari, imo et (non tamen a Fratribus) fieri possunt, maxime ad instantiam Episcopi, cleri vel magistratus civitatis; quo autem in casu omnino curandum, ut publice constet, huiusmodi collectas nec ex mandato Fratrum, nec in horum emolumentum fieri, ne populus decipiatur et scandalizetur, putans easdem in nostrum fieri favorem (4).

Quid faciendum de pecunia, quae in altari vel ad s. imaginem a devota persona, insciis Fratribus, reposita invenitur? — Sunt qui putent hanc pecuniam, ceu derelictam, pauperibus vel Episcopi dispositioni esse relinquendam. Ast pecunia in casu in dantis dominio remanere vi-

---

(1) Const. *Iniuncti Nobis* 4 Iun. 1628; cfr. S. C. C. Decretum 7 Iul. 1708 apud Ferraris verb. *Votum* art. 2 n. 138.

(2) In Regulae cap. 4 qu. 12 apud Kerckhove cap. 3 § 3 n. 16.

(3) Cfr. comment. ad art. 233.

(4) Cfr. Albertus a Bulsano § 54, 3; Kerckhove cap. 3 § 2 n. 28.

detur, proinde iustitia exigit ut expendatur iuxta dantis voluntatem rationabiliter praesumptam, quae in casu alia esse non videtur quam ut expendatur in ornamentum altaris, honorem Sancti vel similem finem. Hinc nihil prohibere videtur, quominus dicta pecunia reposita manifestetur syndico vel eius substituto aut alteri personae saeculari, qui, ut dantis substitutus, ipsius nomine et iuxta ipsius intentionem illam expendat; hoc enim modo iustitia servatur et Regula non violatur (1).

3. **Prohibitio bonorum a Fratribus administrandorum.** Haec prohibitio, quae fere ad verbum transsumpta est ex Innocentii XI Const. *Sollicitudo,* manifesto deducitur ex Regulae cap. 4 et 6; bonorum enim administratio generatim loquendo fieri non potest sine pecuniae contrectatione civili, ac insuper includit actus, quorum perficiendorum, obstante voto, capax non est Frater Minor. — Intelligenda autem est prohibitio de ipsa administratione personaliter gerenda; siquidem in re administranda « dare consilium ipsorum [Fratrum] statui non obsistit, quum ex hoc ipsis circa bona temporalia nulla iurisdictio, sive actio in iudicio, sive dispensatio tribuatur (2) »; verumtamen et ab ipso generatim abstinendum, iuxta illud Pauli (3): « Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit ».

233. Quatenus pro necessitatibus Fratrum conventus eleemosynae non sufficiant, Superior, vel per se ipsum vel per alium a se specialiter deputatum, ad amicos spirituales recurrat, servatis conditionibus et cautelis in Declarationibus Nicolai III et Clementis V praescriptis, ut scilicet id non faciat, nisi exsistente vera, praesente vel imminente ne-

(1) Cfr. Albertus a Bulsano § 54, 3 in fine.

(2) Ita Clemens V in Regulae Declaratione art. 12, ubi de non acceptandis testamentorum executionibus.

(3) II Tim. II, 4.

cessitate determinata, et res commode mendicari nequeat.

Agitur hoc art. **de recursu ad amicos spirituales**, quo in Regulae cap. 4 constituitur modus providendi Fratrum necessitatibus secundarius seu subsidiarius, quatenus nempe non sufficiunt modi primarii, qui sunt oblatio liberalis, mendicatio humilis et merces laboris (1).

1. Huiusmodi **recursus concessi ratio** habetur ex provida seraphici Institutoris erga filios sollicitudine: quum enim in Regulae cap. 4, textu primo, (*Praecipio firmiter* etc.) omnem, etiam simplicem facti usum pecuniae prohibuerit S. Pater, et aliunde sine pecunia omnibus Fratrum necessitatibus satisfieri non possit, praecipue in iis quae ad vestitum et curam infirmorum pertinent; hinc, quantum praefatae prohibitionis servandae, tantum et congruae sustentationis providendae studiosissimus, Regulae cap. cit. textu secundo (*Tamen pro necessitatibus* etc.) ordinavit et praecepit, ut Ministri sollicita cura Fratrum necessitatibus subvenire studeant, recurrendo (quantum opus fuerit) ad amicos spirituales, qui mediante pecunia necessitatum procurationem faciant, quin tamen ipsi Fratres pecuniam recipiant et expendant. Hic praefati textus sensus, qui (ni totus fallor) universalis et constans est inter expositores, verus demonstratur ex contextu et ex ipso textu; imprimis enim manifesto habetur contrapositio textus posterioris ad priorem, quae contrapositio non verificatur, nisi et in posteriore textu agatur de pecunia; deinde in posteriore textu expresse memorantur speciales necessitates, infirmorum scil. et vestitus, quibus ut plurimum sine pecunia satisfieri non potest; tandem non explicatur iterata in posteriore textu inculcatio praecepti de non recipienda pecunia, nisi praescripta cura intelligatur gerenda etiam mediante pecunia.

---

(1) Cfr. Marchant. cap. 4 tit. 2 *De recursu* qu. 1 *Doctrina notabilis.*

Exinde nomine amici spiritualis in Regula non intelligitur quilibet benefactor, sed talis, qui ad Fratrum petitionem pro necessitatibus eorum providendis pecuniam dat eamque expendit, sive per se sive per alium sua auctoritate substitutum, qui et multiplex subrogari potest (1); toto igitur coelo a persona interposita differt amicus spiritualis, utpote qui non auctoritate nec beneplacito Fratrum, sed si est ipse dans auctoritate sua, si est substitutus auctoritate principaliter dantis pecuniam expendit (2).

Notandum pro clariore rei intellectu, ex Regulae textu,

a) recursum coarctari ad necessitatem propriam, quae scil. est Fratrum in persona, vel etiam aliorum ex Fratrum tamen causa et occasione orta (3); propria etiam dicenda est necessitas alterius conventus eiusdem provinciae, item necessitas alterius provinciae, vel Ordinis qua talis, vel missionum Ordinis; at in his casibus requiri videtur interventus seu licentia Superioris maioris, saltem provincialis (4). — Pro aliena necessitate, saecularium scil. vel personarum alterius status, recursus licite fieri non potest, nisi forte ex occurrente obligatione iuris naturalis et divini, quae per Regulae praecepta tolli nequit: quod tamen ita intelligendum videtur, ut interdicatur procuratio eleemosynarum pecuniariarum, quasi in favorem proprium, cum intentione subveniendi ex iisdem necessitati alienae (5); nihil autem ex hac parte obstat, quominus, intra obedientiae terminos servatisque prudentiae

(1) Cfr. Nicolaus III in sua Declaratione art. 6 nn. 2 et 3.

(2) Cfr. Kazenberger cap. 4 qu. 4 *Notandum* 1; Marchant cap. 4 *textus* 2 qu. 4.

(3) Cfr. Kazenberger cap. 4 quaest. 5 *Quinta conditio est;* Marchant cap. 4 tit. 4 *De necessitatibus* etc. quaest. 11; Gabriel-Angelo da Vicenza cap. 4 § 2 art. 2 Punto 1 *Della seconda condizione.*

(4) Cfr. Alb. Buls. § 59, 5.

(5) Sic. v. g. Guardiano non licet per recursum pecuniam procurare, ut per eamdem emat granum vel alias res, quibus pauperum sibi non subditorum inopiae subveniat.

cautelis, Fratres precibus aliquem moveant ad pecuniam tali pauperi erogandam, siquidem verus recursus tunc non fit, « dummodo — scribit Corduba (1) -- non amplius se intromittant, quam requirit officium intercessoris, aut rogantis, aut consulentis ».

b) Recursum faciendum reservari solis Ministris, ita tamen ut ipsi, ex Nicolai III Declaratione (2), « possint per alios huiusmodi curae sollicitudinem exercere »; unde nunc recursus faciendus ex officio committitur Superioribus localibus horumque in absentia vices gerentibus, qui et ipsi, sicut Ministri talem procurationem particularibus Fratribus subditis committere possunt, quae quidem commissio iuxta expositores (3) generatim loquendo requiritur expressa et danda pro particularibus tantum casibus, ne pluribus via aperiatur abusibus. — Hinc qui Frater particularis sine legitima Superioris licentia recursum facit, peccat mortaliter, utpote transgrediens praeceptum negativum (uti dicitur) inclusum in Regulae textu de recursu, nisi, forte agatur de casu urgenti qui moram non patitur aut nisi in veris necessitatibus per recursum providendis notabilis sit Praelatorum negligentia.

c) Supponi in legitimo recursu, quod cessent eleemosynae indifferentes, quae scil. nulli in specie necessitati sunt destinatae, sed pro occurrentibus quibusvis in genere necessitatibus adhiberi possunt: patet ex Declarationibus Nicolai III(4) et Clementis V(5), qui recursum licitum declarant « cessantibus eleemosynis, de quibus satisfieri commode tunc non posset(6)»; et recte quidem, secus enim

(1) Cap. IV qu. 7.

(2) Art. 15.

(3) Prae ceteris hac de re legi meretur Gabriel-Angelo da Vicenza cap. 4 § 2 art. 4 Punto 3.

(4) Art. 6, 1.

(5) Art. 7, 2.

(6) Patet igitur intelligi eleemosynas indifferentes; nam ex eleemosynis alicui determinatae in specie necessitati destinatis, aliis necessitatibus satisfieri non licet, quum id sit contra intentionem dantis, proindeque veram includat dispositionem.

non habetur necessitas, quae ex Regula ad legitimum recursum requiritur: cessare autem dicendae sunt huiusmodi eleemosynae, si nullae indifferentes adsint, aut etiam si indifferentes adsint, non tamen sufficientes omnibus necessitatibus, quibus pro tempore satisfieri debet (1); hoc igitur sensu intelligenda huius art. verba: « Quatenus pro necessitatibus Fratrum conventus eleemosynae non sufficiant ».

2. **Recursus essentialiter consistit** in actione, quae ex sese seu ex fine operis causaliter movet voluntatem benefactoris ad expensionem pecuniae, ita scil. ut ex actione Fratris sollicitantis benefactoris voluntas ad expendendam pecuniam ex nolente vel indifferente fiat volens: quae actio intelligitur non sola explicita expensionis sollicitatio, sed et quaevis etiam rei in specie sollicitatio talis, ex qua vere causative consequetur pecuniae expensio; unde admittendus est etiam recursus indirectus seu implicitus. — Hinc recursus non fit in acceptatione rei quam benefactor sponte sua, non Fratris petitione motus emit; nec recursus habetur in illa petitione, quae per se ex communiter contingentibus ordinatur ad rem immediate sine pecunia obtinendam, etsi per accidens contingant illam emi; imo etiamsi Frater intendat huiusmodi accidentalem emptionem praevisam, dummodo externe nihil faciat ad benefactorem movendum, siquidem lex communis non curat de accidentibus, nec iudicat de internis; tandem consensus Fratris in procurationem pecuniariam a benefactore factam, vel etiam faciendam, ad recursum per se non sufficit, nisi forte huiusmodi consensus, iuxta generales moralitatis regulas, causa sit sine qua non expendendae pecuniae.

Qua in generali recursus notione communiter conveniunt expositores; at discrepant in resolvenda speciali quaestione, **num habeatur recursus in sollicitatione ex-**

---

(1) Cfr. Kazenberger cap. 4 quaest. 5 *Tertia conditio;* Marchant cap. 4 tit. 4 *De necessitatibus* etc. quaest. 11; Gabriel-Angelo da Vicenza cap. 4 § 2 Art. 2 Punto 1 *Della condizione quarta.*

pensionis pecuniariarum eleemosynarum iam oblatarum. — Plures affirmant, saltem si agitur de eleemosynis indeterminatis seu indifferentibus; et ratio petitur ex eo, quod in eleemosynis indifferentibus per sollicitationem ex parte Fratrum pecuniae expensio determinatur ad tale in particulari obiectum; in eleemosynis vero determinatis pecuniae expensio per sollicitationem determinatur ad actum: qui uterque, vel saltem prior influxus in pecuniae expensionem huius sententiae patronis sufficiens est ad constituendum recursum.

Contra alii plures negant; ratio est ex eo, quod sollicitatio ex parte Fratrum in casu non causaliter movet voluntatem benefactoris ad expensionem, utpote quae voluntas iam antecedenter sua sponte mota est: influxus autem in determinationem aut executionem expensionis (in quo adversarii suam sententiam fundant) praecise est effectus expensionis ex antecedente et spontanea benefactoris voluntate iam decretae; quare nec ad ipsam expensionem Fratres se habent per modum causae nisi accidentalis, quoad tempus aliasve circumstantias, et sic in hoc casu recursus elementum essentiale deficit. Confirmatur haec sententia ex Declarationibus Nicolai III et Clementis V, qui recursum non permittunt nisi « cessantibus eleemosynis (1) », ex quo solutionem factam per eleemosynas iam oblatas evidenter distinguunt a solutione per recursum procurata; accedit quod Nicolaus III in sua Declaratione art. 12 n. 2 ordinavit, ut pecunia proveniens ex venditione rerum mobilium « expendatur in rem licitam, cuius usum Fratribus licet habere »: quibus verbis (ni fallor) non obscure innuitur in expendenda huiusmodi pecunia non requiri talem necessitatem, qualis ex dicendis requiritur in vero recursu. — Nec contra hanc sententiam difficultatem faciunt quae statuit Nicolaus III (2): « in hoc casu [agitur

(1) Cfr. dicta superius hoc art. sub *c)*.

(2) In sua Declaratione art. 11, 2.

de pecunia legata pro Fratrum necessitatibus indeterminate expendenda] illud in omnibus et per omnia, consideratis eorum necessitatibus et moderaminibus supradictis, quantum ad Fratres servari decernimus, quod per Nos est superius in concessis pecuniariis eleemosynis declaratum », quasi haec verba significent, praedictam pecuniam intelligendam relictam sub conditionibus ad recursum spectantibus; nam horum verborum sensus hic est, ut talis pecunia relicta intelligatur sub eo modo, qui ab eodem Nicolao (1) licitus declaratur in expendendis eleemosynis pecuniariis (2). In hac igitur sententia (quae probabilior, imo et verior videtur) verus recursus non habetur *a)* in sollicitatione expensionis eleemosynae pecuniariae, quam benefactor sua sponte iam dedit vel saltem dandam obtulit pro procuranda re determinata v. g. carne, vino, libris etc., nec *b)* in sollicitatione rei emendae a benefactore, qui spontanea benignitate erga conventum vel Fratres particulares motus sese obtulit ad occurrentes res desideratas pecunia procurandas, nec etiam *c)* in sollicitatione expensionis eleemosynarum pecuniariarum, quae, undecumque proveniant, apud syndicum reperiuntur depositae in utilitatem conventus vel Fratrum expendendae. — Ex qua doctrina pro praxi id consequitur, quod ad liceitatem sollicitationis in praedictis casibus non requiruntur conditiones ad legitimum recursum necessariae, sed sufficere ut pecunia sollicitetur expendenda « in rem licitam cuius usum Fratribus licet habere » (3), i. e. in quamcumque rem utilem, quae aliunde (considerata altissimae nostrae paupertatis exigentia) pretiosa, curiosa vel superflua non sit, etsi forte

(1) In sua Declaratione Art. 6 et 7.

(2) Cfr. Nicolai III Declar. art. 10 coll. art. 11, 4.

(3) Cfr. Nicolai III Declar. art. 12, 2 coll. Marchant. *Relectio theologica* etc. sect. 4 § 2 Regula 5 in fine, ubi quidem de sola pecunia proveniente ex commutatione rerum mobilium agitur; ast cur ibidem dicta applicari non possint et aliis eleemosynis sponte oblatis rationem non perspicio.

non sit ita necessaria, ut per recursum proprie dictum eamdem procurare liceat; ac insuper sollicitatio a Fratre particulari non fiat nisi cum dependentia a legitimo Superiore, cuius est dignoscere congruum rerum usum; agitur enim de sola acceptatione beneficii ultro oblati.

3. **Conditiones ad legitimum recursum requisitae** ex hoc art. (1) sunt:

a) Ut adsit « necessitas », quae intelligitur non absoluta et stricta, sed lata et accommoda, diiudicanda scil. iuxta varias personarum, locorum et temporum circumstantias, considerata semper status nostri pauperis exigentia, ita tamen ut non sit prohibitum, supposita recurrendi necessitate, relicta re viliore etiam pro meliore et cariore recurrere, dummodo eiusdem usus ex Regula vel aliunde non sit interdictus. — Porro necessitas « vera » sit oportet, quae scil. non sit efficta secundum imaginationem, purum commodum vel concupiscentiam alicuius, nec levi quopiam incommodo fundata, sed talis ut re procuranda sine serio aliquo detrimento maioris boni spiritualis vel temporalis sive communitas sive persona particularis commode carere non possit. Hinc veri nominis iuxta explicata recursus licite fieri non potest pro quacumque re simpliciter licita seu cuius usum Fratribus habere licet, sed requiritur specialis aliqua in re habenda necessitas seu serium ex re non habita detrimentum, ut praedicitur. — Iudicium de quidditate, et quantitate necessitatis ex textu Regulae et pontificiis Declarationibus residet penes Superiores, quorum sententiam in praxi sequi tenentur subditi, prout docet S. Bernardinus scribens: « In omnibus dubiis, quae non possunt indubitanter declarari, subditi tenentur stare iudicio Praelatorum suorum; et propterea agentes contrarium sunt transgressores obedientiae, et bene a Superioribus

(1) Ceterae conditiones, quas expositores communiter addunt, iam explicatae sunt superius sub 1. *a)* et *c)*.

censura ecclesiastica aut alia convenienti poena castigantur (1) ».

Huiusmodi vera necessitas non sufficit mere futura, i. e. quae quidem evenire potest, sed aut nullam certitudinem habet, aut nonnisi post multum temporis eventura est, quo tamen tempore ei aeque ac nunc provideri poterit; ratio est ex eo, quod necessitas hoc sensu mere futura non est vera necessitas. Hinc requiritur necessitas « aut praesens », quae scil. pro tempore occurrit, ita ut expectationi locus non detur in re aliqua procuranda vel in eiusdem iam procuratae pretio solvendo, et hoc sensu sub necessitate praesente comprehenditur etiam praeterita, AUT saltem « imminens », quae scil. certitudinaliter praevidetur eventura, vel etiam interdum ex aliquibus circumstantiis non sic brevi, quando nempe agitur de rebus, quarum provisio ex sui conditione necessario tractum temporis habet, ut in libris scribendis, ecclesiis seu aedificiis ad usum habitationis ipsorum construendis, libris et pannis in locis remotis emendis et aliis similibus (2).

Tandem necessitas debet esse « determinata », puta in se, non vero necessario in mente recurrentis: dum enim plures res sunt actu necessariae, v. g. pannus, restauratio aedificii, pharmaca etc., in recurrendo ad unum ex iis se determinare necesse non est, sed sufficit ut hic et nunc vera adsit necessitas (3).

b) Ut res procuranda « commode mendicari nequeat »; ratio est, quia si res est commode mendicabilis, iam nulla est recursus faciendi necessitas. Porro res non commode mendicabilis esse potest tum ex parte Fratrum, quando nimirum mendicatio fieri ne-

---

(1) Cfr. Marchant. cap. 4 tit. 4 *De necessitatibus* etc. quaest. 3, 4 et 5; Kazenberger cap. 4 quaest. 5 *Prima conditio;* Gabriel-Angelo da Vicenza cap. 4 § 2 art. 2 Punto 1 *Della prima condizione.*

(2) Ita Nicolaus III in sua Declar. art. 7, 1; cfr. Marchant. loc. cit. quaest. 6 et 8; Kazenberger loc. cit. *Secunda conditio.*

(3) Cfr. Marchant loc. cit. quaest. 8.

quit sine multa distractione et circumvagatione, aut sine notabili perturbatione in executione officiorum, in regimine vel disciplina claustrali: quum etiam ex parte saecularium, quando nempe timendum est, ne ipsi ob nimis frequentem mendicationem ad indignationem et contemptum vel ad aversionem a Fratribus et Ordine moveantur (1).

234. Ad tollendum Fratribus omnem praetextum recurrendi ad amicos spirituales, vel absque Superioris licentia, vel non servata forma Constitutionum apostolicarum, necnon conservandi in manu syndici aut alicuius interpositae personae eleemosynas pecuniarias, stricte iniungimus Superioribus ut singulis Fratribus suis ad religiosam sufficientiam et decentiam de necessariis omnino provideant.

Agitur hoc art.

1. **de Superiorum obligatione subditis providendi de necessariis.** Quam obligationem non solum docet ipsa recta ratio, ex qua Superior religiosus vi muneris subditis de necessitate providere debet, sed et demonstrat Regulae textus (2), ex quo Superiores, etiam recurrendo ad amicos spirituales, pro necessitatibus Fratrum sollicitam curam gerere debent, inculcant sacri canones (3) ac Ordinis statuta.

2. Est autem hac obligatio **ex genere suo gravis,** adstringens scil. iuxta capacitatem materiae, siquidem agitur de praecepto rigoroso concernente rem in regulari observantia gravissimam; nisi enim observetur, destrue-

---

(1) Cfr. Marchant loc. cit. quaest. 10; Kazenberger loc. cit. *Quarta conditio:* Gabriel-Angelo da Vicenza loc. cit. *Della terza condizione.*

(2) Cap. IV.

(3) Conc. Trid. Sess. 25 cap. 2 *De Regularibus;* Clementis VIII Decr. *Nullus* n. 8 *Monumenta* pag. 132 in fine.

tur vita communis, dum quisque sibi sub titulo necessitatis a particularibus amicis procurabit quae sibi necessaria putabit, et sic unus abundabit et alter egebit; exindeque destruetur particularibus hisce procurationibus paupertatis religiosae non solum perfectio, sed et essentia (1).

3. Porro **respicit haec obligatio** necessitates seu indigentias tum communitatis qua talis communes, quum etiam singulorum Fratrum (pro uniuscuiusque munere seu officio, labore, conditione etc.) particulares, et quidem res non solum ita necessarias ut sine serio aliquo detrimento iisdem carere quis non possit, sed et res omnes quae ad singulorum usum, considerato statu nostro paupere, rationabilem pertinent: quod non obscure innuitur hoc art. dum iniungit Guardianis « ut singulis Fratribus ad religiosam sufficientiam et decentiam de necessariis omnino provideant ». — Speciatim quod spectat ad vestimenta dicta Superioris obligatio extenditur non solum ad vestimenta, quae sunt iuxta Regulam, quum exteriora tum interiora etiam minima, v. g. cingulum seu chordam, sed et ad quodcumque aliud vestimenti genus quod est contra Regulam, qualia sunt v. g. camisiae et calceamenta, quando eiusdem utendi adest vera necessitas iuxta superius (2) exposita. Hinc qui Superiores Fratri huiusmodi vestimenti necessitatem habenti non provident, peccant graviter vel leviter iuxta materiae capacitatem: quod meminerint qui sub praetextu austeritatis regularis denegant subditis praesertim infirmae valetudinis huiusmodi necessaria: recogitent quantum ipsi mutati a seraphico Patriarcha, cui, licet ut crucis armaturam suo ferret in corpore tanta disciplinae rigiditate sensuales arceret appetitus, ut vix necessaria ipse sibi assumeret necessitati naturae, tamen valde displicuit districtionis severitas, quae erga necessitatem habentes, praesertim in-

(1) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 5 n. 6 et § 11 n. 7.

(2) In commentario ad art. 133.

firmos, non induit viscera pietatis (1). — Attendendum utique hac in re, tum Superioribus in faciendis provisionibus, quum etiam subditis in iisdem sollicitandis, ad conventus statum temporalem; qui si tenuis sit, utilitatibus in providendo anteponendae sunt verae necessitates, et inter has levioribus graviores; nec etiam deficientibus eleemosynis indifferentibus, nisi existente vera necessitate, sive cum eiusdem licentia a subdito, recursus fieri licite potest (2); multo minus, nisi servato statuto art. 299, debita onerosa licite contrahuntur. At ubi sufficienter adsunt eleemosynae indifferentes, muneris strictae obligationi desunt Superiores, qui principalem vel saltem abundantem curam impendunt in necessitates utilitatesque materiales aedificiorum, supellectilis etc., negligunt autem si non necessitates, saltem utilitates subditorum personales, praesertim individuales, forsan ex opinione (quae tamen omnino falsa est dicenda) huiusmodi utilitatis nonnisi secundarie et per accidens ex eleemosynis indifferentibus esse subveniendum — item qui magis solliciti sunt, ut gloriari possint in suo gubernio suffecisse eleemosynas oblatas vel acquisitas, imo ex iisdem superfuisse, quam ut subditorum etiam utilitatibus rationabilibus satisfaciant (3), — item qui zelo indiscreto abrepti, aut falsis de paupertatis observantia conceptibus decepti, subditis parce omnino providendo, multis murmurationibus ansam praebent, et dum paupertatem et mortificationem nimio rigore sectantur, muneris rigorosam obligationem laedunt ipsamque Regulam transgrediuntur.

Haec sit hac in re omnino gravi mutua Superiorum subditorumque norma: illi humanae infirmitati compatientes sollicitationes subditorum rationabiles paterna sollicitudine quasi praeveniant, magisque timeant, ne in providendo defectu quam excessu delinquant; — hi vero Su-

---

(1) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 11 n. 26.
(2) Cfr. comment. ad art. 206, 3 *a)*.
(3) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 2 n. 25.

periorum paternae sollicitudini obsecundent humili necessitatum utilitatumque expositione, ita tamen, ut altissimae paupertatis, quam libere voverunt, obligationes imo et rigorem sectantes, ne nimis sint exigentes, ac in sollicitando potius excessum quam defectum vitare studeant.

§ II.

De syndico apostolico.

235. Syndici apostolici usus non est dispensatio in Regula, sed modus a Romanis Pontificibus provisus pro puriori eius observantia; ideoque syndici nostri omnibus et singulis iuribus et praerogativis gaudent, pro diversitate casuum, ipsis concessis a Nicolao III, Martino IV, Clemente V, Martino V ac Paulo IV.

Indicatur hoc art.

1. **notio syndici apostolici,** qui in Ordine nostro constituitur, ut nomine S. Sedis gerat negotia civilia circa res temporales, ac praecipue eleemosynas pecuniarias recipiat et administret Fratrum necessitatibus providendo: constituitur igitur ad pecunias, ad contractus civiles et etiam ad lites, in quibus rebus Fratres Minores, obstante sua professione, nihil possunt neque per se neque per alium. Quod syndici qua talis munus spectat illas sclas pecunias aliasque res temporales modo Regulae consentaneo in utilitatem Ordinis concessas, quarum dominium dantes sibi non retinuerunt; harum enim tantum pecuniarum et rerum dominium in se et Romanam Ecclesiam assumpserunt Romani Pontifices (1), in has igitur

(1) Cfr. Marchant. cap. 4 *De paupertate FF. Min. quoad essentiam,* quaest. 5, *Relectio theol. de syndicis* sect. IV § 2, 1 Regula 1-5; Kerckhove cap. 3 § 2 nn. 15-20; Kazenberger cap. 4 quaest. 2 cap. 6 quaest. 1 *Infertur 1.* — Qua in re generatim statuendum videtur, omnem

solas nomine S. Sedis auctoritatem exercere potest syndicus. — Dictum est: munus syndici « qua talis »; nam potest syndicus etiam personam gerere substituti donantium, et in hac qualitate eorumdem auctoritate et nomine administrare et in Fratrum utilitatem expendere pecunias, quarum dominium dantes sibi reservassent.

2. **Syndici apostolici officia** varia sunt iuxta varias Romanorum Pontificum concessiones. Itaque

1). Ex concessione Nicolai III et Clementis V (1), potest syndicus nomine Papae et Romanae Ecclesiae *a)* res mobiles tantum (2) in usum Fratrum iam acceptatas, quarum dominium dantes a se abdicaverunt et Romana in se suscepit Ecclesia, alienare, vendere, distrahere etc., quando nempe res huiusmodi desinunt esse utiles Fratribus; item *b)* praedictarum rerum venditarum et distractarum pretia seu pecunias recipere, illasque expendere in res licitas, quarum usum Fratribus licet habere (3). — Quibus addidit Leo X (4) expressam facultatem « triticum, panem ac frumentum, ac alias res superabundantes huiusmodi (pro commutatione facienda receptas) commutandi et permutandi, seu triticum, panem ac frumentum huiusmodi vendendi, exindeque proveniente pecunia vinum, et carnes, ac alias res necessarias praedictas emendi ».

---

rem sive mobilem sive immobilem, et maxime eleemosynam pecuniariam in utilitatem Fratrum simpliciter oblatam seu concessam, ex offerentis vel concedentis intentione rationabiliter praesumpta, offerri vel concedi cum abdicatione dominii, proindeque (nisi forte ex verbis aut modo concedendi contrarium manifestum sit) in dominium transire Sedis Apostolicae.

(1) In Regulae Declaratione.

(2) Kazenberger cap. 4 quaest. 3 Resp. 2 addit: « et immobiles » quod tamen aperte contradicit terminis concessionis Nicolai III in sua Declaratione art. 12 *De commutatione librorum et mobilium.* Advertatur etiam ad legem canonicam *de rebus Ecclesiae non alienandis.*

(3) Cfr. Marchant *Relectio theol.* sect. 2 in fine *Corollarium* (p. 50).

(4) Const. *Exponi Nobis* 21 Iul. 1517.

2) Ex concessione Martini IV (1), Martini V (2) et Pauli IV (3) potest syndicus nomine Papae et Romanae Ecclesiae *a)* omnia legata et eleemosynas testamento pro Fratrum necessitatibus relictas, tam pecuniarias quam alias res mobiles sive immobiles, necnon omnes eleemosynas pecuniarias, quomodolibet oblatas, concessas et donatas pro tempore, etiam pro Missis et aliis divinis officiis, et alias quae ad pecuniam reduci possunt recipere in Fratrum ipsorum utilitates convertendas, prout eis licet ex Regula vel ex declaratione Regulae; item potest *b)* praedicta omnia in iudicio contentioso et extra iudicium petere exigere, transigere, defendere etc., necnon pro immunitatibus, libertatibus, privilegiis etc. Fratrum agere, (secluso tamen omni concursu, cooperatione vel assistentia Fratrum, et remoto scandalo) (4).

Quibus in officiis adimplendis syndici, ex mandato apostolico, procedere non possunt prout sibi libueret, sed « sicut et quando — verba sunt Pauli IV (5) — a dictis generali in toto Ordine, et provincialibus Ministris praedictis et eorum singulis pro tempore in provincia vel ab iisdem Fratribus de eorum assensu [praesertim a Superioribus localibus] extiterint requisiti », ita ut syndicus in sua administratione ac eleemosynis pecunariis expendendis nihil possit nisi iis modis et eo tempore, quibus a Superioribus vel aliis de eorumdem assensu fuerit requisitus. Nec ex hoc syndicus dici potest Fratrum interposita persona contra Regulam; nam illa requisitio non est auctoritativa et iuridica seu per modum mandati

---

(1) Const. *Exultantes* 18 Ian. 1582 apud Waddingum, *Annales Minorum* tom. II *Regestum Pontificium* p. 152, VI.

(2) In *Constitutionibus Martinianis* cap. 4 apud Waddingum, *Annales Minorum* tom. V Anno 1430, XII.

(3) Const. *Ex clementi* 1 Iul. 1555.

(4) In praedictis officiis exercendis attendenda quae explicantur in comment. ad art. 286 et 288.

(5) In cit Const. *Ex clementi.*

vel ordinationis, sed directiva tantum et consultiva seu per modum humilis supplicationis et directionis, ut nimirum syndicus, qui nec tam exacte scit Regulam, nec conventus seu Fratrum cognoscit necessitates, suis dispositionibus statum paupertatis et Regulam ne commaculet, sed se Regulae et statui nostro conformans puram et sanctam Summorum Pontificum (quorum sunt substituti) intentionem servent. Quod autem syndicus in suo munere exercendo procedere tenetur iuxta Superiorum instructionem supplicem, id proprio non oritur ex Superiorum requisitione, sed ex mandato Pontificis tamquam domini, cuius in hoc minister est syndicus (1).

Nota. Usum syndici iuxta concessiones Martini IV, Martini V et Pauli IV, ceu contrarium Nicolai III et Clementis V Declarationibus necnon dispensationem Regulae relaxativam impugnant plures expositores (2); ast immerito, ut patet ex Innocentii XI Declaratione (3) expressa hisce verbis: « Declarantes tamen pariter, quod per praemissa non prohibentur in dicto Ordine syndici apostolici; cum eorum usus non sit dispensatio in Regula, sed modus a Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris provisus pro puriore illius observatione; sive eiusmodi syndici assumantur ad praescriptum constitutionis Nicolai III et Clementis V praedecessorum praedictorum, sive secundum dispositionem constitutionum recolendae mem. Martini IV et V ac Pauli IV praedecessorum pariter Nostrorum, prout illorum usus in singulis familiis, congregationibus, reformationibus aut provinciis Ordinis praedicti respective fuerit receptus ». Re enim vera Pontifices hi in se assumentes dominium pecuniarum, dum dantes illud abdicarunt, nihil aliud faciunt nisi quod fecit Nicolaus III, qui pecuniam ex rebus Fratrum usibus prius destinatis, imo ex oblatis divenditis, in dominium suum assumpsit, idque « ne —

(1) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 3 nn. 8-11.
(2) Inter quos Sanctorus cap. 4 *Statutum 4.*
(3) In Const. *Sollicitudo.*

uti ait — res et rerum pretia sive pecuniae sub incerto dominio maneant». Nec Martinus V omnis pecuniae pro Fratribus datae in se assumpsit dominium, sed illius tantum quam donans vel offerens a se omnino abdicavit: sicut ergo nihil spectat ad Regulam vel Declarationes Nicolai III et Clementis V quis sit dominus vel administrator pecuniae pro Fratribus oblatae, modo ipsi Fratres non sint, ita impertinens est ad Regulam et Declarationes praedictas, quod Martinus V in se accepit dominium omnis illius pecuniae cuius dominium donans sibi non reservavit, quod idem pro aliqua pecunia ex dictis fecerat Nicolaus III. Ex his patet, quod inter provisionem Martini V et Declarationem Nicolai III hoc solum sit discrimen, ut syndicus iuxta Martinianam concessionem, ex suppositione renuntiati ex parte dantium dominii, eleemosynas pecuniarias recipiat et expendat nomine Sedis Apostolicae: iuxta Declarationem vero Nicolai III, ex suppositione retenti ex parte dantium dominii pecuniae oblatae usque dum in Fratrum necessitates fuerit expensa, eleemosynas pecuniarias recipiat et expendat nomine dantium tamquam ipsorum substitutus. Quod utrumque secundum Regulam est, quum in neutro casu syndicus pecunias recipiat et expendat nomine Fratrum, sed in utroque a pecuniae domino, sive is sit Papa sive donans, habeat auctoritatem eamdem expendendi in Fratrum necessitates(1). — Ad haec vere notat Ferraris(2), usum syndici apostolici iuxta modum provisionis Martinianae et Paulinae esse non solum faciliorem commodioremque, sed et tutiorem. Imo Portellus et Mattheuccius(3) volunt, quod conventus non habens huiusmodi syndicum, ponat se in periculo transgrediendi Regulam, cum, ut dicunt ipsi, vix inveniendus sit conventus, quantumcumque reformatus,

---

(1) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 3 n. 3, ubi et nn. 4 et 5 solvit argumenta quae in contrarium affert Sanctorus.

(2) Verb. *Syndicus* n. 14.

(3) Apud Ferraris ibid.

qui tali syndico non indigeat ad recipiendas ac retinendas nomine S. Sedis pecunias adventitias, oblatas ac traditas, praesertim ab advenis, transeuntibus in loginqua abeuntibus, pro Fratrum necessitatibus subveniendis. Quod non tam facile, nec tuto semper fieri potest per dantium substitutos iuxta Nicolai III provisionem; nam, ultra quod cum nimiis incommodis ac periculis huiusmodi substituti non raro forent multiplicandi, saepius eleemosynae pecuniariae offeruntur a praesentibus vel mittuntur ab absentibus sine ulla intentione earumdem dominium retinendi, quae eleemosynae, non admisso syndico Martiniano, certo non possunt tuto recipi, retineri et expendi, quum in tali casu substituto ad mentem Nicolai III locus non sit, nec alia reperiatur persona auctoritate pontificia ad receptionem etc. nominata et deputata.

Patet igitur provida omnino ex ratione huius art. parte altera: « ideoque syndici nostri etc. » praescribi usum syndici etiam iuxta provisiones Martini IV et V et Pauli IV, ita ut syndicum Martinianum inter EE. dictum in praxi repudiare Superioribns liberum non sit.

3. **Syndici apostolici privilegia** plura a Rom. Pontificibus concessa fuere, ex quibus tantum, ob mutatas temporum circumstantias, practice viget hoc unum, ut syndicus cum uxore et liberis gaudeat « omnibus et singulis indulgentiis et peccatorum remissionibus, favoribus et gratiis, quibus Fratres Ordinis... utuntur, potiuntur et gaudent... (1) ».

236. Quapropter in quolibet conventu, in quacumque provincia, ac etiam Romae pro Curia generali syndicus apostolicus haberi debet.

Fertur hoc art.

1. **Praeceptum habendi syndicum apostolicum**, et quidem, uti ex syndicatus notione explicata (2) manifestum

(1) Clementis VII Const. *Dum consideramus* apud Ferraris verb. *Syndicus* n. 35.

(2) In comment. ad art. 235.

est, pro quacumque in Ordine administratione temporali, quae ex Ordinis lege est sui iuris; hinc recte statuitur, ut syndicus habeatur non solum « in quolibet conventu », sed insuper « in quacumque provincia », i. e. speciatim pro officio Ministri provincialis « ac etiam Romae pro Curia generali », ita tamen ut unus idemque syndicus constitui possit pro duabus vel pluribus administrationibus iure distinctis: sic v. g. syndicus conventus residentialis Ministri provincialis ab eodem assumi potest pro ipsius administratione. — Qua in re nomine conventus comprehenduntur etiam hospitia vel residentiae, quae habent unum praesidem et religiosos ibi degentes, item hospitalia et infirmariae, quae reguntur diverso ac distincto regimine ab illo conventus, siquidem ubi est eadem ratio, eadem debet esse iuris dispositio (1). — Non autem sine speciali indulto pontificio specialis syndicus haberi potest pro lanificio, pro sacristia, pro horto etc., nec etiam Fratres particulares possunt pro se privatim syndicum habere (2).

2. Pro unaquaque administratione temporali, quae ex dictis syndicum habere debet constitutum, **unus dumtaxat syndicus** legitime deputari potest: id colligitur ex cit. (3). Clementis VIII Const. *Dum consideramus*, in qua « uni syndico » conventus quaedam privilegia conceduntur, necnon et Innocentii XI litteris *Alias pro parte* (4), in quibus habetur: « ... ut unicuique conventui dicti Ordinis assignetur unus procurator sive syndicus apostolicus, qui omnes eleemosynas [nota ly *omnes* poni adversative ad alium qui aliquas recipiat] tam pecuniarias quam aliarum rerum colligere, illasque solus [nota ly *solus* poni exclusive seu privative ad alios] in necessitate Fratrum applicare debeat: « idem etiam statuitur in provisione

(1) Cfr. Ferraris verb. *Syndicus* n. 18.
(2) Cfr. Albertus a Bulsano § 64 n. 2.
(3) In comment. ad art. 235 in fine.
(4) Afferuntur a Ferraris verb. *Syndicus* n. 36.

apostolica Martini V in Constitutionibus et Declarationibus suis a S. Ioanne a Capistrano ad annum 1430 impetratis (1). Quocirca — recte infert Matthaeucius (2) — contraria doctrina Cordubae (3) non est respicienda, quum adversus ipsum stent iura allegata; nec eiusdem opinio in praxim est deducenda, ne quis velit in Regulam offendere et pro syndico uti persona interposita. — Possunt tamen haberi praeter syndicum unus vel etiam plures, prout opportunum visum fuerit, eiusdem syndici substituti, qui ipsius nomine et auctoritate syndicatus officia exerceant. Ita communiter EE. iuxta Nicolai III Declarationem, ex qua (4) patet, principalis domini substitutum posse alium substitutum nominare: syndicus autem est substitutus seu delegatus domini principalis, nempe Papae, de cuius dominio sunt res pro Fratribus relictae et per ipsum in eorum necessitates applicandae. Talis igitur substitutus deputandus non est a Superioribus (utpote quibus competit solius syndici nominatio (5), sed ab ipsomet syndico, cuius nomine et auctoritate agit et cui soli rationem reddere debet huiusmodi substitutus; solum possunt Superiores syndicum monere de assumenda persona apta et idonea, talemque proponere syndico, ut eam assumat, si ipsi ita placuerit (6).

237. Syndicum nominare atque institutum destituere pertinet ad Ministrum generalem vel provincialem. Ipsi autem syndico, de consensu respectivi Ministri, liberum est alios substituere ad ea quae officii sui sunt vice sua explenda.

---

(1) Cit. superius in comment. ad art. 235.

(2) Apud Ferraris verb. *Syndicus.*

(3) In cap. 4 Regulae qu. 16 in fine; cum quo sentiunt Kerckhove cap. 3 § 3 n. 1 aliique.

(4) Art. 6 *De eleemosynis pecuniariis.*

(5) Cfr. comment. ad art 237.

(6) Cfr. Ferraris verb. *Syndicus* nn. 28 et 29; quo sensu intelligendum est statutum art. 237 in fine: « Ipsi autem syndico de consensu respectivi Ministri... ».

Quae hoc art. enuntiatur Ministri generalis, et Ministrorum provincialium **facultas nominandi syndicum, eumdemque institutum destituendi,** habetur ex Martini IV (1) concessione, confirmata a Paulo IV (2) hisce verbis: « ... quod generalis per se in toto Ordine, et singuli provinciales Ministri universi pro tempore existentes ipsius Ordinis Fratrum Minorum in suis provinciis respective, et ad hoc ab eis respective deputati Fratres pro tempore, possint nominare speciales personas, quae non sint de dicto Ordine Minorum, pro locorum indigentia singulorum, quando et quoties opus fuerit, in singulis eorum conventibus: quas personas taliter nominatas, pro tempore, in iis administrationem legitimam et generalem ac liberam gerere, et ipsos veros et legitimos administratores, oeconomos, syndicos et actores esse, de potestatis plenitudine constituendo eadem auctoritate etiam decernimus. ....Revocandi quoque personas easdem et earum quamlibet, ac alias subrogandi vel nominandi per supradictum modum nominationis, quoties opportunum fuerit, quae eamdem in praedictis vel similem habeant potestatem plenam et liberam, etiam generali ac provincialibus Ministris huiusmodi et eorum singulis, ut praefertur, eadem auctoritate facultatem etiam concedimus ». Patet igitur extendi praefatam facultatem, quatenus est penes Ministrum generalem, ad omnes omnino quae in toto Ordine existunt, administrationes temporales sui iuris, quatenus est penes Ministros provinciales, ad eas tantum temporales administrationes sui iuris, quae habentur in respectivis provinciis, vel ab iisdem iure dependent; nihil autem posse hac in re Guardianos aliosque Fratres, nisi quatenus ad hoc specialiter fuerint deputati ab iis ad quos ex dictis spectat, ita ut syndicus, nominatus a Guardiano ad hoc non deputato, realiter et in effectu non sit syndicus, sed persona interposita, utpote

(1) Cit. Const. *Exultantes.*
(2) Cit. Const. *Ex clementi.*

ab inhabilibus intrusus, et propterea ageret auctoritate Fratrum, qui per ipsum dicerentur recipere pecunias per interpositam personam, et inde essent proprietarii et Regulae transgressores (1). — Ad quae advertendum, huiusmodi nominationem, prout procedit a Ministris, non esse proprie dictam syndici institutionem, sed meram personae designationem, qua facta in personam sic designatam vi praefati Decreti pontificii derivatur Papae auctoritas, qua possit ipsius nomine recipere res Fratrum usui concessas, quae ad proprietatem et dominium Sedis Apostolicae pertinent, et circa illa facere, quae Pontifex mandavit et ordinavit, et eo modo quo ordinavit: ex quibus manifestum est, syndicum taliter a Ministis nominatum nec esse nec dici posse interpositam personam vel receptorem Fratrum, quia nec auctoritate Fratrum constituitur, nec administrationem aut actionem habet in res aliquas, quatenus earum ius vel dominium ad Fratres pertinet, nec ullam actionem nomine Fratrum exercet, sed auctoritate ipsius Pontificis instituitur, et eadem auctoritate eiusque nomine agit quidquid agit (2).

Qualitates in syndico nominando requisitae sunt imprimis ut non sit « de dicto Ordine Minorum » — ut habet praefata provisio apostolica, — syndicatus enim actuum ex professione emissa incapax est Frater Minor; deinde sit oportet persona probatae vitae et fidei (fidelitatis), ac praedita intellectu ac eruditione competenti, ut sui officii indolem, officia ac obligationes animo comprehendere et perspicere possit; syndicus enim huiusmodi intellectu ac eruditione carens facile seipsum convertet in interpositam personam, quum futurum sit, ut imbecillium more fere in omni negotio intelligere suum et velle ab aliis exquirat. « Abutuntur igitur — notat Marchant (3) sibi commissa potestate Praelati, qui personas ad syndi-

(1) Cfr. Matthaeucci *Schola paupertatis* Tit. IV, Consil. 1 n. 1, 3.
(2) Cfr. Marchant *Relectio theol.* sect. 3 Difficultas 1 quaest. 1.
(3) *Relectio theol.* sect. 4 § 1 Abusus.

catum nominant idiotas, simplices, ineptas, quae huius officii rationem et obligationes intelligere nequeunt, aut intelligere non studebunt... ».

Forma nominandi syndicum haec est, ut ex regula generali huiusmodi nominatio fiat per scripturam, firmatam signo et sigillo Praelati nominantis, qua nominatio legitime facta authentica certitudine probari possit; sufficit tamen, loquendo secundum rigorem, ut facultas data syndico testibus probetur. Imo si aliqua persona officium syndicatus multos iam annos de facto gessit, etiamsi de eius nominatione neque per scripturam neque per testes constiterit, sufficit ad probationem diuturnitas temporis, quo praedictum munus gessit, ut de praedicta nominatione legitime facta minime dubitetur (1). — Quae scriptura — docente Marchant (2) — contineat claram syndicatus notionem, ut scilicet pateat, syndicum in munere exercendo non agere nomine et auctoritate Fratrum, sed nomine et auctoritate Papae, adeoque ipsum non esse Fratrum interpositam personam, sed Papae ministrum seu substitutum, addita succincta explicatione iurium seu officiorum, quae ex concessionibus pontificiis muneri sunt adnexa.

Exinde nominationis litterae authenticae conficiendae videntur hoc vel simili modo:

Fr. N. N.
Ordinis Fratrum Minorum provinciae N.
Minister provincialis
ornatissimo domino
N. N.
salutem in Domino.

Quum nobis Fratribus Minoribus, utpote omnis dominii alteriusve iuris ex Regula tam in communi quam in particulari incapacibus, circa quamcumque rem tempo-

(1) Cfr. Rodericus *Quaest. regul.* tom. III. qu. XXXIX art. I in fine.

(2) *Relect. theol.* sect. IV. § I, 2.

ralem dominii alteriusve iuris exercitium non competat, imo nec rei pecuniariae absque dominio receptio ac expensio; hinc Romani Pontifices — qui in se et Romanam Ecclesiam susceperunt dominium cuiuscumque rei temporalis, etiam pecuniariae, quocumque modo licito iuxta Regulam ad Ordinem spectantis, abdicato tamen ex parte concedentis (si quis est) dominio — praedictae rei temporalis per actus dominii alteriusve iuris administrationi, ac in specie pecuniarum receptioni et in Fratrum utilitatem expensioni providerunt per syndici apostolici tamquam sui substituti institutionem, designandae in singulis casibus personae idoneae facultate Ordinis Ministris facta.

Qua facultate apostolica utentes te, de cuius in Ordinem nostrum singulari benevolentia nobis est persuasum, iuxta Romanorum Pontificum Nicolai III, Martini IV, Clementis V, Martini V ac Pauli IV concessiones, verum et legitimum syndicum nostri conventus N. nominamus, et per praesentes institutum esse declaramus, quatenus valide et legitime possis, nomine et auctoritate Romani Pontificis, recipere ac in iudicio contentioso vel extra iudicium exigere, transigere, defendere etc., item alienare, vendere etc., ac in necessitates et utilitates conventus vel Fratrum convertere et expendere res mobiles et immobiles etiam eleemosynas pecuniarias, sive testamento legatas, sive liberaliter oblatas, sive pro laboribus vel pro Missis et aliis divinis officiis datas seu concessas, et ad dominium Romanae Ecclesiae (ut praedictum est) pertinentes, necnon generaliter ea omnia facere, quae verus et legitimus syndicus de iure vel usu nostrae Religionis facere consuevit, sicut et quando a praedicti conventus Superiore aut etiam a respectivo Ministro provinciali aut ab aliis Fratribus praedictorum Superiorum nomine fueris requisitus, prout in litteris apostolicis cautum est. — Praeterea ad maiorem cautelam annullamus, cassamus et revocamus omnem aliam huiusmodi nominationem per nos vel praedecessores nostros quocumque modo factam.

Ut vero munus cum spe spiritualis praemii laeto animo suscipias ac libenti cura exequaris te familiamque tuam in confratres nostros in vita pariter et in morte ita recipimus, ut omnium bonorum spiritualium, quae per universos nostrae provinciae alumnos in dies praestantur, fructum benedicente Deo participetis; significamusque te cum uxore et liberis ex concessione apostolica, gaudere omnibus et singulis indulgentiis et peccatorum remissionibus, favoribus et gratiis, quibus Fratres Ordinis nostri utuntur, potiuntur et gaudent.

In quorum omnium et singulorum fidem has litteras manu propria subscriptas ac officii nostri sigillo munitas dedimus in nostro conventu N. die... anni...

Quae hoc art. habentur de substituto a syndico constituendo explicata sunt in comment. ad art. 236.

238. Apud respectivum syndicum vel eius substitutum sit omnis eleemosyna pecuniaria, per ipsos pro Fratrum necessitatibus, prout Superiores censuerint, expendenda. Superiores qui huismodi eleemosynam alibi habere reperti fuerint proprietariorum poenas subeant.

Statuitur hoc art.

1. **omnis eleemosyna pecuniaria apud respectivum syndicum vel eius substitutum servanda ac per ipsos expendenda.** Receptus est hic art. ex cit. (1). Constitutionibus Martinianis, in quibus sic expresse habetur: « Quoad quartum capitulum Regulae, quod Fratres non recipiant pecuniam, statuimus et ordinamus, iuxta Declarationem Nicolai III, Clementis V et Martini IV, quod quilibet conventus et locus habeat procuratorem, oeconomum, syndicum et actorem, cui omnis eleemosyna pecuniaria, et alia, quae ad pecuniam reduci possunt, integraliter assigne-

(1) In comment. ad art. 235.

tur; qui easdem dispensare legaliter et fideliter pro reparatione conventuum et locorum et ad alias necessitates pro tempore occurrentes debent, sic quod fratres nullo modo denarios vel pecuniam recipiant ». Et recte quidem generatim sic statutum habetur; quum enim ex dictis superius (1) generatim loquendo omnis eleemosyna pecuniaria, abdicato ex parte concedentis dominio, in Sedis Apostolicae dominium transeat, nonnisi a S. Sedis delegato (qui est solus syndicus eiusve substitutus) legitime servatur et expenditur; quae igitur eleemosyna huiusmodi permittente Superiore servatur et expenditur ab alio praeter syndicum eiusve substitutum, servatur et expenditur auctoritate Superioris, adeoque per interpositam personam contra Regulae de non recipienda pecunia praeceptum. — Quodsi, per accidens seu per exceptionem, agatur de eleemosyna pecuniaria, cuius dominium sibi reservat offerens seu concedens, etiam haec, nisi eamdem per se vel per aliam personam (praeter syndicum) servare et expendere velit offerens vel concedens, ex huius art. statuto qua tali (i. e. non vi Regulae) (2) servari et expendi debet a syndico, tanquam dantis substituto ipsi praesentato a Superiore et a dante admisso.

2. Praefatum statutum interpretandum videri possit in hunc sensum, ut nihil referat, utrum ab ipso syndico, an vero ab eius substituto eleemosynae pecuniariae serventur et expendantur. Ast ex huiusmodi interpretatione, sine ulla restrictione applicata, timenda videtur praxis nimis larga; communi siquidem expositorum iudicio habetur **reprobandus administrandi modus** hic, qui sequitur, vel similis, quo nempe omnes ferme eleemosynae pecuniariae depositatae servantur in conventu a tertiario vel famulo saeculari tamquam syndici substituto, et ab eodem expenduntur in occurrentes necessitates sub directione Superioris, ita ut de ce-

(1) In comment. ad art. 235 cum nota.

(2) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 3 nn. 13 et 14.

tero ipse syndicus vix aliter interveniat quam approbando computum singulis mensibus coram ipso et Discretis reddendum. Et iure meritoque reprobatur: imprimis enim hic administrandi modus minime consentaneus est cum syndicatus munere, prout a Rom. Pontificibus pro pura Regulae observantia in Ordine nostro est institutum, siquidem constitutus est syndicus, ut in administranda praesertim re pecuniaria ipse ceu delegatus a domino principali, quae est Sedes Apostolica, principales etiam partes habeat: ast admisso praefato administrandi modo secundarium omnino tenet locum, Guardiano potius quam ipso de facto administrante; — deinde praefatus administrandi modus viam aperit facilem illi abusui, ut scil. in expendendis eleemosynis pecuniariis Superior agat, si non verbo saltem facto, potius iubendo tamquam dominus cum servo, quam rogando tamquam Christi pauper cum benefactore (1); — tandem ex praefato modo administrandi quasi necessario diffunditur et stabilitur in populo error paupertatis seraphicae maxime perniciosus, ut etiam in re pecuniaria administranda ac expendenda ab aliis Ordinibus parum admodum differat Ordo noster.

3. Quas ob causas hic pro praxi sensus admittendus videtur, ut apud ipsum syndicum sit universitas eleemosynarum pecuniariarum, quas pro Fratrum necessitatibus, prout Superiores censuerint, expendat sive per se sive per aliam personam saecularem, etiam conventui deservenientem (2), in conventu vero apud substitutum non maior pars, quam quae opportuna visa fuerit pro faciendis expensis, quae moram non patiantur, proindeque a syndico commode fieri non possint. — Hinc ad syndicum non ad conventum, a creditoribus mittantur solvendae debiti scripturae; item a syndico personaliter recipiantur, quantum fieri potest,

(1) Cfr. art. 241.

(2) Quo casu curandum, ut publice constet hanc personam in hoc deservire syndico, non conventui.

elemosynae pecuniariae, nec admittantur in conventu a substituto, nisi rationabilis causa obstet quominus a benefactore traduntur ipsi syndico. Verum ut eleemosynae pro Missis recipiantur in conventu a substituto, ex peculiari rei de qua agitur indole, opportunum videtur, item ut a dicto substituto serventur usque dum eisdem per Missarum celebrationem fuerit satisfactum.

239. Sine syndico vel eius substituto nihil emere, vendere aut iuridice commutare, neque contractus vel cuiusvis generis scripturas ad pecuniae usum spectantes facere licet Fratribus, sive Praelatis, sive subditis. Si aliquando syngrapha pecuniae a syndico vel eius subtistuto acceptae describere oporteat, id fiat verbis sanctae Regulae nostrae minime repugnantibus, veluti si Guardianus mere dicat, pecuniam aliquam fuisse receptam.

1. Inculcatur hoc art. imprimis **prohibitio emendi, vendendi et iuridice commutandi, alteriusve contractus ineundi sine syndico vel eius substituto**: prohibitionis ratio habetur ex eo, quod actus huiusmodi respiciunt proprietatem, cuius totus Ordo et Fratres singuli ex cap. VI Regulae sunt incapaces, proindeque Regulae transgressor existit quicumque Ordinis Frater, sive Praelatus sive subditus, tales actus propria auctoritate per se vel per alium exercere attentat: dicitur autem « proria auctoritate »; nam tales actus legitime fieri possunt auctoritate apostolica per syndicum, prout a Rom. Pontificibus eidem tamquam ipsorum substituto fuit concessum (1), iuxta modos statui nostro ac paupertati seraphicae congruentes (2), servato insuper, ubi de alienatione agitur, praescripto iuris communis (3). — Ad haec no-

(1) Cfr. dicta in comment. ad art. 235.
(2) Cfr. quae dicentur in comment. ad art. 240.
(3) Cfr. art. 286.

tandum prohibitionem respicere tantum praedictos actus in rigore et stricte acceptos seu quatenus sunt actus iuridici quoad proprietatem (1).

2. Praeterea hoc art. **prohibentur scripturae circa usum pecuniae fieri**, ab ipsis scil. Fratribus, sive subditis, vel etiam ipsorum nomine, et quidem non solum iuridicae quittanciae syngraphaeque aliaeve litterae iuridice obligatoriae, quae utpote ad proprietatem spectantes Regulae adversantur, sed et, ex huius art. statuto, scripturae omnes, quae, etsi specie tenus tantum indicent ius aliquod in pecuniam vel formalem eiusdem usum, propter scandalum pusillorum et iudicia varia, quae exinde oriri nata sunt. — Hinc, ex huius art. sensu implicito, omnes (quantum fieri potest) scripturae ad usum pecuniae spectantes, etiam non iuridice obligatoriae, si requiruntur, fieri debent a syndico nomine suo, tamquam conventus procuratore legitime constituto, et nullatenus Fratrum nomine assumpto, quamvis possit dicere, pro necessitatibus talis conventus talem eleemosynam receptam fuisse; nihil tamen obstare videtur, quominus ad huiusmodi syndici scripturam apponat Guardianus testimonium quo declarat se agnoscere syndicum tamquam legitimum conventus procuratorem in re de qua agitur. — At nonnisi ex necessitatis causa ab ipsomet Guardiano fiat ipsa scriptura, eaque nonnisi mere testificans pecuniae receptionem etc.: eodem sensu prohibita non videtur ipsorummet Fratrum signatura ex necessitate apponenda assignationi pecuniae postali (vaglia postale, mandat de poste) etc., eorumdem nomine inscriptae; ad vitanda autem scandala et obloquia contra statum nostrum curandum omnino, quantum fieri potest, ut huiusmodi litterae quibus demandatur pecunia numeranda inscribatur nomine syndici (2).

---

(1) Cfr. dicenda ad art. 285.

(2) Cfr. comment. ad art. 229, IV.

240. Erudiantur syndici in natura et conditione officii sui, ad praescriptum concessionum apostolicarum, ut et ipsi rite agere, et Fratres sine offendiculo eis uti possint.

1. Quae hoc art. inculcatur **obligatio instruendi syndicum**, oritur ex intrinseca rei natura, ne scil. aut ex parte sua erret, aut Fratribus relaxatis in suis desideriis contra Regulam facile condescendat. « Etsi enim — ita Marchant (1) — in provisionibus apostolicis ponatur, quod de sibi commissis disponant, iuxta quod fuerint a Ministris per se vel per alios Fratres requisiti, supposuerunt tamen Pontifices requisitionem illam debere esse iustam et puram, prout (inquiunt) ex Regula illis licet, sive per modos Regulae congruos et licitos». Abutuntur igitur — addit Marchant ibidem — sibi commissa potestate Praelati, qui personas ad syndicatum nominant idiotas, simplices, ineptas, quae huius officii rationem et obligationes non studebunt...; similiter qui per se vel per alios non curant syndicos bene erudiri et instrui et informari de ratione dicti officii et obligationum eius, ut illud debite administrent...: hi vero non tantum unum peccatum mortale committunt in huiusmodi institutionis vel debitae informationis neglectu, sed sunt causa omnium peccatorum mortalium, quae ob ignorantiam syndicorum committuntur...

2. Huius **instructionis obiectum** praecipue sunt quae sequuntur:

a) Syndicatus indoles, quae haec est, ut syndicus tanquam substitutus Rom. Pontificis, in casu domini principalis, ideoque eiusdem nomine et auctoritate, in administranda re temporali, praesertim pecuniaria, determinatis actibus concurrat. Hinc syndico exponantur Regulae praecepta de omnimoda expropria-

(1) *Relectio theol.* sect. IV. § I. n. 3.

tione tam in communi quam in particulari, necnon de non recipienda pecunia; doceatur insuper syndicus, quae res et pecuniae ad dominium Sedis Apostolicae pertineant, ut exinde ipsi pateat, in quasnam res et pecunias syndicatus officia exercere legitime possit.

b) Syndicatus officia seu actus determinati, quos quoad pecunias aliasve res administrandas munere exercere possit, iuxta dicta in commentario ad art. 235. — Speciatim explicetur sensus conditionis praefatis officiis legitime exercendis a Rom. Pontifice adiectae: « prout scil. a Superioribus fuerit requisitus », ut intelligat syndicus hanc Superiorum requisitionem ex ipsorum parte non esse auctoritativam, sed mere directivam, ast ex sua (syndici) parte esse restrictivam, ita ut nihil possit syndicus nisi ex Superiorum requisitione (saltem rationabiliter praesumpta in casu quo agitur de negotio conventui evidenter utili et moram non patiente), necnon iuxta requisitionem eamdem.

c) Observandi modi liciti iuxta Regulam; hinc syndici curent, ne in recipiendis pecuniis aliisque rebus admittant quidquam superfluum, curiosum, vel pretiosum statui nostro incongruum, utpote quod excedit usum moderatum, qui solus ex Regula nobis est licitus: qua in re tamen generatim standum erit iudicio Superiorum. Similiter syndici ne admittant redditus, neve quae ad naturam redditus accedunt, « quum annui redditus — uti loquitur Clemens V (1) — inter immobilia censeantur a iure, ac huiusmodi redditus obtinere paupertati et mendicitati repugnet ». Hoc tamen intelligendum de huiusmodi redditus quatenus actione civili admittuntur, nam eorumdem admissio per modum simplicis eleemosynae, ac protestatione facta de eisdem non recipiendis ex alicuius debiti civilis obligatione, illicita non videtur (2).

---

(1) In Regulae Declar. art. 6.

(2) Cfr. dicenda inferius in comment. ad art. 305.

In administrando ne se gerant Syndici tamquam ipsorum Fratrum vel conventus commissarii, sed, sicuti vere sunt, ut vicesgerentes Rom. Pontificis seu Romanae Ecclesiae, domini principalis earumdem rerum quas ipsi administrant: hinc si quando res pro Fratrum utilitate datas repetere, defendere aut exigere in iudicio debeant, solius Pontificis nomine id faciant, nullatenus directe vel indirecte assumpto Fratrum nomine, vel eorumdem auctoritate; — si quando quittanciae dandae sint, illas nomine suo tamquam administratores Papae faciant, licet possint dicere pro necessitatibus Fratrum talem eleemosynam se recepisse; — si contractus faciant aut spondeant pro aliqua re Fratres concernente, id non nomine Fratrum, sed suo fieri debet; « pro quibus — addit Marchant (1) — formulae aliquae formandae essent, ut syndicis distribuerentur, ne etiam in verbo male vel impure sonante errarent ».

Nec potest syndicus pecunia, quam pro Fratrum necessitatibus depositam habet, uti ad negotiationem seu ad lucrum referendum, ne in ipsorum Fratrum quidem commodum seu utilitatem, siquidem, praeter plurima incommoda et scandala inde emergentia, ex Regula Fratribus omnis negotiatio et quodlibet lucrum pecuniarium penitus interdicitur; in aliorum autem, etiam piarum causarum id facere prohibet ipsum syndici munus, ex quo, facultate sibi data a principali domino Rom. Pontifice, de deposita pecunia nonnisi in ipsorum Fratrum necessitates vel utilitates disponere valet.

In expendendo ne transgrediantur syndici limites necessitatis vel rationabilis utilitatis; hinc eleemosynas pecuniarias ne expendant neve expendi sinant in res curiosas, pretiosas vel alias a Regula prohibitas, neque in usus, spectato statu nostro, superfluos vel omnino inutiles. Generatim tamen etiam in his, ex mandato Papae, Superiorum iudicio obsecundare debent syndici.

---

(1) *Relect. theol.* Sect. IV § II n. 5.

Praeterea si agitur de expendendis eleemosynis pecuniariis concessis, sive testamento sive alio modo, pro necessitatibus vel utilitatibus determitatis (licitis tamen ex Regula), huiusmodi eleemosynas nonnisi ad finem a concedente determinatum expendere possunt syndici; secus enim haberetur de iisdem contra voluntatem domini dispositio, quae utique non licet. Hoc tamen intelligendum de eo tantum casu, quo huiusmodi determinatio a dante adiecta est hoc sensu, ut concessam eleemosynam nonnisi pro tali (in specie vel in individuo) necessitate applicatam absolute velit; si enim dans magis ex desiderio quam ex stricta voluntate huiusmodi determinationem adiecit, primarie intendens, ut per concessam eleemosynam Fratrum necessitatibus subveniatur modo maxime congruo (quod semper praesumendum, nisi de contrario moraliter certo constat), nihil prohibet, quominus syndicus iuxta Superioris requisitionem, eamdem in aliam, praesertim maiorem necessitatem occurrentem expendat. — Advertat tamen syndicus, ut huiusmodi eleemosynas determinatas in regesto acceptorum semper adnotet addita necessitate a donantibus determinate significata.

241. Cum syndicis agant Fratres non iubendo, sed rogando, non tanquam domini cum servis, sed tanquam Christi pauperes cum benefactoribus suis.

Inculcatur hoc art. **modus agendi cum syndicis** ex Regulae praescripto, qui est, ut absque ullis sive signis sive verbis ius vel auctoritatem innuentibus, humiliter rogetur syndicus, ut tantumdem ex pecunia apud se deposita expendere velit; ratio habetur ex eo, quod Fratres in pecuniam pro suis necessitatibus depositam nullum ius, dominium vel proprietatem habent, imo nec habere possunt. Unde Regulam laedunt illi Superiores, qui in re temporali administranda suo iudicio procedunt omnino independenter a syndico, ac si syndicatus officium, quod

spectat ad pecuniarum expensionem, consistat tantum in hoc, ut ex Superiorum requisitione simpliciter solvenda habeat, quae pro necessitatibus conventus solvenda occurrunt, ac de cetero eleemosynarum pecuniarum receptio et administratio nihil ad ipsum pertineat (1).

CAPUT V.

§ I.

De labore.

242. Otium, malorum sentinam, virtutis mortem et vivi hominis sepulturam, maxime detestantes, praecipimus ut Fratres omnes per suos Superiores honestis sibique consentaneis laboribus occupentur.

Inculcatur hoc art. iuxta Regulam (2) omnibus Fratribus **obligatio exercendi laborem** ipsis competentem ad vitandum otium, quod vitium, ex Doctoris seraphici sententia (3), numerandum est inter causas, ex quibus « splendor nostri Ordinis quodammodo obscuratur, Ordo exterius inficitur, et nitor conscientiarum interius defoedatur ». Quae obligatio, ex communi AA. doctrina, confirmata Nicolai III et Clementis V Declarationibus (4), non oritur ex speciali Regulae, sed tum ex communi omnium divino naturali praecepto, in quantum otiositatem excludit, tum etiam ex tacito, quod inter Religionem et Religiosum intercedit, contractu, quo se obligat Religio, ut suis alumnis necessaria ad victum et vestitum provideat, Religiosus vero se obligat, ut vires suas in labores statui suo convenientes impendendo Religioni inserviat;

(1) Cfr. Marchant. Regulae cap. 4, tit. 5. qu. 5.
(2) Cap. V textu 1.
(3) Epist. ad Provinciales et Custodes.
(4) Cfr. Marchant in Regulae cap. V. P. 1.

accedit et specialis ratio pro Religiosis, qui, sicut et Fratres Minores, ex fidelium eleemosynis vivunt, docente D. Thoma (1): « Si aliqui sunt Religiosi, qui absque necessitate et utilitate quam afferant velint otiosi de eleemosynis, quae dantur pauperibus, vivere, hoc est eis illicitum... Nam quia huiusmodi beneficia Religiosis videntur esse collocata ad hoc, quod liberius religiosis actibus insistere possint, quorum cupiunt se fore participes qui temporalia subministrant, redderetur eis usus praedictorum donorum illicitus, si ab actibus religiosis desisterent; quia sic quantum est de se, defraudarent intentionem eorum, qui talia beneficia contulerunt ».

Porro haec laborandi obligatio, monente Regula, adimplenda est ita, ut Fratres « excluso otio, animae inimico, sanctae orationis ac devotionis spiritum non extinguant, cui debent caetera temporalia deservire ». Hinc a mente seraphici Patris et a spiritu Regulae recedunt illi Superiores, qui plus aequo de temporalibus solliciti subditos, etiam laicos, tam multiplicibus occupent laboribus, ut ipsis vix supersit tempus praescripta peragendi orationis sive vocalis sive mentalis exercitia. Graviter autem reprehendendi sunt subditi qui detrimentum spiritus orationis et devotionis praetendunt, dum labores ipsis imponuntur, etiamsi in casu aliquo urgentiore iidem impediantur ab ordinariis orationis exercitiis; quos enim ex obedientia praestamur labores, devotionem non extinguunt, quum, ut docet S. Franciscus Salesius, per frequentes mentis ad Deum elevationes ac preces iaculatorias reliquarum orationum defectus in tali casu suppleri potest.

243. Qui notabiliter otiosi inventi fuerint debite corrigantur; et quum de otiosis Religiosis merito suspicari liceat quod rectam non habeant conscientiam, qui hoc vitio laborat ad Ordinis officia non promoveatur.

---

(1) 2. 2 qu. 187 art. 4.

Declarantur hoc art. **indigni ad Ordinis officia Religiosi otio dediti,** utpote de quibus « merito suspicari liceat, quod rectam non habeant conscientiam » i. e. merito praesumantur pluribus defectibus, imo et vitiis subiecti, vel saltem carentes recto iudicio practico de vita religiosa rite instituenda, ac zelo debito disciplinae monasticae conservandae ac promovendae; ex quo proinde timendum sit, ne officiis impositis fideliter fungantur. Huiusmodi sunt — docente Kerckhove (1) — « qui nec spiritualibus nec corporalibus vacant exercitiis: qui saepe a Praelato moniti, interim otio marcescunt: qui publicas communesque orationes, quantum possunt fugiunt: qui tempus, quod a communibus superest divinis officiis, deambulando, vagando, inania loquendo consumunt: qui tandem panem otiosi comedunt, ita ut, si saeculares essent, hoc vivendi genere cibum non lucrarentur, et iniusto titulo aliorum labores depascunt ». Hos igitur similesque Religiosos sibi notent Praelati aliique electores, ne eosdem ad officia promovendo vel eligendo, contra huius art. providum monitum, gravis peccati reatu conscientiam commaculent.

244. Fratres laici diligenter laborent, sive in horto, sive eleemosynas petendo, vel infirmis ministrando, vel in aliis officiis conventus per obedientiam ipsis iniunctis, cum etiam ad hunc finem fuerint recepti ad Ordinem.

245. Superiores locales omnino invigilent ne quisquam in conventu otio indulgeat; ideoque curent ut Fratres clerici et Sacerdotes, respective, studiis, Officiis divinis, administationi Sacramentorum, praedicationi Verbi Dei et operibus litterariis, iuxta cuiuscumque indolem et facultatem, alacriter et cum spiritu pietatis incumbant.

(1) Cap. 4 § 8 n. 2 in fine.

Determinatur hisce art. competens singulis labor varius iuxta varium laicatus aut clericatus vel sacerdotii statum. Sacerdotes autem, qui non fuerint specialiter destinati pro studio vel sacro ministerio tenentur, ex art. 248, subire aliquam occupationem sacerdotali dignitati congruam et utilem conventui, iuxta Superiorum dispositionem.

Tandem notandum statutum art. 249, vi cuius ad labores, ex communi usu ac more loquendi dictos manuales (nisi forte ex uniuscuiusque provinciae consuetudine omnibus praescribi soleant) a Superioribus adstringi non valent sacerdotes et clerici, qui sacris confessionis vel praedicationis ministeriis aut studiis incumbunt, iuxta Nicolai III Declarationem, ex qua « non videtur ea fuisse Instituentis [Regulam] intentio, quod vacantes studio vel divinis officiis et ministeriis exequendis manuali labori seu operationi subiiceret, vel ad hoc illos arctaret »; hinc potestatis suae limites transgrediuntur Superiores locales, qui, etiam ex praetextu minuendarum expensarum sacerdotibus vel clericis sacro ministerio vel studio occupatis manualem occupationem, nisi forte parcam et raram, imponant. — Similiter ex cit. Declaratione a labore manuali eximi possunt alii, etiam laici, qui « tam excellentis et notabilis contemplationis et orationis existerent, quod merito propter hoc non essent a tanto bono pro huiusmodi exercitio subtrahendi ».

246. Nemo autem Fratrum libros, articulos doctrinales aliave scripta, de quacumque materia tractantia, publici iuris faciat, sine licentia Ministri provincialis vel, si de operibus maioris momenti agatur, Ministri generalis, servatis insuper aliis de iure servandis.

247. In unaquaque provincia sint duo saltem Patres idonei in censores librorum a Ministro provinciali designati, sine quorum examine et voto fa-

vorabili nulli facultas quodcumque scriptum publicandi concedatur.

Agitur hisce art. **de scriptionibus publici iuris faciendis.** Ad huiusmodi publicationes, si agitur de scriptionibus censurae ecclesiasticae subiectis (1), ex iure communi (2) requiritur, praeter legitimi Praelati regularis licentiam, facultas obtenta ab Ordinario loci in quo publici iuris fiunt (3): utraque licentia in principio vel in fine operis est imprimenda forma quacunque (non requiritur authentica, qua nempe est data), etiam simplicissima, dummodo clare et distincte indicetur factum licentiae concessae (4), et eidem, ex Pii X Encycl. *de modernistarum doctrinis*, praeponetur formula *Nihil obstat* adscripto censoris nomine. — Praeterea liber excudendus in principio praeferat nomen et cognomen tum auctoris tum editoris, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quodsi aliquo in casu, iustas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas est (5).

In publicandis scriptionibus etiam censurae ecclesiasticae non subiectis, ex statuto art. 246, requiritur licentia Ministri provincialis aut Ministri generalis, prout agitur de scriptionibus minoris aut maioris momenti, quae res potius ex materia quam ex mole est decernenda. Quae licentia obtineatur necesse est pro publicandis non solum libris stricte dictis, sed etiam scriptis minoris molis, imo et sic dictis articulis in libellis periodicis vel ephemeridibus, de quacunque tractent materia, etiam non doctrinali, et mere profana.

---

(1) Leonis XIII Const. *Officiorum* art. 41.

(2) Const. *Officiorum* art. 36 coll. art. 35.

(3) De censura Apostolicae Sedi vel Rom. Cong. reservata cfr. Const. *Officiorum* art. 30-33.

(4) Const. *Officiorum* art. 36.

(5) Const. *Officiorum* art. 43.

Requisitam licentiam in publicandis scriptionibus, etiam minoris momenti et molis, ex art. 247 ne dent Superiores, nisi duo idonei censores, ab ipsis sive habitualiter sive (forsan opportunius) specialiter ad hoc, iuxta variam scriptionis materiam, designati, post institutum diligens examen favorabile pro publicatione votum dederint. Ratio est, ne ex erroneis vel minus rectis, vel saltem imprudentibus scriptionibus cum scriptore et Ordo deturpetur ac denigretur.

248. Sacerdotes qui non fuerint specialiter destinati pro studio vel praedicatione et confessionibus teneantur subire aliquam occupationem sibi congruam et utilem conventui, iuxta Superiorum dispositionem.

249. Ad laborem manuum non adstringuntur qui sacris ministeriis ac studiis incumbunt. Ad ea tamen exercitia quae de more omnibus praescribi solent omnes convenire debent.

Cfr. Comment. in art. 244 et 245.

250. Quaevis eleemosyna in mercedem laboris, tam spiritualis quam corporalis largita, non in respectivi Fratris, sed in totius communitatis utilitatem cedere debet.

Statuitur hoc art. **merces laboris in totius communitatis utilitatem impendenda** iuxta mentem seraphici Patris expressam in hisce Regulae verbis: « De mercede laboris pro se et suis Fratribus corporis necessaria recipiant »: verba enim « *pro se et suis Fratribus* » accipienda sunt — ut docet Victor a Cocaleo — non disiunctive, sed coniunctive, ut significent: pro se simul et pro reliquis Fratribus, i. e. pro tota communitate. Et provida quidem ex ratione latum fuit hoc statutum: magna enim — ita

Albertus a Bulsano (1) — inordinatio sequeretur, si cui liceret pro se tantum laborare, et mercedem receptam sibi soli applicare. Quod enim uni licitum est, id etiam aliis concedi deberet, et sic vita communis tolleretur, unio religiosa scinderetur, et paupertas abigeretur, proprietas introduceretur, et Regula quasi in suo corde transfigeretur » (2).

251. Nemo Fratrum, sine Superiorum expressa licentia, raro, ex gravi causa et cum debitis cautelis concedenda, implicet se negotiis Ordini extraneis. Nemini autem liceat artem medicam extra Ordinem exercere.

Fertur hoc art. prohibitio, **ne Fratres negotiis Ordini extraneis se implicent** iuxta Apostoli (3) monitum; « Nemo militans Deo implicet se negotiis saecularibus ». Qua prohibitione comprehenduntur quae Ordinem non spectant negotia quaevis saecularia, sive sint stricte dicta temporalia, uti rei temporalis administratio vel gestio, testamentorum executio (quae insuper saepius iam ex Regula prohibentur ratione prohibitae contrectationis pecuniae), sive sint domestica, uti matrimonia contrahenda, sive sint publica, quae nempe ad rem pure politicam pertinent; quibus omnibus negotiis ne se implicent Fratres absque Superioris licentia expressa, quae nisi ex gravi causa, prudenti iudicio diiudicanda, concedi prohibetur. Nihil tamen prohibet, quominus Fratres rogati in huiusmodi negotiis discretum dent consilium.

Absolute autem prohibetur, **ne Fratres artem medicam** et a fortiori chirurgicam **extra Ordinem exerceant,** ita ut Superiores ad id licentiam concedere omnino non valeant.

---

(1) *Expositio Regulae FF. Minorum* § 70, 1.
(2) Cfr. art. 294.
(3) II Tim. cap. 2.

252. Nullus Fratrum faciat opera manualia dono danda extraneis, nisi ex commissione vel cum expressa licentia Superiorum.

Quae hoc art. **prohibentur facienda opera manualia dono danda extraneis** intelligenda videntur opera maioris alicuius valoris; haec proinde facere seu elaborare nemini licet, absque Superiorum commissione vel expressa licentia toties quoties impetranda, ne fiant huiusmodi opera conventui minus utilia, et exinde Superior nolens volens adigatur ad permittendum, ut eadem iuxta operantis desiderium dono dentur extraneis. Patet igitur facile peccare posse contra paupertatem Fratres qui contra hanc prohibitionem praedicta opera manualia faciant. — Ut autem fiant opera manualia minoris omnino valoris, praesertim devotionis obiecta, sufficere videtur licentia rationabiliter praesumpta; quae dono danda Superiores ex usu provinciae licentiam concedere facile solent, modo tamen in iisdem elaborandis contra Superioris voluntatem nimium temporis non teratur et deperdatur.

§ II.

De studiis et studentibus.

253. Ad Religiosos ad sacrum ministerium destinatos in doctrina debite informandos ordinamus ut in qualibet provincia, praeter studia gymnasialia, quae in collegio seraphico traduntur, sint studia lycealia seu philosophica et studia theologica, ad normam Statutorum pro studiis in Ordine nostro regendis.

254. Iuvenes nostri omnes in dictis Statutis praescriptas disciplinas perfecte edoceantur; neque ab inferioribus studiis ad superiora eis transitus

concedatur, nisi per rigorosum examen digni fuerint inventi et testimonium super hoc a respectivis lectoribus una cum praefecto studiorum obtinuerint. Nemo itaque ad studium lyceale seu philosophiae admittatur, nisi curriculum gymnasiale compleverit, neque ad S. theologiam, nisi integrum cursum philosophiae peregerit. Cursus autem s. theologiae non minus quam per integros quatuor annos duret.

1. **Studii in Ordine nostro convenientia et necessitas** demonstratur ex fine Ordini, Deo volente, praestituto et manifesto in seraphico Patriarcha B. P. N. Francisco, qui, canente ipsa Ecclesia, « non sibi soli vivere, sed aliis proficere vult Dei zelo ductus ». Proinde non ad solam vitam contemplativam vocatus et institutus est Ordo noster seraphicus, sed et ad vitam activam, exercendo scil. sacrum ministerium in verbi divini praedicatione et in confessionibus excipiendis; quibus muneribus ut rite, sancte ac fructuose perfungantur Ordinis Fratres, profecto omnis doctrinae genere exculti sint oportet, ut in excipiendis confessionibus lepram possint a lepra distinguere, orthodoxam Ecclesiae doctrinam populos docere, eamque contra multiplices et infensissimos, nostra praesertim aetate, adversarios illustrare et defendere. — Praeterea Ordo noster specialiter est institutus ad sustentandam fulciendamque Ecclesiam, prout Innocentius III, habita coelesti visione de Lateranensi basilica ruinae proxima et S. P. N. Francisci humeris sustentata, de eodem seraphico Patriarcha testatus est dicens: « Vere hic est ille, qui opere et doctrina Christi sustentabit Ecclesiam ». Cuius testimonii veritatem ipse demonstravit eventus; nam non modo aetas illa, qua primum Ordo prodiit, mirabiliter eius opera adiuta est et illuminata, sed et insequentibus saeculis hoc semper egit, ut pluribus viris vitae sanctitate et scientiae laude conspicuis Ecclesiam fulciret.

In quo ut pergat nostra Religio, Superiorum est omni et continua sollicitudine studium fovere, ut in locum eorum, qui per suam doctrinam uberes in Ecclesia Dei protulere fructus, succedant alii formentque alios, qui priorum vestigia sequentes eorumdem laborem continuent et fructus adaugeant. Quod Ordo accipit alumnos indole ac ingenio praestantes ingens est Dei beneficium, de quo beneficio grati Ordinis est eos excolere seraphico spiritu ac litteris praesertim sacris imbuere, ut « in sanctitate et doctrina » Religionem ipsam ac Dei Ecclesiam illustrent (1). — Tandem — ut sapienter demonstrat fr. Bernardus van Loo (2) — studium cum disciplina seraphica arctissimo coniungitur nexu, atque illius est quoad clericos necessaria conditio. « Et re quidem vera — ita concludens scri-« bit — quum omnium consensu praecipua Religiosi sancti-« tas in observantia Constitutionum consistat, quumque Sta-« tuta debitum studium enixe commendent et praecipiant, « ultro sequitur disciplinae regularis observatorem esse non « posse, qui scientiis addiscendis omnem operam non impen-« dit. Haec est ratio, cur tunc semper Ordo noster floruerit, « cum litterarum studia graviter essent exculta, tunc vero « fuerit despectus et minus utilis Ecclesiae, cum « otium « sine litteris, mors et vivi homini sepultu-« ra », ut cum Seneca loquar, plerosque teneret ».

2. **Triplex in Ordine studium** distinguitur:

a) Studium provinciale passivum, quod est omnibus clericis commune, ut instituantur et praeparentur ad sacrum ministerium debito modo obeundum.

b) Studium provinciale activum, quo selecti iuvenes melioris ingenii instituantur ac praeparentur ad obeundum munus lectoris in passivis provincialibus studiis.

c) Studium generale, quo iuvenes excellentis ingenii altiore ratione doceantur philosophicas praesertim ac theologicas disciplinas.

---

(1) Cfr. Kerckhove cap. 7 § 6 nn. 1-6.

(2) *Stimulus seraphicae conversationis* XXXII.

Studium provinciale utrumque regitur harum Constitutionum art. 253-276 generalibus praescriptis, necnon specialibus Statutis pro studiis regendis.

Studium generale, quod unum pro toto Ordine est institutum in Collegio S. Antonii in Urbe, subest, ex harum Constitutionum art. 263 immeditae et exclusivae directioni Ministri generalis cum suo Definitorio, ac regitur peculiaribus Statutis pro praefato Collegio per Ministri generalis decretum 30 Maii 1914 confirmatis et approbatis.

3. **Studium provinciale passivum,** ex art. 252 constat tribus partibus, studiis scil. gymnasialibus(1), lycealibus seu philosophicis, et theologicis peragendis ad normam Statutorum pro studiis in Ordine nostro regendis. — Porro successivus ab uno studio ad aliud transitus, ex art. 254, non est concedendus, nisi studio immediate praecedente cum profectu absoluto, de quo per rigorosum examen constare debet, dato super hoc testimonio a respectivis lectoribus una cum praefecto studiorum.

255. Quum vero uberius sacrae eloquentiae studium pro munere praedicatorum et missionariorum magni sit momenti, commendatur singulis provinciis ut iuniores Sacerdotes, emenso s. theologiae curriculo, per unum vel duos annos adhuc sacrae eloquentiae theoretice et practice plenius addiscendae addicantur, antequam muneri apostolico destinentur.

Commendatur hoc art. **studium sacrae eloquentiae** peragendum ad normam Statutorum pro studiis regendis. — Cum hoc studio, si peragitur post absolutum studium theologicum, opportune coniungitur generalis repetitio theologiae moralis et pastoralis, propositis casibus practi-

(1) Cfr art. 17 cum commentario.

cis secundum modum adhibitum ab Ordinis nostri theologo Elbel.

256. Quoad ordinem vero et distributionem disciplinarum, exercitia scholastica facienda, mediaque adhibenda ut studia promoveantur et lectorum atque praedicatorum sedulitas alliciatur, fideliter serventur S. Sedis Decreta et Instructiones, necnon praefata Statuta peculiaria pro studiis et kalendarium scholasticum ab eadem S. Sede approbata.

Agitur hoc art. **de mediis ad studia promovenda**, et praescribuntur fideliter servanda una cum S. Sedis Decretis et instructionibus Statuta pro studiis regendis.

257. Studentes omnes teneantur choro interesse, sacris functionibus devote assistere, scholam diligenter frequentare, studiis ex animo vacare et spiritum pietatis ac devotionis nutrire in eoque in dies crescere.

Providis statutis inculcat hic art., ut **studentes cum studio scientiarum coniungant studium pietatis ac devotionis**, iuxta mentem seraphici Patris, qui S. Antonium primum in Ordine lectorem instituens ad ipsum scribit: « Placet mihi, quod sacrae theologiae litteras fratri- « bus interpreteris; ita tamen ut neque in te neque in « ceteris (quod vehementer cupio) extinguatur orationis « spiritus iuxta Regulam, quam profitemur » (1).

Hinc iure meritoque hoc art. imprimis statuitur, ut studentes omnes teneantur praeterquam choro etiam aliis sacris functionibus publicis, quae in respectivo conventu celebrantur, assistere, necnon cetera pietatis exercitia, quae praescripta vel in usu sunt, ser-

(1) Cfr. Waddingus *Annales* an. 1222 n. 32.

vare sicut ceteri Religiosi, ut hisce mediis in studentibus seraphicus devotionis spiritus conservetur, foveatur ac in dies augeatur, et sic exercitium studii tam ipsis, quam proximis spiritualem afferat utilitatem; « cui enim — ait « S. Laurentius Iustinianus (1) — praesto est scientia plu- « rima et sacrae legis intelligentia perspicua, desitque illi « bonitatis operatio, virtutum experientia, Dei et proximi « fragrantia, parum sibi et ceteris proficit ».

Praeterea praecipitur, ut scholam diligenter frequentando ac studiis ex animo vacando solidam acquirant rerum traditarum scientiam, qua instructi maiore cum fructu in vinea Domini laborare possint. Ad hanc in studendo diligentiam adhibendam stricta obligatione tenentur Religiosi ad studia deputati, sic ut in eo notabiliter negligentes mortaliter peccent: tum quia transgrediuntur obedientiam, quae eos ad diligenter studendum obligat, dum interim ab aliis oneribus eximuntur: tum quia abutuntur commoditate eis a Religione ad studendum concessa: tum quia in re gravissima offendunt Religionem, dum se reddunt incapaces ad ea munera, ad quae per eos praestanda Religio ius habet, et ipsi praestare debent vi status, quem assumpserunt et professi sunt (2).

Cordi ergo insculpant omnes monitum Eccli. VI: « Fili, « a iuventute excipe doctrinam, et usque ad canos inve- « nies sapientiam ». Diu enim discenda est sapientia, ut in senectute ea plene potiamur. Errant ergo qui iuventutem dant otio et vitio sperantes fore, ut senectam dent labori et virtuti, quae enim — ait Eccl. XXV — « in iuventute tua non congregasti quomodo in senectute invenies »?

258. Superioribus localibus non liceat tempore studii vel scholae lectoribus aut studentibus specialia onera vel labores imponere, qui eos a studiis

(1) Apud Kerckhove cap. 7 § 6. n. 9.
(2) In Kerckhove cap. 4 § 7. n. 12.

avocent vel scholae frequentationem impediant. Tempore tamen libero studentes possint, consentiente magistro, ad aliquem manualem laborem convocari.

Ut studia felicem habeant exitum, **a lectoribus atque studentibus studii impedimenta removeantur** oportet. Hinc provide prohibetur, ne lectores aut studentes, a scholis habendis aut frequentandis vel a studio privato distrahantur aliis impositis occupationibus, sive sint labores manuales etiam leves, sive sint functiones sacrae extra conventum peragendae; siquidem — ut notat Kerckhove (1) — quum studentes scientiis debite imbui non possint, nisi detur ipsis tempus ad studendum sufficiens, ratio naturalis dictat studiosos aliis occupari vel impediri non posse, quia ad consequendum finem necessaria sunt media. Unde infert Sanctorus et Peyrinis (2), Guardianum vel alium Superiorem localem peccare mortaliter, qui sua facilitate et sine gravi causa studentibus occasionem praebet relinquendi lectiones vel alias non addiscendi.

Praefata prohibitio intelligenda est de tempore quo scholae ordinariae habentur, licet forsan aliquis dies vacationis interveniat; tempore autem vacationis per plures dies continua, praesertim tempore vacationum aestivarum, moderatus labor cum prudenti discretione tum lectoribus tum studentibus (quoad hos consentiente magistro) imponi potest.

Tandem notandum, ex dictae prohibitionis mente et ipsos lectores impediri, quominus huiusmodi labores proprio marte suscipiant.

259. De rebus ad studia necessariis, et maxime de libris et instrumentis, studentibus provideri diligenter curent eorum respectivi Praelati. In casu

(1) Cap. 7 § 6 n. 11.
(2) Apud Kerckhove loc. cit.

necessitatis alii provinciae conventus ad has expensas concurrere obligantur, iuxta rationem et mensuram a Definitorio provinciali decernendam.

Demandatur Praelatis specialis cura **de providendis rebus ad studia necessariis**, et maxime de libris. Hinc, praeter libros textus scholaris singulis studentibus in usum habitualem concessos, in eorumdem commodum instruatur dictincta a communi alia parva bibliotheca, in qua habeantur libri ad mentis cultum, praesertim ad actuale studium, ex iudicio lectorum, magis opportuni. — In locis vero, ubi physicae disciplinae docentur, habeantur instrumenta, quae magis necessaria reputantur pro experimentalibus lectionibus (1).

Statuitur praeterea, ut in casu necessitatis omnes provinciae domus pro clericis alendis, vestiendis, ceterisque in necessitatibus succurrendis de suis eleemosynis, iuxta rationem ac mensuram a Definitorio provinciae decernendam, concurrant.

260. Vacationes a schola permitti possunt, praeter dies dominicos et festa de praecepto, etiam: 1° in festis S. Thomae Aquinatis, S. Ioseph Sponsi B. V. M., S. Antonii Patavini, SS. Cordis Iesu, S. Bonaventurae, Dedicationis S. Mariae Angelorum, S. P. N. Dominici, S. Clarae, S. P. N. Francisci et die octava Novembris ob memoriam Doctoris subtilis ac mariani Ioannis Duns Scoti; 2° feria V in qualibet hebdomada, nisi alia dies vacans intra eamdem hebdomadam iam occurrat; 3° diebus quibus in conventu exercitia spiritualia peraguntur; 4° a vigilia Nativitatis D. N. Iesu Cristi usque ad festum Circumcisionis; 5° feria II, III et IV post dominicam quinquagesimae; 6° a dominica pal-

(1) Cfr. *Statuta pro studiis regendis.*

marum usque ad feriam III Paschatis inclusive; 7° tempore aestivo per septem circiter hebdomadas. Definitorium cuiusvis provinciae distributionem vacationum iuxta regionum diversitatem pressius determinet, ita tamen ut intra totum annum ducenti saltem dies scholae habeantur.

Provida ex ratione hoc art. **determinantur vacationes a schola,** ne in hisce excedatur neve deficiatur, et sic uniformitas in re communi laedatur. — Quae determinatio intelligenda est hoc sensu, ut Definitorium provinciale gaudeat facultate distributionem vacationum pressius determinandi, iuxta diversitatem regionum definitum tempus vel dies transferendo, eidem vel iisdem aliud vel alios substituendo, non tamen ita augendo, ut intra totum annum non relinquantur saltem ducenti dies scholares. — Inhaerendo litterae huius art. vacationes determinatae diminui quidem possunt; at quominus, saltem notabiliter, ita fiat, obstare videtur intenta uniformitas. Quodsi aliqualis diminutio opportuna videatur, haec communi Definitorum cum Ministro provinciali consilio statuatur, nec unquam Guardianorum arbitrio statuenda permittatur. Tandem notandum, nomine dierum festorum de praecepto intelligendos etiam dies festos, qui, licet iure abrogati, de facto tamen communi locorum consuetudine vel praxi ceu dies festi, etiam in foro celebrantur.

261. Tempore vacationum Fratribus studentibus longior recreatio et frequentiores extra conventum deambulationes concedi possunt. Licentia autem ad alios conventus divertendi nonnisi gravi de causa et servata cautela n. 104 praescripta ipsis concedatur.

262. Diebus vacationum aestivarum per duas circiter horas Studiis incumbant; reliquum vero

temporis lectioni spirituali, piis exercitiis et aliis congruis laboribus sub dependentia magistri impendant, ita ut, sepositis tantisper intensioribus studiis, moderatam quidem fessis viribus dent requiem, sed spiritum devotionis et orationis, cui debent caetera temporalia deservire, in se non exstinguant.

Statuitur his art. **specialis disciplina tempore vacationum** continuo, praesertim tempore vacationum aestivarum, servanda.

263. Directio collegii S. Antonii in Urbe, quod pari iure ad omnes provincias spectat, cuiusque finis duplex aequaliter intentus est pro toto Ordine, videlicet lectores generales et missionarios efformare, pertinet ad Ministrum generalem cum suo Definitorio: quorum est providere ut magis idonei lectores et officiales ex quibusvis Ordinis provinciis assumantur, et de triennio in triennium Superiorem seu Praesidem instituere, qui in eo ipsius Ministri generalis nomine praesit regulari disciplinae. De caetero serventur peculiaria Statuta pro collegio rite approbata.

Agitur in hoc art. **de Ordinis nostri collegio S. Antonii in Urbe,** in quo, ex Rmi P. Ministri generalis decreto (1), unicum pro toto Ordine constitutum est studium generale pro efformandis lectoribus generalibus. Hoc collegium decernitur generale hoc sensu ut « pari iure ad omnes provincias spectet ». Hinc

a) non solum omnes et singulae provinciae i u s habent m i t t e n d i quolibet anno unum vel alterum ex suis

(1) Cfr. Acta Ordinis Anno XXIV (1905) p. 246.

alumnis perfectiore doctrina instituendum, sed et lectores ac ceteri officiales statuuntur assumendi, ceteris paribus, ex quibusvis Ordinis provinciis, ut exinde praedictum collegium ratione tum studentium quum etiam docentium de facto quoque sit vere internationale.

b) directio tribuitur Ministro generali eiusque Definitorio: quae directio intelligenda est non solum administrativa sed etiam iurisdictionalis seu regiminis, qua Minister generalis cum suo Definitorio ferre valeat, salva semper auctoritate Capituli generalis, ordinationes, quae verae legis vim habeant: nisi enim ita esset, nihil potestatis hoc statuto tribueretur Ministro generali, utpote qui iam vi officii in casu habet administrativam potestatem. — Ad immediatum autem huius directionis exercitium statuitur de triennio in triennium, proponente Ministro generali eligendus Superior localis, qui Praesidis habet titulum. — Ceterum servanda praescribuntur Statuta peculiaria quae sunt tum pro tuenda regulari disciplina, tum pro studiis regendis.

264. Denique nulli Fratrum permittatur studium in catholicis universitatibus, nisi cursum s. theologiae cum laude absolverit, testimonium quoad fidem et mores optimum a Discretorio conventus simul cum s. theologiae lectoribus obtinuerit et consensus adsit Definitorii provincialis, cuius erit opportunas in casu statuere normas. Si agatur de universitate extra provinciam posita, requiritur consensus Ministri generalis.

Agitur hoc art. de studio in catholicis Universitatibus, quod non permittendum statuitur, nisi existentibus determinatis conditionibus.

§ III.

De lectoribus.

265. Quaelibet provincia facultatem habet instituendi pro se ipsa lectores humaniorum litterarum, philosophiae et s. theologiae, praevio concursu, iuxta normam Statutorum pro studiis.

266. Nullus instituatur lector qui non sit moribus, fide et docilitate erga S. Sedem omnino commendatus. Qui ostenderit se talem non esse, si officium iam exerceat, removeatur.

Agitur hisce art. **de lectorum provincialium institutione**. Huiusmodi autem institutio committitur singulis provinciis, hinc communi Provincialis cum suo Definitorio consilio facienda, iuxta normam tamen Statutorum pro studiis regendis. Quum vero ab idoneorum lectorum designatione dependeat bonum provinciarum ac Ordinis, necnon proximorum utilitas, hinc provide statuitur ut lectores instituendi non solum scientia, sed et moribus, fide et docilitate erga S. Sedem omnino sint commendati, qui noverint discipulos debitis instruere disciplinis, ac exemplo ad pietatem et vitam regularem adhortari: quod ni sciverint, ad veram scientiam duces discipulis suis non erunt, siquidem vera scientia — dicente S. Petro Chrysologo — illa est quae fuerit mixta virtute. Hinc praecipit Conc. Trid. (1), ut lectio a Capitulis generalibus vel provincialibus assignetur dignioribus [utique scientiae laude ac vitae probitate] magistris. Merito proinde docent Peyrinis et Sanctorus (2) peccare mortaliter Superiores et teneri ad omnia damna quae Religioni ob-

(1) Sess. 5. cap. I. *De reform.*

(2) Apud Kerckhove cap. 7 § 6 n. 14 in fine.

veniunt, si indignos et minus idoneos, sive eruditione sive probitate, ad alios docendum promoveant vel praeficiant.

267. Statis temporibus lectores emittant professionem fidei et iusiurandum ad normam Decretorum S. Sedis.

Inculcantur hoc art. a lectoribus **emittenda professio fidei, et iusiurandum** contra modernistarum errores (1). Quod iusiurandum cum professione fidei lectores emittere debent non solum ineunte officio, sed et ineunte quolibet anno scholari. Huius legis sanctio specialis est, ut ad S. Officii [vel episcopale] tribunal deferendi sint non solum quis iusiurandum violaverint, sed etiam qui iurisiurandi formulam subscribere renuerint (2).

Quoad modum satisfaciendi praefatae obligationi haec sunt notanda:

a) Praedictum iusiurandum, praemissa fidei professione, dandum est Antistiti proprio (3), qui in casu est Superior religiosus immediatus vel (4) maior. — Verum in casibus particularibus [hinc non generali modo], data iusta causa, Antistes hac in re proprius seu competens delegare potest ad recipiendam fidei professionem cum iureiurando sacerdotem aliquem sive saecularem sive regularem in aliqua dignitate vel officio constitutum (5).

b) Emittenda est fidei professio cum iureiurando actu personali, ita scil. ut omnino excludatur procurator, ac praestanda coram Antistite competente eiusve delegato, i. e. in alterutrius manibus seu formali praesentia. — Praeterea requiritur, ut iusiurandum verbis datum [non ita professio fidei emissa] subscripto nomine

---

(1) Ex Pii X Motu proprio *Sacrorum Antistitum* 1 Sept. 1910

(2) Cit. Motu proprio (A. A. S. vol. II pag. 6691) et S. C. Consist. 25 Sept. 1910 ad 9.

(3) Cit. Motu proprio (A. A. S. vol. II pag. 668 in fine et sq.).

(4) Cfr. Vermeersch Periodica tom. V pag. 232.

(5) S. C. Consist. 25 Sept. 1910 ad 8.

confirmetur (1). Ad nomen, cum diei indicatione [quae omnino addenda videtur] utiliter etiam adduntur qualitates ob quas quisque dat iusiurandum.

c) Formula adhibenda in fidei professione est symbolum quod dicitur Tridentinum, insertis additionibus post Conc. Vaticanum a Pio IX praescriptis. — Iusiurandum dandum est iuxta formulam in cit. Motu proprio adiectam (2).

d) Ritus externus maxime in hoc consistit, quod tam fidei professio facta quam iusiurandum datum confirmetur iuramento corporali, i. e. evangeliis una saltem manu tactis (3). — Duobus vel pluribus simul convenientibus sufficit, ut respectiva fidei professionis et iurisiurandi formula ab uno recitata, post legentem ceteri singillatim, expresso nomine, se idem credere ac iurare respective brevi formula finali testentur (4).

e) Tandem emissae professionis fidei editique iurisiurandi documenta servari debent in peculiaribus tabulis penes competentem Antistitem respectivum. i. e. coram quo [eiusve delegato] professio fidei cum iureiurando fuit emissa (5).

268. Quia frequens lectorum mutatio in detrimentum vertitur studentium, Ministri provinciales, sine gravi causa, lectores quos in aliqua disciplina habiles et idoneos probaverint a lectoratu non amoveant, neque aliis disciplinis tradendis addicant.

---

(1) Cit. Motu proprio (A. A. S. vol. II pag. 668 in fine) coll. S. C. Consist. 10 Oct. 1910 ad 7.

(2) A. A. S. pag. 669.

(3) Cap. Wernz tom. III n. 19.

(4) S. C. Consist. 25 Oct. 1910 ad 4.

(5) Cit. Motu proprio (A. A. S. vol II pag. 669, et S. C. Consist. 17 Dec. 1910 ad 3; cfr. Vermeersch *Periodica* tom. VII pag. (5), ubi varia dubia solvit.

Prohibetur hoc art. sine gravi causa facta **lectorum ab officio amotio, vel translatio** ad alias disciplinas tradendas, utpote quae in detrimentum vertuntur studii et studentium.

269. Patres vero ad lectoratum assumpti munus sibi ab obedientia commissum prompto animo suscipiant, in ipso exercendo non propriam gloriam, exemptiones vel aliud commodum appetant, sed discipulorum suorum in solida scientia et pietate profectum ac Ordinis bonum iugiter prae oculis habeant, persuasum sibi habentes, quod officium suum bene implentes, de Ordine et sancta Ecclesia optime merebuntur, ac duplici retributione coram Deo digni evadent.

270. Ideoque discipulis suis non solum debitas scientias tradant, sed eis etiam exactae observantiae regularis exemplum praebeant, atque ita iuvenes sibi commissos secundum formam ecclesiasticam et vere franciscanam erudiant, ut bonitatem pariter et disciplinam et scientiam eos doceant.

His art. continetur **triplex ad lectores monitum,** ut scil. commissum ipsis ab obedientia lectoratum prompto animo suscipiant, cum sancto fine ac diligenti cura exerceant, ac discipulos praeeant exacta observantia regulari.

271. In legendi munere materias, minus utilibus omissis, pro singulis annis a kalendario scholastico praefixas ita doceant, ut praescripto tempore generalem totius disciplinae cognitionem studentes acquirere possint.

272. Libros textus explicandos non adoptent nisi quos cum suo Definitorio Minister provincialis approbaverit. Caeteris paribus, auctores Ordinis nostri praeferantur. Libri textus studentibus in habitualem usum relinquantur.

273. In lectionibus philosophiae rationalis et disciplinarum theologicarum lingua latina utantur, atque methodum scholasticam adhibeant.

274. In doctrinis philosophicis et theologicis scholae Franciscanae ex animo inhaerere studeant; caeteros scholasticos, angelicum praesertim Doctorem D. Thomam, catholicarum scholarum coelestem Patronum, magni faciant.

Statuuntur hisce art. quaedam **regulae generales de legendi munere exercendo** quae sunt:

a) Ut in materia seligenda ea utantur lectores moderatione, qua necessaria utilibus praeferentes generalem respectivae disciplinae doctrinam tempore praescripto tradere et explanare queant; provide proinde ordinatur, ut in unaquaque provincia exaretur, communi utique Praefecti studiorum ac lectorum consilio, kalendarium scholarum, libris textus accommodatum, in quo scholae pensum pro singulis annis unicuique lector assignetur.

b) Ut in adoptandis libris textus pro studiis philosophicis et theologis interveniat auctoritas Ministri provincialis cum suo Definitorio, nec nisi auctores ab ipso cum suo Definitorio approbatos tamquam textus suarum praelectionum adhibere possunt lectores, multo minus ipsis licet loco libri textus suas in scholis *Praelectiones* dictare, quas iuvenes scripto mandare iubeantur, nisi interdum agatur de aliquibus notulis necessariis.

c) Ut in tradenda doctrina philosophica et theologica antiquae scholae Franciscanae inhaereatur, generatim (ita tamen ut ceteros Scholasticos, angelicum prae-

sertim Doctorem magni faciant) Doctoris subtilis mentem tuendo ac sententias sequendo; imprimis enim inter omnes scholasticos utilis est ad veritatis indaginem, et mira contra hostes tam fidei quam suae doctrinae argumentorum arma ministrat Doctor subtilis; deinde eius doctrina est pia, sana, catholica, modesta, humilis et ad acuenda ingenia apprime apposita, ut proinde Lessius, in approbatione editionis Antverpiensis operum Scoti, testatur: « Nemo est qui nesciat, Scotum esse cotem ingeniorum, et limam subtilioris theologiae ac philosophiae, quae in scholis et eruditis disputationibus maxime triumphare consuevit »; tandem nulla est in Scoto propositio, quae probabilis non sit et quae faciliter defendi non possit; et quod caput est, eius doctrina, post tot saecula, Concilia, et examinationes, numquam de errore aut improbabilitate notata fuit; hinc — teste Waddingo — « non immerito Sacrae Inquisitionis generalis Romae tribunal ante annum 1620 praecepit doctrinarum et librorum censoribus, ut quidquid Scoti esse constaret intactum inviolatumque permitterent (1) ».

275. Lectoribus et Fratribus quibuscumque in virtute sanctae obedientiae prohibetur ne publice vel privatim docere, defendere vel approbare audeant doctrinam vel sententiam aliquam erroneam, suspectam, vel quomodocumque modernismum sapientem, aut bonis moribus contrariam; immo caveant, a nimia opinionum licentia, praecipue in doctrinis ad mores pertinentibus. Quapropter magis communes, magisque probatas catholicorum sententias sequi, atque sanctae Sedis Decretis ex corde se conformare omnino tenentur.

---

(1) Cfr. Kerckhove cap. 7 § 6 nn. 16-19.

Hoc art. inculcatur non solum **lectoribus** sed **et ceteris Fratribus** quibuscumque, ut **in sententiarum delectu caveant:**

a) A doctrina vel sententia censura aliqua theologica a S. Sede notata tradenda vel admittenda; praeterea prohibentur omnes, ne publice vel privatim huiusmodi doctrinam vel sententiam, docere, defendere vel externe approbare audeant, et quidem addito sanctae obedientiae praecepto.

b) A nimia opinionum licentia, i. e. ab illis doctrinis et sententiis, quae liberiores et laxiores in Ecclesia communiter habentur.

276. Tempore vacationum non concedatur lectoribus longiora itinera, recreationis causa, instituere, neque dies vacationum apud saeculares, etiam parentes, transigere.

Hoc art. statuitur servanda **norma in concedenda lectoribus recreatione,** tempore vacationum.

§ IV.

De bibliotheca et archivo et usus librorum

277. Ordinamus ut in singulis conventibus Superiores locum aliquem deputent, quem libris instruant, in commodum et usum Religiosorum, quantum eleemosynae permittunt et, habita ratione status nostri, necessarium videbitur.

Fertur hoc. art praescriptum **de communi in singulis conventibus bibliotheca instruenda,** et provida quidem ex ratione; etenim, sicuti supra (1) ex Ordinis indole ac speciali vocatione demonstratum est, scientiarum praesertim sacrarum studium in Ordine nostro necessarium

(1) Comment. ad art. 253 et 254.

est et omni ac continua Superiorum sollicitudine promovendum: « exercitium vero studii — ut notat Nicolaus III (1) convenienter haberi non potest sine usu librorum ». Exinde consequitur, ut Superiores, quibus demandatur sollicita cura pro necessitatibus Fratrum (2), debeant suis subditis providere de libris ad officiorum sui status exsecutionem moderate necessariis, possintque, in hoc notabiliter negligentes non minus peccare quam qui de aliis rebus necessariis Fratribus non provident (3). — Speciatim bibliotheca conventus studiorum, quantum seraphica patitur paupertas, praecipuam Superiorum curam postulat, ut ibi lectores libros suo muneri congruentes reperiant. — Quae cura instruendae bibliotecae impendenda accommodata sit operet fini intento, ut scil. habeantur in conventibus libri tum communi sacerdotum, clericorum et laicorum utilitati, tum etiam variis confessariorum, praedicatorum, lectorum etc. muneribus congruentes. Praeterea in delectu librorum acquirendorum non nimis dare debent Superiors proprio iudicio, sed etiam aliorum maxime intesesse habentium considerari debent sententiae ac iusta desideria. Tandem in bibliothecis instruendis ratio habeatur non tam numeri voluminum, quam solidae ac praestantis doctrinae traditae; nec ita extollantur vetera, ut inde negligantur nova, praesertim nostra aetate, qua contra inimicorum novos dimicandi modos ac nova aggrediendi instrumenta opponantur oportet novae certandi artes, nova defendendi media.

278. Bibliothecae praeficiatur idoneus Religiosus, qui librorum diligentem curam habeat, eorumque inventaria ea methodo ordinata teneat qua facilius inveniri queant, et invigilet ne libri inde extrahantur quin in relativo albo annotentur.

---

(1) In Declaratione Regulae art. 3.

(2) Cfr. cap. VI Regulae.

(3) Ita Kerckhove cap. 3 § 9 n. 1.

Statuitur hoc art., ut **in singulis conventibus habeantur bibliothecarius**, instituendus a Superiori locali, nisi Minister provincialis id sibi reservaverit. Ipsi vi muneris demandatur diligens librorum cura, ne scil. corrumpantur, neque deteriorentur, neque ullo modo pereant: in quo si fuerit negligens, pro materiae gravitate contra paupertatem delinquet: quod idem dicendum de ceteris omnibus qui in librorum usu eorumdem curam negligunt (1).

279. Guardianus cum suo Discretorio pars eleemosynarum conventus, a Definitorio determinata ad conservationem et incrementum bibliothecae, ut quotannis expendatur curet.

Provide statuitur hoc art. **quotannis pro bibliotheca expendenda eleemosynarum pars** determinata a Definitorio provinciali, quod ut fideliter fiat non solum Guardianus curare, sed et Discreti invigilare debent.

280. Illae tantum periodicae publicationes a Superioribus admittantur, quae sanam doctrinam continent et Religiosis utilitatem afferre valent. Diaria non permittantur nisi pauca, probata et in aula communi pro Sacerdotibus deponenda.

Statuitur hoc art. **norma servanda in admittendis periodicis publicationibus et diariis.** Quoad diaria speciatim praescribitur, ut deponantur in aula communi, ibidem a sacerdotibus, qui voluerint, legenda.

281. Sit in nostris bibliothecis loculus separatus, in quo libri a S. Sede prohibiti vel quovis modo periculosi caute custodiantur, et nonnisi Religiosis munitis Indulto apostolico ac de Superioris licentia legendi tradantur.

---

(1) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 9 n. 1.

Ex huius art. statuto in nostris bibliothecis **habeatur locus separatus pro libris prohibitis vel periculosis**, in quo dicti libri sub speciali clavi custodiantur.

282. Universi sive Superiores sive subditi, sub poena gravi, nullo modo vel quovis praetextu vendant sive quomodolibet distrahant libros ad bibliothecam pertinentes. Liceat tamen Ministro provinciali, annuente suo Definitorio, libros eiusdem auctoris vel argumenti alicui conventui superfluos cum libris aeque superfluis alteri conventui commutare.

Pro servanda bibliothecarum conventualium integritate fertur hoc art. statutum **de non vendendis vel quomodolibet distrahendis libris ad bibliothecam pertinentibus**, et quidem sub gravi poena infligenda: quod statutum aeque ligat tam Superiores quam subditos. — Una admittitur **exceptio** de commutandis inter domus eiusdem provinciae libris superfluis a Ministro provinciali cum consensu Definitorii: quae tamen exceptio, ex benigna huius statuti mente, videtur intelligenda non de sola commutatione stricte dicta, sed etiam de liberali concessione sub positis tamen restrictionibus facienda, praesertim domibus noviter erectis vel ceteroquin librorum pauperioribus: superflui putandi non sunt libri, quorum nullus vel rarus fit usus in tali conventu, sed illi soli qui habentur in duplo vel eiusdem auctoris vel saltem argumenti omni ratione aequivalentis. — Verum extra provinciam bibliothecarum conventualium libros etiam superfluos, vel non superfluos etiam intra provinciam quomodolibet alienare ne Minister provincialis quidem legitime potest sive cum sive absque Definitorii consensu, et huiusmodi sicuti et alia quaevis contra huius art. prohibitionem facta alienatio invalida foret, utpote facta ab auctoritate non competente.

Nota. Excommunicatio ipso facto incurrenda et Rom. Pontifici reservata lata a S. Pio V Const. *Cum sicut accepimus* 4 Nov. 1468 (1) contra quoscumque furto subtrahentes e bibliothecis Ordinis nostri librorum aliquem vel quaternum vi Const. *Apostolicae Sedis* abrogata est habenda, utpote quae non spectat internum Ordinis regimen seu — ut explicat Bucceroni comment. in praefatam Const. n. 133 — bonum spirituale Ordinis qua talis promovendum.

283. Sub poena proprietariis infligenda caveant Fratres ne sine licentia Superioris libros sibi in usum concessos, sicut alia quaecumque, extra conventum deponant vel a saecularibus conservari faciant.

Fertur hoc art. prohibitio, **ne libri aliaque quaecumque habeantur deposita extra conventum** absque Superioris licentia, qua scil. expresse conceditur huiusmodi depositio facienda. Quae prohibitio ex claris textus verbis extenditur etiam ad libros aliasve res quascumque, quibus quis utitur cum debita licentia, ita ut nec haec absque speciali licentia extra conventum deposita habere licite possint. Cui prohibitioni iure merito additur sanctio ferendae sententiae, de infligenda scil. poena proprietariorum (2), siquidem huiusmodi depositio absque speciali licentia facta repugnat paupertati et est verus actus proprietatis.

284. In Curia generali habeatur archivum Ordinis, cui idoneus Pater archivista a Definitorio generali praeficiatur; in conventu ubi residet Minister provincialis archivum provinciae ac in qualibet domo archivum conventus. In istis ar-

(1) Quae habetur Kerckhove cap. 3 § 9 n. 2.
(2) Cfr. *Constit. gener.* art. 361.

chivis omnes scripturae et documenta memoria digna ordinatim reponantur ac diligenter custodiantur ab eo cui haec cura commissa fuerit.

Praescribuntur hoc art. **archiva instruenda** tum Ordinis quum provinciarum ac singularum conventuum quae res quum sit maximi monenti plures (1) gravis peccati reum aestimant qui in commissa sibi ad archivum cura graviter negligens fuerit.

CAPUT VI.

§ I.

De rerum omnium abdicatione.

285. Ordo noster, super altissimam paupertatem fundatus, neque in particulari, neque in communi ullam proprietatem habere potest; quapropter omnes actus iuridici quoad proprietatem et usum rerum temporalium nobis sunt prohibiti; atque mendicitas eatenus nobis est imposita, ut secundum Regulam obligati simus vitam sustentare eleemosynis acceptis, sive pro praestitis a nobis laboribus, sive ex liberali benefactorum oblatione, sive ex humili mendicatione.

Substantia seu essentia paupertatis seraphicae propria complectitur expropriationem omnimodam tam in singulari quam etiam in communi, necnon necessitatem in usu rerum; sic enim habet Nicolaus III in sua Declaratione art. 5 *de usu paupere:* « in omnibus appareat in eis quod dominium omnimoda abdicatio et in usu necessitas »: de prima agitur hoc art., altera explicatur ad art. 295.

(1) Apud Kerckhove cap. 3 § 10 n. 2.

Paupertas seraphica excludit dominium etiam in communi; nam S. P. Franciscus in Regulae cap. 6 non dicit — ita Cordubensis (1) — « *Nullus Frater sibi appropriet*, « hoc enim commune est omni Religioni non habere pro- « prium in particulari, sed dicit *Fratres*, scil. in communi, « *nihil sibi approprient;* et hoc etiam innuitur ibi, ubi « dicitur *nec domum, nec locum* scil. in communi, *nec* « *aliquam rem*, scil. in particulari, ut scilicet nullam pro- « prietatem, dominium, aut ius civile omnino habeant »; quem Regulae intellectum ex unanimi et constanti Ordinis traditione docent expositores omnes, et expresse confirmarunt, affirmante Nicolao III (2), suis Declarationibus cum Gregorio IX nonnulli alii Rom. Pontifices; hinc Conc. Trid. (3) concedens « omnibus monasteriis et domibus, tam virorum quam mulierum, et mendicantium,.... ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat, « excipit domus Fratrum S. Francisci, Cappucinorum et eorum qui Minorum de Observantia vocantur ». — Exinde deducitur triplex principium fundamentale, quo paupertas nostra in praxi regitur:

1. **Mendicitas praescripta:** mendicitas autem stricte dicta intelligitur paupertatis status huiusmodi, ut quis vitam sustentet aliena beneficentia seu eleemosynis receptis sine ullo iure civili sive ex praestito labore sive ex liberali oblatione sive ex humili mendicatione: qui triplex vivendi modus in Regula providetur expresse; differt proinde mendicitas a mendicatione sicut habitus ab actu, est enim mendicatio actualis alienae beneficentiae seu eleemosynae imploratio. — Praescriptae mendicitatis ratio fundamentalis habetur ex omnimoda expropriatione; quum enim ex Regula ne in communi quidem quidquam proprii habere possimus, necesse est ut res, quibus utimur, tamquam alienas, i. e. per modum

(1) Regulae cap. 6 qu. 1.
(2) In Regulae Declaratione art. 2.
(3) Sess. 25. cap. 3 *de Regularibus.*

simplicis eleemosynae, recipiamus ac retineamus. — Actualis vero mendicatio nobis non est absolute praecepta, sed tantum relative necessaria; nam, ut scribit Victor a Cocaleo (1), mendicationem absolute praeceptam esse neque ex Regula, nec ex Constitutionibus pontificiis probari potest: contrarium potius ex Fratrum Minorum conditione eruitur. Nam per laborem sibi victum comparare possunt et debent, mercedem tamquam eleemosynam considerantes (2); et praeterea eleemosynas sponte oblatas recipere iisdem licet, dummodo quoad quantitatem aut qualitatem paupertatem non laedant. Si ergo per haec duo media vitae necessaria obtinentur, mendicatione opus non est; si autem non sufficiant, tunc in illorum supplementum mendicatio concessa, vel relative praecepta seu necessaria est (3). Hoc idem ipse S. Pater innuit, dum in suo Testamento dicit: « et quando nobis non daretur pretium laboris, recurramus ad mensam Domini petendo eleemosynam ostiatim ». Concordant Statuta generalia Iulii II, in quibus legitur: « Ubi poterunt Fratres ex laboritio spirituali vel corporali necessaria victus et vestitus habere, ab importuna mendicatione debebunt abstinere: quia secundum Regulam primum ex labore, demum ex mendicitate [mendicatione] pro eleemosyna pro defectu supplendo victitare monemus. Arguendi igitur sunt qui quaestum existimantes pietatem, soli mendicationi absque labore volunt inniti ». Patet igitur quantum a spiritu Regulae aberrent illi Superiores, qui ex praetenso motivo paupertatis seraphicae quaestuationes absque sufficienti causa multiplicant, et multo magis qui negligunt vel non curant labores praesertim spirituales in vinea Domini per subditos impendendos, et sic privati eleemosynis exinde provenientibus coguntur ad instituendas, cum populi gravamine et scandalo, plurimas quaestuationes.

---

(1) Apud Albertum a Bulsano § 97.

(2) Cfr. Regulae cap. V.

(3) Quatenus scil. requiritur ad sublevandas necessitates Fratrum.

Ex praescripta nobis mendicitate variae pro praxi deducuntur, docente Clemente V in sua Declaratione, prohibitiones, speciatim de haereditatibus non acceptandis (cit. Declar. art. 9), — de redditibus et possessionibus non habendis (cit. Declar. art. 10), — de non habendis vineis, vel etiam hortis excessivis, ut colantur, ac olera et alia hortalitia pretio distrahantur (cit. Declar. art. 13), — de non habendis granariis et cellariis, nec etiam faciendis aliis provisionibus, nisi in casu necessitatis ex iam expertis comprobatae (cit. Declar. art. 14 (1). — Item iuxta expositores, non licet nutrire animalia, puta, gallinas, oves, porcos, vaccas etc., quasi ad fructificandum vel vendendum, nec etiam, saltem si habitualiter nutriantur et in maiore numero, ad proprium usum, ut scil. exinde pro opportunitate habeantur ova, carnes, lac, idque sive fiat per ipsos Fratres, sive per saeculares(2); accedit enim huiusmodi praxis ad naturam redditus vel saltem sapit provisionem contra mendicitatem nobis praescriptam. Et licet, iuxta Marchant (3) cum nonnullis, « non sit per se illicitum nutrire unum porcum aut alterum, unum bovem, unam ovem aut alteram ad mactandum ad aliquod tempus, pro aliquo sublevamine rationabili vel congrua necessitate... »: in praxi tamen pro viribus omnino vitandum, nisi ex circumstantiis adsit vera necessitas saltem moralis (4). Imprimis enim huiusmodi praxis aliquatenus saltem contraria videtur strictae mendicitati. Deinde in prima Regulae redactione (5) S. Pater ita loquitur: « Iniungo omnibus Fratribus meis....., quod nullo modo apud se, nec apud alium et aliquo modo bestiam aliquam habeant »:

(1) Cfr. Marchant cap. 6, textu 2 qu. 1 et 3.

(2) Cfr. Marchant in cap. 6 Regulae tit. *de redditibus et mendicatione* qu. 1 dub 3 Resp. 2.

(3) Loc. proxime cit. Resp. 1.

(4) Sicuti adesse videtur v. g. pro conventu sito in loco solitario, ubi pro opportuno usu lac, vel ova nova pro infirmis ab aliis facile haberi non possunt.

(5) Cap. 15·

porro ad cognoscendam S. Patris mentem plus valere videtur prima Regulae redactio, quam unius alteriusve expositoris sententia. Tandem ex praedicta praxi late patere videtur porta abusibus contra altissimam nostram paupertatem: siquidem si generatim licet habere animal unum vel alterum, quare in conventibus magnis non liceret addere tertium vel quartum; — et si licet habere ad tempus, quare non liceret uno sublato statim substituere aliud similiter ad tempus et sic deinceps, ita ut habeantur habitualiter; — si licet, habere, quare non liceret procurare emendo vel etiam fructificando? Qui abusus ut praepediantur, etiam hac in re tenenda videtur norma, quam Clemens V statuit pro habendis granariis vel cellariis, scil. animalium nutritio in conventibus non fiat nisi sit « multum credibile, ex iam expertis, quod non possent vitae necessaria [in casu carnes, lac, ova etc.] aliter inveniri ».

2. **Actus iuridici prohibiti.** Tales autem actus iuridici quinque a theologis recenseri solent: dominium, quod est facultas disponendi de re tamquam sua ad omnem usum lege non prohibitum; possessio, quae est facultas insistendi rei tamquam suae; proprietas, quae addit supra dominium et possessionem, quod rei dominus secum parem non habet in possidendo et disponendo; ususfructus, qui est ius utendi et fruendi rebus alienis harumque fructibus, salva tamen rerum substantia: usus iuris, qui est facultas seu ius rebus alienis utendi tantum(1); quibus actibus adiungendi sunt omnes contractus stricte dicti. Ratio prohibitionis in his omnibus est, quia Fratres Minores ratione expropriationis omnimodae cuiuscumque iuris circa rem temporalem, sive habendi, sive recipiendi, sive transferendi, sunt incapaces.

Contractus, qui Fratribus Minoribus vi professionis prohibentur, intelliguntur, ut dictum est, stricte dicti,

(1) Cfr. Albertus a Bulsano *Expositio Regulae FF. Minorum* (Ed. a. 1889) § 75.

quatenus scil. civilem pariunt obligationem; hinc omnis in contractibus actus, qui nullum dicit obligationem civilem vel proprietatem, nec includit pecuniae usum, Fratribus Minoribus est licitus (1). Possunt proinde Superiores et alii Fratres de eorumdem licentia in rebus procurandis sine obligatione ulla civili pretium aestimare, de pretio iudicio naturali convenire, necnon fidelitate naturali se obligare ad procurandam per media licita solutionem (2); item in rebus (3), quarum dominium ad Ecclesiam Romanam pertinet (4), ex concessione Nicolai III fieri potest de auctoritate Superiorum, ideoque sine ullo syndici interventu, naturalis permutatio, tum intra tum extra Ordinem (5); item possunt Fratres Minores cum debita a Superioribus dependentia commodare, commodata accipere aliaque inire pacta seu conventiones, quatenus dicunt solam fidelitatem aequitatemque naturalem exclusa omni obligatione civili (6).

3. **Solus simplex usus facti licitus,** quo scil. Fratres Minores re temporali, qua iuxta professionem suam uti possunt, utantur sine proprietate et sine ullo iure civili: « duplex — ita Doctor seraphicus — est usus rerum. « Quidam enim utuntur rebus auctoritate propria, ut do- « mini; quidam aliena, ut servi, quia, ut dicit lex (ff *de* « *peculio*), vestis, qua utitur servus, est de peculio do- « mini.... In usu ergo illorum, qui sua auctoritate utun- « tur rebus huiusmodi, non differt usus a dominio; in usu « autem aliorum differt. Quia ergo Fratres Minores pro

---

(1) Cfr. Marchant. cap. 6 text. 1 tit. 30 quaest. unica, et ex eo Kazenberger cap. 6 qu. 3 *Notandum.*

(2) Cfr. Marchant loc. cit..

(3) Exceptis tamen immobilibus, et mobilibus pretiosis; cfr. dicenda ad art. 286.

(4) In rebus, quarum dominium est apud dantem, requiritur eiusdem consensus expressus vel rationabiliter praesumptus, si expressus commode haberi nequit.

(5) Cfr. Marchant cap. 6 text. 1 tit. 3 quaest. 5.

(6) Cfr. Marchant loc. cit. quaest 7.

« Christo serviles effecti sunt, utuntur rebus, quas usu « consumunt, nec tamen eis dominantur: et in hoc ipsum « Dominum imitantur, qui cibo vescebatur alieno in alienis « domibus continuo hospitando ». — Qui usus praeterea debet esse in exercitio dependens a voluntate legitimi Superioris, ac in obiecto moderatus, considerata paupertatis seraphicae iuxta varias personarum et locorum aliasque circumstantias exigentia, exclusa quavis superfluitate, pretiositate ac curiositate.

286. Quoties rationabiles temporum et locorum circumstantiae exigant ut bona mobilia vel immobilia vendantur, id fieri nequit nisi de legitima Superiorum licentia et per syndicum apostolicum, atque si agatur de bonis mobilibus pretiosis vel immobilibus, nonnisi impetrato S. Sedis beneplacito.

Definitur hoc art. **modus legitimus res mobiles vel immobiles pro opportunitate vendendi**, qui modus requirit duas conditiones servandas:

a) Ut venditio nonnisi per syndicum apostolicum fiat: venditio autem intelligitur, qua alicuius rei dominium et proprietas in alium transfertur, accepto pro illa pecuniario pretio; huiusmodi enim venditionis, utpote actus iuridici, Fratres Minores ex dictis (1) omnino sunt incapaces, eoque magis quod in casu intervenit pecuniae receptio. — Possunt tamen Superiores concurrere ad venditionem per syndicum faciendam, non solum rogando syndicum ut vendat, sed etiam rem vendendam naturali iudicio aestimando (2), minime autem possunt Superiores sine syndici interventu rem aliquam per se vel per alium alienare, sive intra sive

(1) In commentario ad art. 285 sub 2.
(2) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 3. n. 19.

extra Ordinem, pro pretio pecuniario, quasi naturali tantum iudicio aestimato, quum hoc sit pecuniam per se vel per alium recipere.

Porro huiusmodi venditio a syndico iure fit nomine Romanae Ecclesiae seu Rom. Pontificis, ex cuius delegatione syndicus omnes res, tam mobiles quam immobiles, quae Fratribus utiles esse desinunt, aestimato pretio vendere, et pretium in alias res Fratribus necessarias vel utiles impendere potest (1): notandum tamen, hanc delegationem restringi ad res, quarum dominium ad Romanam Ecclesiam pertinet; si enim agitur de re cuius dominium donans sibi servavit, haec ex sola eiusdem voluntate et auctoritate vendi potest, ita ut aestimatio rei et translatio dominii in ementem, sicut et receptio pretii pecuniarii eiusque expensio per ipsum rei vendendae dominum vel alios quoslibet ab ipso substitutos fiat.

b) Ut venditio bonorum immobilium vel mobilium pretiosorum nonnisi impetrato beneplacito apostolico fiat.

Haec conditio servari debet ex lege canonica (2), quae a Pio IX Const. *Apostolicae Sedis* confirmata, sublatis quibuscumque generalibus privilegiis vel consuetudinibus etiam immemorialibus, ubique vigere dicenda est (3); ex cuius legis violatione cum gravis culpae reatu obligatio contrahitur restitutionis, atque excommunicatio nemini reservata ex praefata Pii IX Const. (Series IV n. III) incurritur. — Porro ex lege canonica servanda est praedicta conditio non solum in venditione, sed etiam in donatione, permutatione, et generatim in omni

---

(1) Cfr. dicta in comment. ad art. 235 *syndici apostolici officia;* Marchant in cap. 6 text. 1 tit. 3 qu. 3 conclus. 4; Kerckhove cap. 3 § 3 n. 20.

(2) Cfr. c. unic. *(Ambitiosae) de rebus Eccles. non alien.* in Extrav. commun. III. 4.

(3) Cfr. S. Officium 22 Dec. 1880 in Collectan. S. C. de Propag. Fide n. 1633.

actu, quo alicuius rei dominium vel transfertur ad alterum, vel concesso iure in re diminuitur. — Ab hac conditione servanda excipitur alienatio, quae fit ex necessitate iuris, quales imprimis sunt casus rei immobilis donatae vel legatae Ordini nostro Fratrum Minorum, et Cappucinorum, utpote cui bonorum immobilium (exceptis conventibus cum adnexis ecclesiis et moderatis hortis) ne usus quidem ex Regula est permissus; item casus rei donatae vel legatae cum iniunctione eamdem alienandi; dein, saltem ex sententia probabili, casus rei donatae vel legatae cum licentia eamdem alienandi; tandem casus plane extraordinarii, ubi periculum est in mora, et propter urgentem necessitatem recursus ad Rom. Pontificem fieri nequit (1).

Quaenam bona pretiosa sint censenda multum dependet a circumstantiis praesertim loci: pluribus DD. recentioribus pretiosa videntur bona, quae valorem 500 libellarum seu francorum notabiliter superant, imo Battandier (consultor S. C. Episc. et Regul.)(2) exigit valorem 1000 libellis seu francis maiorem. Ut autem habeatur norma omnino definita, a Sede Apostolica pro singulis regionibus expetenda erit hac super re opportuna declaratio (3). — Tandem cavendum hic monent DD. a fraude, qua res, quae unum totum constituit et pretiosa est, in partes non pretiosas distributa alienetur absque beneplacito apostolico.

287. Fratri, sub proprietarii poena, non licet res usui suo destinatas distrahere, donare, alienare, commutare, absque licentia Superiorum, neque quidpiam ut proprium possidere.

---

(1) Cfr. Collectanea S. C. de Propag. Fide nn. 1625 et 1626.

(2) *Guide canonique* etc. n. 261.

(3) Cfr. Conc. plenar. Americae Latinae n. 870.

Inculcatur hoc art., sub proprietarii poena (1), ut **evitetur quaevis in usu proprietas** (2). Porro proprietas in usu committi potest duplici modo (3):

a) Rem ut propriam possidendo; rem ut propriam possidet, non solum qui sine debita licentia quidpiam sibi accipit et retinet, sed etiam qui rem primitus cum debita licentia acceptam retinet ultra tempus concessum, multo magis qui eamdem occultat, ne a Superiore auferatur (4), similiter qui casu quo Superior aliquid auferre intendit, ita obmurmurat et tales interponit querelas, ut ipse rem auferre non audeat (5).

b) Re uti propria utendo: re uti propria utitur non solum qui de re ipsa, ex debita licentia ad usum obtenta, distrahendo seu vendendo, donando, aliove modo alienando, vel etiam commutando proprio marte disponit, sed etiam qui eamdem rem insumit in usum a Superiore non permissum, vel consumit usu superfluo et immoderato, vel culpabili negligentia perire sinit, vel proprio arbitrio commodato vel mutuo dat aut accipit; item qui in rerum administratione vel dispensatione sive largius sive parcius procedit, quam scitur esse ex voluntate Superioris (6).

Speciatim in faciendis aut permittendis donationibus Superiores attendant ad Clementis VIII Const. *Religiosae Congregationes* 19 Iun. 1594 coll. Urbani VIII Const. *Nuper a Congregatione* 16 Oct. 1640 (7) de munerum largitione, et peculialiter in Ordine nostro

---

(1) Cfr. Constit. Genlium art. 361.

(2) Cfr. Marchant in cap. 6 Regulae tit. 2 *de proprietate in usu simplici rerum* qu. 1.

(3) Cfr. Vermeersch *de religiosis* (Ed. 2) tom. I n. 255 sqq.

(4) Secus si res occultatur ex alio fine, v. g. ne alii eamdem importune videant, vel ne Praelatus inferior illo qui permisit petat revocationem facultatis, nisi hoc pacto venia existimetur data, ut nihil Superiori immediato sit clausum. Cfr. Vermeersch opere cit. n. 256, 8.

(5) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 5 nn. 9 et 10.

(6) Cfr. Vermeersch opere cit. n. 256; Lehmkuhl *Theol. moralis* vol. I n. 528.

(7) *Monumenta* pag. 115 sqq.; cfr. Vermeersch n. 282.

ad concessionem Nicolai III in sua Declaratione art. 13 de largitione vilium. Iuxta hanc pontificiam dispositionem ex bonis quorum dominium ad Rom. Ecclesiam pertinet(1), donari non possunt nisi res viles mobiles vel parum valentes, prout de huiusmodi vilitate in generali vel provincialibus Capitulis fuerit ordinatum, insuper requiritur ut donationes fiant devotionis intuitu vel pro alia honesta et rationabili causa, puta gratitudinis (2).

Notandus est hic abusus, quo in transmigrando ex uno conventu ad alium integrae quasi bibliothecae, ac aliarum rerum nonnumquam plures sarcinae in perpetuum et exclusivum usum transferuntur, ita ut potius hominis in bonis constituti, quam pauperis Fratris Minoris transmigratio videatur: quo in negotio includi rei ut propriae possessionem vel usum hoc art. reprobata, nemo est qui non intelligat. — Sciant ergo Fratres se veros esse proprietarios, qui in transmigrando absque debito Superioris in translationem consensu, praeter (generatim loquendo) propria manuscripta, res quascumque, etiam in proprium usum concessas, secum absportant; nec ipsis favet obtenta huiusmodi rebus utendi licentia, quia haec certo certius per se restringitur ad tempus quo degunt in tali conventu, ad quem de cetero huiusmodi res pertinent (3), unde etiam res absque debito consensu absportatae tali conventui restitui debent; idem dicendum de iis, qui obmurmurando et obloquendo Superioris inviti consensum extorquent. — Nec excusandi sunt Superiores, sive locales sive provinciales, qui praefatum abusum pro viribus non impediunt, et multo minus qui sua conniventia, vel etiam concesso formali in huiusmodi immoderatas translationes consensu talem abusum promovent; talis enim agendi ratio providum huius art. statutum infringit, ac

(1) Si res donanda non pertinet ad Rom. Ecclesiam, sed ad alium, ipsa donari non potest nisi ex ipsius domini licentia et voluntate, saltem rationabiliter praesumpta, quando expressa commode haberi non potest.

(2) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 5 n. 12-15.

(3) Cfr. art. 294.

vergit in paupertatis destructionem (1). — Sed etiam minime approbanda est praxis illorum Superiorum localium, qui, ut omnia suo conventui retineant, consensum praestare nolunt in moderatas illas rerum translationes, quae consideratis peculiaribus circumstantiis omnino rationabiliter a Fratribus expetuntur; quibus proinde in casu legitimus patet ad Praelatum maiorem recursus.

288. Etsi syndicus apostolicus, nomine S. Sedis, exigere etiam in iudicio queat debita quibus in bonis temporalibus usui Fratum concessis aliquis gravatus sit, caveat tamen Superior vel syndicus ne rerum temporalium causa aliquis vexetur, sed in iisdem exigendis media mansuetudini evangelicae decentiora adhibeantur.

Prohibetur hoc art., **ne quispiam vexetur,** etiam a syndico apostolico nomine S. Sedis, **ratione alicuius debiti alteriusve rei temporalis.** Licet autem ex concessione Rom. Pontificum (2) debita aliasve res temporales, etiam pecuniarias, exigere et repetere possit syndicus, tam intra quam extra iudicium, secluso omni concursu vel cooperatione ex parte Fratrum (3), tamen vi huius art. hoc iure meritoque prohibetur, ne exinde contra Ordinem et Fratres sinister oculus praesumi possit.

§ II.

De communis vitae ratione et rerum usu.

289. Vita communis ubique et ab omnibus observanda est. Hinc ubi viget sartam tectamque tueri diligenter curent Superiores; sicubi vero de-

(1) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 5 n. 11.
(2) Cfr. dicta in commentario ad art. 235, 2 *b*).
(3) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 3 nn. 25-29.

sideratur, Provincialibus ac Guardianis mandamus ut, amotis offendiculis ad excusandas excusationes in peccatis, omnibus adhibitis prudentiae et religiosae fortitudinis mediis, eam introducere satagant in omnibus et per omnia perfectam; secus facientes severe puniantur.

Inculcatur et praecipitur hoc art. **perfectae vitae communis observantia,** et provida quidem ex ratione; etenim « regularem observantiam ob id potissimum collabi dignoscitur, quod perfecta vita communis, quam sancti regularium Ordinum Institutores suum veluti aedificium veteri Ecclesiae disciplinae superexstructum voluerunt, et a suis sectatoribus servari mandarunt, penes plures religiosos Ordines in desuetudinem abierit. Ubi enim ab designato a sanctis viris perfectionis tramite deflecti contingat, paulatim a vero eorum spiritu et a primaevo instituto cum magna disciplinae iactura desciscitur » (1).

Perfecta vita communis consistit in eo' « ut bona quaecumque, reditus, emolumenta, aliaque omnia quae quovis titulo Religiosis obveniant in usum religiosae familiae plene conferantur, et ipsum victum, vestitum aliaque necessaria a conventu in communi accipiant, Superiores nihil quod sit necessarium Religiosis denegent, et Religiosi nihil quod sit superfluum exigant » (2). Hinc apud nos abolitus ac prohibitus est omnis usus cuiuscumque peculii, etiam imperfecti seu a Superioris auctoritate dependentis: ratio peculii habetur, quando pecuniaria eleemosyna, etiam ex proprio labore sive ex personali dono proveniens, alicui Religioso, licet omnino revocabiliter, concedatur, ut eamdem in proprios parvos usus, determinandos proprio arbitratu, convertat, etiamsi huiusmodi pecunia apud syndicum vel substitutum deposita ha-

(1) Conc. Vatic. *de Regularibus* 3 Schema in prooemio.
(2) Cit. Schema cap. 1.

beatur, et per ipsum expendatur. Nec refert, utrum huiusmodi concessio fiat in perpetuum vel saltem habitualiter et pro pecunia indeterminata, an vero tantum ad breve tempus et pro determinata pecuniaria eleemosyna (1). — Aliter dicendum videtur de concessione utendi in certos fines licitos, a Superiore in singulis casibus diiudicandos et permittendos, eleemosyna pecuniaria apud syndicum vel substitutum deposita et per hunc expendenda, siquidem Superior, diiudicando et permittendo usum in singulis casibus, censetur ipse subditi ministerio rem procurare; nec hoc adversari videtur illi praescripto, quo omnes proventus conventui incorporari debent (cfr. art. 294), siquidem res praefato modo in usum particularem concessae moraliter censentur incorporatae conventui. Ast quominus absque peculiari causa passim talis concessio fiat, prohibet bonum Ordinis, imo et paupertatis, maxime altissimae seraphicae, perfectio (2).

290. Praeterea sciant Ministri provinciales quod, iuxta praescripta S. Sedis Apostolicae, si in propria provincia vita perfecte communis non vigeat, se omni facultate recipiendi ad habitum et professionem eo ipso exspoliatos esse et fore.

Statuitur hoc art. **perfectae vitae communis observandae sanctio specialis,** vi cuius omnes et singulae provinciae, in quibus perfecta vita communis de iure et de facto non viget, iure admittendi ad Ordinem carent, ita ut professio in huiusmodi provinciis forsan emissa de iure sit invalida, deficiente legitimo ex parte Ordinis consensu.

---

(1) Cfr. Vermeersch *de religiosis* (Ed. 2) tom. I nn. 273, 274 et 276; Marchant in Regulae cap. 6 tit. 2 *de proprietate in usu simplici rerum* qu. 2 Conclusio I et II.

(2) Cfr. Marchant in Regulae cap. 6 tit. 2 qu. 2 praesertim Conclusio III; Vermeersch tom. I n. 276, 3 et 275, 3.

291. Omnes, tum subditi, tum Superiores, quorum exemplo maxime regitur atque stat regularis observantia, in victu, vestitu ac caeteris ad vitae usum pertinentibus communiter vivant, nec ulla differentia inter Fratres sit, vel unus aliis praeferatur, nisi prout probatae necessitatis fraternaeque charitatis ratio suaserit. Qui in choro, mensa, vestibus aliisque communem vivendi rationem habitualiter non servaverit vel servare nequiverit, ad Ordinis officia et dignitates non promoveatur.

Ponitur hoc art. duplex punctum maximi momenti, ex quorum utriusque stricta observantia quam maxime dependet regularis disciplinae conservatio et Ordinis bonum ac decus.

1. Declaratur **perfectae vitae communis intellectus,** qualis in Ordine nostro omnibus et singulis, tam Superioribus quam subditis, servanda praescribitur. Huiusmodi autem intellectus est, ut inter Ordinis membra, cuiuscumque superioritatis, dignitatis, vel praeeminentiae in Ordine sint aut extra Ordinem fuerint, nulla, morali sensu, in victu, vestitu, suppellectili etc. intercedat differentia, nisi in quantum alicuius ex infirma valetudine necessitas, utique accommoda, vel fraterna charitas, praesertim in hospitibus, aliter suaserit.

2. Statuitur **impedimentum promotioni ad Ordinis officia et dignitates ex non servata perfecta vita communi,** qualis in priore huius art. parte fuit definita, idque iure meritoque; nulla enim efficacior est causa destructionis vitae communis, quam si nec ipsi Superiores ceterique officiales vitam communem servant; hinc licet dispensati a vita communi, de cetero haberent omnem ad Ordinis officia et dignitates idoneitatem, tamen ad maius malum et Religionis dispendium praecavendum, satius est ab iisdem tales impedire et amovere, quam eorum exemplo cum vita communi destruere regularem observantiam,

imo et ipsam Religionem; « vitam communem si tollas, — ita scribit Kerckhove (1) — Religionem sustulisti: tolle vitam communem, et Religio non religio, sed confusio est, non status perfectionis sed damnationis ».

Hoc impedimentum tangit, ex dissertis huius art. verbis, omnes et singulos vitam communem *de facto* habitualiter non servantes, saltem in aliquo puncto notabili, sive eiusdem observantiam sine sufficiente ratione detrectant, sive ab eadem servanda ex rationabili causa sunt excusati, et quidem non solum promovendos, sed — uti videtur — etiam promotos; eadem enim omnino quae pro illis, extat et pro his ratio. Hinc qui iam promoti, ex causa legitima, v. g. supervenientis infirmitatis, a vita communi excusantur, etiam ab officio excusari seu arceri debent, nisi in proximo affulgeat spes revalescentiae et firmae valetudinis ad communem vitam sequendam (2). Concordant antiqua Ordinis Statuta: ita in Capitulo Romano an. 1612 tit. *de Praelatis* ordinatur sic: « Cum observantia regularis ex Praelatorum « exemplo maxime pendeat, praecipitur Praelatis, ut com- « munem vitam agant in choro, refectorio, victu et ve- « stitu, quos omnes admonet Capitulum generale sine re- « missione puniendos privatione officiorum et ad alia in- « habilitatione, iuxta Litteras Apostolicas et Statuta ge- « neralia, atque ita praecipitur, ut nullus possit eligi in « Praelatum, qui communem vitam in praedictis agere « non possit; electi vero, in quibus non fuerit spes roboris « et firmae valetudinis intra quinque menses post electio- « nem recuperandae ad communem vitam sequendam, ar- « ceantur ab officio » (3).

Officia et dignitates intelliguntur, imprimis non solae praelaturae stricte dictae, sed omnia et singula, quae enumerantur art. 396, utpote quae ibidem

(1) Cap. 4 § 2 n. 1.
(2) Cfr. Kerckhove cap. 4 § 2 n. 2.
(3) Apud Kerckhove cap. 3 § 11 n. 29.

designantur in Ordine comprehensa generali officiorum denominatione, ita ut qui iisdem funguntur ex iure nostro particulari stricto sensu sint officiales Ordinis. — Hisce in hac materia aequiparanda videntur officia magistri novitiorum eiusque socii, magistri iuvenum; etenim et hi positi sunt in quadam superioritate, ex qua eorumdem exemplum specialem in alios, praesertim ipsis subiectos, habet influxum, proindeque si non ex stricto huius art. sensu, saltem ex eiusdem mente etiam ipsis in praxi applicandum videtur praefatum impedimentum.

292. Meminerint Regulae nostrae professores, de rebus sibi ad usum necessariis non per alios quam per Superiores providendum esse; hisce enim de huiusmodi necessitatibus, pro locorum, temporum et personarum conditionibus, iudicium est commissum. Itaque eisdem subditi ultro aperiant necessitates suas, et per modos Regulae consentaneos congruam provisionem humiliter et patienter exspectent.

Inculcatur hoc art. prohibitio, **ne subditi per alios quam per Superiores de rebus ad usum necessariis sibi provideant**. Quae prohibitio duo importat:

1. Imprimis ne rerum usus licitus vel illicitus definiendus relinquatur arbitrio subditorum, sed in singulis casibus Superiorum iudicio est determinandus, iuxta Declarationes pontificias (1). Et recte quidem; quum enim non sit facile discernere, quinam usus sit moderatus, facile irreperet abusus contra altissimam nostram paupertatem, si subditi permitterentur sequi suum ipsorum in rebus utendis iudicium. Quae sua auctoritate confirmans S. Bernardinus scribit (2): « Per subditos non potest, nec debet iudicari [moderatus rerum usus],

(1) Cfr. Nicolai III Declaratio art. 5 *de paupere usu* n. 2.

(2) Apud Kerckhove cap. 3 § 5 n. 16.

sed per Ministros, vel eos quibus ab ipsis committitur, qui de talibus secundum eorum conscientias debent discrete iudicare et disponere, ut patet in Declaratione Nicolai III » (1).

2. Ne subditi ipsi sibi procurent, praesertim per saeculares, res, etiam necessarias iudicatas, absque debita Superiorum licentia, saltem vere rationabiliter praesumpta. Licet autem huiusmodi procurationes absque licentia factae (excepto semper casu recursus) voto paupertatis stricte opponi non videantur nisi ex voluntate utendi vel ex ipso usu independenti a Superioris voluntate, tamen iure meritoque hoc art. universim prohibentur, tum quia contrariae videntur menti saltem Regulae et Declarationum pontificiarum, tum praesertim quia occasionem praebent, ut in rebus utendis altissima status nostri paupertas laedatur et plures introducantur abusus.

Hinc suo officio desunt et facile peccare possunt Superiores, non solum qui nimis facile ac sine discretione usum rerum suis concedant subditis, sed etiam qui sua in rebus suis subditis procurandis negligentia, vel nimia conniventia favent privatis subditorum procurationibus. Concordat Nicolaus III in sua Declaratione (2), ubi, postquam dispensationem usus rerum Fratribus concessarum dispositioni Superiorum relinquit, statim restringit hisce verbis: « Ista tamen sic faciant, quod semper in eis et eorum actibus paupertas sancta reluceat, prout ipsis ex eorum Regula invenitur indicta ». Quod non servant qui indeterminate licentias procurandi concedunt: et haec fuit causa totalis pene ruinae in Religione nostra, dum cuiuslibet voluntati servitur, et cuilibet sua particularis provisio relinquitur (3).

---

(1) Cfr. dicenda hoc art. sub 2.

(2) Art. 5 *de paupere usu*.

(3) Cfr. Marchant in Regula cap. 6 textus 1 tit. 2 quaest. 2, praesertim conclusio 2.

293. Superiores autem in huiusmodi ferendo iudicio Regulae studiosi sint, et paupertatis quam profitemur statum perpendentes, de communibus eleemosynis, quantum per facultates licuerit, ita omnibus provideri curent, ut neque superflua permittantur, neque necessaria denegentur. Quinimo eosdem hortamur ut, humanae infirmitati compatientes, Fratres suos publice vel privatim interdum moneant ut sibi proprias necessitates aperire velint.

Agitur hoc art. **de cura a Superioribus adhibenda in providendis rebus** suis subditis tam in particulari quam in communi (1). Quae cura talis sit oportet:

1. Ut neque superflua permittantur, neque necessaria denegentur. « Mobilium vero usum — ita statuit Conc. Trident. (2) — ita Superiores permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniant, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur ».

Imprimis Superiores tenentur invigilare, ne Fratres quid superfluum habeant, quo paupertatem, quam professi sunt, violent; « non enim omnium rerum usum habere debent, ut dictum est, ad ullam superfluitatem, divitias seu copiam quae deroget paupertati... » (3). Hinc Superiores peccant, qui, in quantum possunt, non nituntur usus superfluos a Fratribus vitari; causa enim sunt quod relaxetur paupertas, qua destructa, non potest non corruere totum Religionis aedificium. Unde S. Bonaventura inter causas, ex quibus splendor nostri Ordinis obscuretur, Ordo exterius inficiatur, et nitor conscientiarum interius defoedetur, recenset, quod Fratres paucis nolint esse contenti. Et epist. ad quemdam provincialem Ministrum idem

(1) Cfr. comment. in art. 234.
(2) Sess. 25 cap. 2 *de Regularibus*.
(3) Nicolaus III in sua Declar. cit. art. 5.

Doctor seraphicus scribit: « Quoniam paupertas est nostrae Religionis praerogativa sublimis, ne nobilis haec margarita conculcanda viliter exponatur..., sumptuositatem aedificiorum librorumque, vestium ac ciborum sic studeas amputare, quod a professionis excellentia vitae observantia non discordet: foedum est enim profanumque vitae mendacium, summae paupertatis voluntarium professorem se asserere et rerum penuriam pati nolle, interius divitum instar affluere et exterius more pauperum mendicare ». — Nec excusantur a paupertatis laesione subditi, qui superflua retinent etiam de licentia suorum Superiorum; quum enim in illa licentia concedenda excedant Praelati suae potestatis limites, ipsa non est vera licentia, utpote irrita et nulla, proindeque perinde est, ac si absque licentia huiusmodi rebus uterentur (1).

Speciatim notandus est abusus in habendis et retinendis in cella libris superfluis: superflui autem merito dicendi sunt libri quibus utendi rara omnino occurret occasio, qui proinde serviunt potius ad vanam scientiae ostentationem quam ad usum in studio necessarium.

Sollicita etiam vigilantia Superiores satagant impedire, quominus cuiusvis generis vestimenta, etiam mutationis causa, sive sint habitus sive tunicae sive femoralia sive alii panni, ultra sufficientiam circumstantiis convenientem (non proprio sed Superiorum iudicio determinandam), tam in loco communi quam secum in cellis reposita Fratres in usum proprium habeant, exinde ne in vestimentorum usu proprietas introducatur, iisdem tamquam propriis promiscue, more saecularium, utendo, neve contra altissimam paupertatem nostram eadem superflua retinendo ad usum superfluum adhibeantur. — Ad haec tamen notandum, sanitatis, munditiei ac valetudinis rationem omnino postulare, ut vestes praesertim interiores ad exclusivum unius eiusdemque Fratris usum destinentur ac distribuantur; qua in re

(1) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 5 n. 4.

nequidem vel minima habetur contra altissimam nostram paupertatem imperfectio, dummodo Fratres nullam in vestes ad usum sibi destinatas proprietatem praetendant, nec tamquam domini de iisdem in usu disponant, sed in dependentia a Superioribus iisdem simpliciter utantur. Valde autem reprehendendi forent Superiores, qui subditum invitum obligarent ad vestes interiores alterius fratris induendas; fierent enim non semel pacis perturbatores ac se ostenderent imprudentes administratores, siquidem maxima consideratione digna est subditi hac in re repugnantia (1).

Deinde Superiores obligantur providere, ne subditis aliquid, quod necessarium sit denegetur. Hoc cum Conc. Trident. praecipit Clemens VIII in Decreto *Nullus* pro Regularium reformatione n. 8 (2). Idem postulat et recta ratio; quum enim Fratres omnia pro Deo reliquerint, et vi paupertatis nihil sibi, invitis Superioribus, in usum procurare valeant, et tamen iuxta exigentiam sui status vivere cogantur (quod sine eis, quae sibi necessaria sunt, complere non possunt), consequitur, ut Superiores locales, quibus Fratrum cura committitur, de necessariis iisdem providere teneantur. Quae obligatio sub peccato mortali illos adstringit, quia rem maximam gravissimamque concernit; nisi enim id observetur, vita communis destruetur, dum quisque sibi sub titulo necessitatis a particularibus amicis procurabit, quae sibi necessaria putabit, et sic unus abundabit, et alter egebit, et observantia Regulae in puncto gravissimo paupertatis destruetur: quod Superiori hac in re negligenti imputabitur (3). — Notandum autem, hac in re non intelligi necessitatem extremam vel gravem, ita ut sine rei usu vita sustentari, vel officium impleri aut nullatenus, aut saltem sine ma-

---

(1) Cfr. Alb. a Bulsano *Expositio Regulae* (Ed. novissima) § 30 n. 4 cum nota.

(2) Cfr. *Monumenta* pag. 131. in fine.

(3) Cfr. Kerckhove cap. 3. § 5. n. 6.

gno incommodo non possit, sed sufficere necessitatem accommodam, quae ex certis circumstantiis facit ut usus alicuius rei sit valde conveniens seu rationabilis (1), siquidem ex Declarationibus pontificiis (2) necessariarum rerum tam ad vitae sustentationem, quam ad officiorum sui status executionem, secundum Regulam et veritatem omnimodam, praescriptus nobis est usus, non arctus et pauper (nisi in expressis in Regula), sed moderatus tantum.

2. Ut rerum necessariarum usus moderatus diiudicetur ac definiatur iuxta statum altissimae paupertatis, quam profitemur, consideratis tamen variis personarum, temporum ac locorum circumstantiis.

Imprimis usus moderatus diiudicandus et definiendus est non absolute, sod secundum exigentiam paupertatis respectivae Religionis seu Ordinis, uti docet Conc. Trident. in textu sub 1 relato. Hinc in concedendo rerum usu Superiores nostri attendere debent, statum paupertatis nostrae non esse similem statui aliorum Ordinum, sed esse statum altissimae paupertatis et profundissimae humilitatis, ita ut usus rerum, qui aliis Religiosis moderatus et congruus sit dicendus, nobis Fratribus Minoribus sit saepe superfluus et inconveniens (3). Ad quod advertant etiam subditi, ne praetextu necessitatis exquirant a Superioribus, quae statui nostro non conveniant, ipsique saepius recolant superius allata seraphici Doctoris verba, « foedum esse profanumque vitae mendacium, summae paupertatis voluntarium professorem se asserere, et rerum penuriam pati nolle ».

Deinde moderatum rerum usum cum discretione disponant Superiores « secundum exigentiam per-

---

(1) Cfr. Alb. Bulsano, *Expositio Regulae* § 86 n. 1.

(2) Cfr. Declar. Nicolai III. art. 3 et 5, coll. Declarat. Clementis V. art. 18.

(3) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 5 n. 5.

sonarum, temporum et locorum»: «quum interdum personarum qualitas, temporum varietas, locorum conditio et nonnullae aliae circumstantiae plus minusve, ac aliter provideri requirant», uti habet Nicolaus III in sua Declaratione cit. art. 5. Et sane personae infirmae, debili, vel seni plura necessaria reputari possunt, quae aliis vere superflua sunt dicenda: item in certis occasionibus festivis, vel post multos labores et exercitia reputatur cibus moderatus, qui alio tempore foret nimis delicatus: item necessitatem inducere potest locus, utpote insalubris vel aëris durioris intemperative, cui extraordinariis adminiculis est providendum (1). Ad haec et similia sedulo et cum discretione advertant Superiores, ne, dum vitare velint charibdim superfluitatis, incidant in scillam negatae iustae et aequae necessitatis; utramque enim paupertatem evertit.

294. Omnes locorum proventus, quaestus, eleemosynae, omnia item a Fratribus iusto labore et quovis nomine acquisita, tametsi subsidia consanguineorum et piorum largitiones sint, quaeque alia causa obveniant, quae tamen Instituto nostro non repugnent, omnia in communem usum et utilitatem conferri debent; nec quisquam aliquid recipiat, nisi consentiente Superiore, qui omni studio in id maxime incumbere debet, ut conventum et Fratres sibi subditos a proprietatis vitio omnino immunes servet.

Ex huius art. praescripto

1. generatim locorum **proventus omnes**, cuiuscumque sunt rationis vel quocumque titulo vel causa obveniunt, **conventui sunt incorporandi**, iuxta illud principium: *Quidquid monachus acquirit, monasterio acquirit,*

(1) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 5 n. 16.

(intellige apud nos quoad usum, non quoad proprietatem): haec autem incorporatio importat, ut dicti proventus toti cedant in Superiorum plenam ac liberam, iuxta ss. canonum, Regulae et Constitutionum praescripta, administrationem, ac pro communi usu et utilitate dispositionem. Hinc, obstante huius art. praescripto, Superiores, sive locales, sive provinciales permittere non valent, ut subditis concedatur huiusmodi proventuum pars quaedam expendenda vel adhibenda, exclusive in proprios, aut non in communitatis, sed in aliorum v. g. parentum usus, maxime si id habitualiter seu passim fiat; et si alicubi forsan vigeat usus contrarius, tamquam abusus omnino est reprobandus et abrogandus, eoque magis quod huiusmodi usus a Superioribus toleratus tribuit quoddam, saltem late dictum, ius ad talem proventuum partem recipiendam, ac includit speciem saltem proprietatis, a cuius vitio Ordinem omnino immunem servare, ex huius art. parte altera, tenentur Superiores. Patet proinde non solum a Regulae mente deviare (1), sed et facillime peccare posse illos Superiores, qui sua in resistendo negligentia introductam contra providum huius art. statutum praxim persistere sinunt, vel (quod peius est) sua imprudenti in permittendo condescendentia dictam praxim introducendi occasionem praebent (2).

Nihil autem obstat, quominus Superiores, in quantum conventus proventus id permittunt, prae ceteris pauperibus, subditi alicuius parentibus indigentibus per moderatas et discretas eleemosynas succurrant. Advertent autem subditi, se id tunc solum a Superioribus rationabiliter petere et exspectare posse, quando agitur de casu verae necessitatis, et quidem cui ab aliis liberis in saeculo viventibus sufficienter provideri non potest, minime autem ubi agitur de commoditatibus vitae procurandis; quae enim in hunc finem a Superioribus concedun-

(1) Cfr. comment. in art. 250.

(2) Cfr. tamen dicta in comment. in art. 289 in fine.

tur, potius quam eleemosynarum rationem habent munerum (1). Deinde

2. speciatim statuitur, **ne dona a subditis recipiantur nisi consentiente Superiore.** Qua in re licet non omnino excludatur licentia rationabiliter praesumpta, tamen ex mente saltem huius art., generatim obtinenda videtur licentia expressa (2); nam usus ex sola licentia praesumpta, quae in sua applicatione ab ipsorum subditorum iudicio pendet, pluribus hallucinationibus ansam praebet, et ex tali usu servanda a nobis altissima paupertas multum periclitatur.

Tandem ut conventus a proprietatis vitio omnino immunes serventur, specialiter advertant Superiores, ne umquam dent licentiam accipiendi dona concessa ea conditione, ut in exclusivum recipientis usum cedant; huiusmodi enim usum ad proprietatis vitium saltem proxime accedere dubitari non potest.

295. Supervacaneus inanisque rerum usus prorsus eliminetur, et Fratres omnes, praesertim maiores, quorum exemplo alii ducuntur, paucis humilibusque sint contenti, sicut decet servos Dei et paupertatis sanctissimae sectatores.

Inculcatur hoc art. **eliminandus supervacaneus inanisque rerum usus.** Dicitur autem supervacaneus inanisque usus, qui magis inservit commoditati ac vanitati, quam necessitati et utilitati. Quapropter in Ordine nostro ab usu omnino excluduntur res superfluae, pretiosae ac curiosae: quod docet seraphicus Doctor scribens (3): « Cum Fratres sint professores altissimae paupertatis, oportet quod omnia, quae in eorum usum

(1) Cfr. dicta in comment. ad art. 287.

(2) Excipitur, uti per se patet, usus rerum parvi valoris, pro quo ex provinciae legitima consuetudine, vel expressa ordinatione seu statuto habetur licentia generalis.

(3) Expositio in Regulae cap. 6.

veniunt, habeant, ut est possibile, parvitatem, vilitatem et asperitatem: quae tria paupertatem altissimam naturaliter consequuntur. E contra divites habent affluentiam, et gloriam, et apparentiam et consolationem, quae possunt divitiis comparari. Quia ergo paupertas, in quantum est contraria divitiis, caret his tribus si caret divitiis, necesse est, ut paupertas altissima, ut est possibile, careat his tribus in summo ». Idem declarat Clemens V (1): « Superfluitas autem aut nimia pretiositas vel quaecumque curiositas in his [paramentis sacris] seu aliis quibuscumque non potest ipsorum professioni et statui convenire. Cum enim haec sapiant thesaurizationem seu copiam, paupertati tantae quoad humanum iudicium derogant manifeste ». Patet igitur nullum esse dubium, rerum superfluarum abundantiam in Ordine nostro paupertatis voto esse prohibitam (2). Porro superfluitas excedit in numero et quantitate, et opponitur necessitati seu utilitati; pretiositas excedit in qualitate seu pretio (3), et opponitur vilitati; curiositas excedit in externa forma et opponitur simplicitati (4).

Qua de re audiatur S. Vincentius Ferrerius scribens (5): « Oportet primitus qui vult sanctus esse et animabus prodesse, omnia terrena contemnat et velut stercora reputet, et solum districtissima ad necessitatem de ipsis recipiat. Quam necessitatem in pace colligat, sufferendo etiam quaedam incommoda propter paupertatis amorem, sicut quidam ait: Scio quod laudabile non est pauperem esse, sed in paupertate paupertatem amare, et paupertatis inopiam propter Christum gaudenter et hilariter sustinere. Proh dolor! multi de paupertatis solo no-

---

(1) In Regulae Declar. art. 16 *De paramentis ecclesiasticis.*

(2) Cfr. Vermeersch *de religiosis* n. 240, 3.

(3) Pretium in casu intelligitur intrinsecum, quod ex rei materia petitur, non extrinsecum, quod habetur ex circumstantiis externis. Cfr. Albertus a Bulsano *Expositio Regulae* § 86, 3.

(4) Cfr. dicta in comment. in art. 293, 2.

(5) Tract. de vita spirituali cap 1.

mine gloriantur: sed quo pacto? Ut eis nihil desit. Dicunt se amicos paupertatis, et sodales eius fugiunt pro posse, famem, sitim, contemptum, despectionem ». De quibus ita censet S. Anselmus: « Qui in propositi sui norma, quam professi sunt, stare recusant, nisi cuncta sibi ad votum habeant, nec hinc propter Deum cuiuslibet rei penuriam, nec illinc Regulae disciplinam pati volunt, quibus, obsecro, rationibus iuvabuntur, ne saecularium similes habeantur... Et hi tales regni coelestis haeredes erunt? Fidenter dico: nequaquam, si non poenituerint se tales fuisse ».

296. Nullus idcirco plures habeat cellas, sed unica quisque contentus sit, exceptis Superioribus, qui alteram cellam habere possunt.

297. Superiores, etiam locales, si in cellarum visitatione, quam frequenter peragere tenentur, quidquam repererint seraphicae paupertati ac statui nostro contrarium vel indecorum, penitus amoveant.

Agitur hisce art. **de servandis et evitandis in usu cellarum.** — In primis statuitur, ut quilibet Frater habeat unicam tantum cellam, exceptis Superioribus provincialibus et localibus, qui alteram (non plures) habere possunt. — Deinde inculcatur Superioribus officium visitandi cellas: quae visitatio peragenda est, non solum a Superioribus maioribus in canonica visitatione, sed etiam a Superioribus localibus, et quidem frequenter, ut hac vigilantia efficacius impediatur, quominus Fratres in cellis habeant quidquam seraphicae paupertati ac statui nostro contrarium vel indecorum (1).

298. Qui ex animo quidquam Superiori celaverit, vel ex communi vel alterius Fratris usu sibi furtim vindicaverit, vel ultra id quod sibi a Supe-

(1) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 5 n. 16 et 17.

rioribus concessum fuerat habere praesumpserit, pro culpae gravitate, poenis proprietariorum plectatur

Statuitur **poena proprietariorum** (1) **contra quosdam actus illegitimi usus**; quae poena, utpote gravis, supponit in actu proprietatis materiam notabilem.

299. Prorsus caveant omnes Ordinis nostri Superiores ne provincias vel conventus in debita onerosa vel in obligationes oeconomicas quomodocumque inducant aut induci permittant, nisi servatis omnibus conditionibus et cautelis a S. Sede praescriptis.

300. Praeterea Definitorium cuiuslibet provinciae specialiter determinet ad quas expensas extraordinarias Superiores locales consensum sui Discretorii aut licentiam Ministri provincialis praevie obtinere teneantur. Pariter singulae provinciae in suis Capitulis designent summam pro qua expendenda Minister provincialis consensum Definitorii exquirere debeat.

301. Quilibet Superior localis inventarium rerum mobilium, conventus et sacrae supellectilis ecclesiae, necnon accepti et expensi rationem, a Discretis subscriptam, quotannis Definitorio et suo tempore Capitulo provinciali exhibere debet.

Inculcantur et statuuntur **varia praescripta in temporali administratione servanda.**

1. Prohibetur, ne debita onerosa fiant, nisi servatis normis et cautelis a S. Sede praescriptis. Porro huiusmodi normae et cautelae determinantur in *Instructione*

(1) Cfr. art. 361.

circa debita et obligationes a religiosis Familiis suscipienda a S. C. de Religiosis edita 30 Iul. 1909 (1).

2. Interdicitur, ne Superiores locales in extraordinariis expensis, absque consensu Discretorii vel Ministri provincialis excedant summam a Definitorio provinciali statutam: dicuntur autem extraordinariae, quae, praeterquam pro victu, vestitu aliisque quotidianis necessitatibus, faciendae occurrunt praesertim pro rebus licet utilibus minus stricte tamen necessariis. — Item interdicitur, ne Minister provincialis, in expensis excedat summam in Capitulo provinciali designatam, absque consensu Definitorii.

Meminerint Superiores se officii obligatione teneri curare, ut eleemosynae in necessarios vel licitos usus utiliter expendantur, sic ut in vanos et superfluos usus vel sine iusta causa expendentes eleemosynas non solum graviter praeiudicent suo officio, sed etiam peccent contra votum paupertatis et sint veri proprietarii (2).

3. Indicitur faciendum inventarium rerum mobilium et supellectilis conventus eiusque officinarum, necnon sacrae supellectilis ecclesiae ac oratoriorum internorum.

4. Praescribitur a Superioribus localibus exhibenda quotannis Definitorio et suo tempore Capitulo provinciali praedicta tum accepti et expensi ratio, tum inventarium, iuxta statum actualem modificatum, a Discretis subscripta, praeter Superiorem et syndicum administratores.

§ III.

De legatis et Missis.

302. Meminerint Superiores, experientia compertum esse, inopia laborare conventus qui lega-

(1) Cfr. *Monumenta* pag. 122 sqq.
(2) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 7 n. 1.

tis affluunt, nihilque e contrario deesse iis qui, super Dominum curam suam iactantes, regnum Dei primum quaerunt et iustitiam eius.

303. Cum Ordo noster incapax sit possidendi bona stabilia, ideo nobis neque legata perpetua, neque perpetuas oblationes, neque annuos reditus pariter perpetuos recipere licet.

Inculcatur prohibitio **de non recipiendis oblationibus perpetuis** quibuscumque, sive offerantur per simplicem donationem sive relicta fuerint per testamentum (legata): patet ex Clementis V Declaratione (1) quae sic habet: « Cumque annui reditus inter immobilia censeantur a iure, ac huiusmodi reditus obtinere paupertati et mendicitati repugnet: nulla dubitatio est, quod dictis Fratribus reditus quoscumque, sicut et possessiones, vel eorum etiam usum, cum eis non reperiatur concessus, recipere vel habere, conditione considerata ipsorum, non licet ». Exinde deducit noster P. Herincx (2), Fratres Minores non posse habere annuos reditus, ne quidem pro ecclesia vel pro sacristia, v. g. pro reparatione templi, pro cera, pro sacra supellectili etc.; ratio est, quia Clemens V decernit, omnes indiscriminatim annuos reditus repugnare statui Fratrum Minorum: sed ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. — Porro haec prohibitio intelligenda est de s o l i s legatis quae dicuntur p e r p e t u a, per quae scil. certa pecunia vel alterius rei quantitas aliquatenus continuatim statuto tempore, v. g. quotannis, contribuenda statuitur, proindeque hac prohibitione non comprehenduntur legata, quae unica (i. e. sine continuatione) praestanda statuuntur solutione, — et quidem de iisdem recipiendis ex alicuius debiti civilis obligatione seu ex vi ipsius le-

(1) Art. 10 *De reditibus et possessionibus non habendis.*

(2) Apud Kerckhove cap. 3 § 4 n. 2 contra Alb. a Bulsano *Expositio Regulae* § 83 n. 12.

gati; hinc nihil impedit — ut docet Rodriguez (1) — quominus legata etiam perpetua determinato tempore admittantur per modum simplicis eleemosynae. — Tandem notandum, Fratres Minores consentire non posse in legata, quae sunt tantae quantitatis, ut praesumantur fieri in fraudem, i. e. relinqui haereditatem sub nomine legati (2); item admitti non possunt legata, in quibus testator expressit modum non congruum et Fratribus prohibitum, ut si legaretur Fratribus vinea vel ager ad excolendum, domum ad locandum, aut modos similes in legando determinaret (3).

304. Quoniam vero aliquoties contingit ut fideles in Fratrum favorem legata gratis vel adiecto onere relinquant, absolute prohibemus legata acceptare quorum directum dominium sortis principalis conventui, provinciae vel Fratribus sit adscriptum, quum de iure invalida sint. Neque possunt Fratres legata renuntiare in favorem haeredum vel aliorum quorumcumque, quum nullum ius ad ipsa vel in ipsis habeant.

305. Quoties vero legata perpetua fieri contingat, proprietate sortis a legantibus in se suisque haeredibus retenta, sive loco pio vel tertiae personae adscripta, ea lege ut quotannis Fratribus certa detur eleemosyna, vel gratis vel pro Missis aut alio pio opere imposito, Guardianus per sanctam obedientiam protestari iubetur coram executoribus testamentariis, Fratres huiusmodi legata

---

(1) Apud Kerckhove cap. 3 § 4 nn. 3-6.

(2) Cfr. Clemens V art 9 *De haereditatibus non acceptandis* n. 2.

(3) Cfr. Nicolaus III art. 11 *De legatis ex testamento relictis*; Kerckhove cap. 3 § 4 nn. 12-17:

nonnisi per viam simplicis eleemosynae, ex sancto Instituto nostro, acceptare posse, nullumque ad dictam eleemosynam ex vi legati ius habere, aut ad opera illa implenda stricte obligari. Haec protestatio, a Guardiano et Discretis subscripta et conventus sigillo munita, ei tradenda est qui testatoris voluntatem exequi debet, ac etiam in librum conventus et in Acta provinciae referenda est. Tali praemissa necessaria protestatione, si haeres sponte sua eleemosynam illam, sive cum onere sive gratis, dare voluerit, tuto et libere recipi potest, praevia Ministri provincialis licentia.

Hisce art. indicantur et statuuntur **conditiones ad licite admittenda legata perpetua**. Sunt autem:

a) Ut dominium sortis principalis non sit adscriptum conventui vel provinciae vel Fratribus, sed sit penes ipsum legantem eiusque haeredes, aut penes aliam extra Ordinem personam sive physicam sive moralem. Neque syndicus qua talis seu nomine Ecclesiae Romanae, sortis dominium suscipere potest, quum syndicus ad hoc a Sede Apostolica nullam habeat auctoritatem; etenim Pontifices in instituendo officio syndici statuerunt eiusdem munera nomine S. Sedis exercenda per modos Regulae Fratrum congruos et licitos, vel prout eis licet ex Regula vel Declaratione eiusdem: sed habere rem immobilem, qualis reputantur legata perpetua, non licet ex Regula.

b) Ut fiat protestatio, qua declaretur, ad huiusmodi annuas praestationes nullum ius habere Fratres ex vi legati: quae protestatio ex S. Bonaventurae sententia necessaria est, ne ab ignorantibus nostrum Institutum Regulae nostrae transgressores iudicemur; hinc iure meritoque ex speciali art. 305 statuto facienda iubetur « *per sanctam obedientiam* », ita ut obliget in conscientia.

Formula protestationis a quibusdam expositoribus proponitur haec quae sequitur, quam ab Urbano VIII approbatam dicunt:

« Nos Fr. N. Guardianus conventus N. et Discreti « eiusdem dicimus, ad notitiam nostram pervenisse, quod « N. N. certam eleemosynam huic conventui distribuen- « dam perpetuo gratis (vel pro Missis et officiis celebran- « dis) legavit. Cumque legata huiusmodi nisi per simplicem « eleemosynam, ex nostra Regula nobis acceptare non li- « ceat, per praesentes protestamur in Domino, quod lega- « tum praedictum, tamquam incapaces, ex vi legati reci- « pere nolumus nec intendimus. Si tamen haeres aut « executor testamentarius dictam quantitatem per modum « simplicis eleemosynae, omni obligatione, dominio et pro- « prietate penitus cessantibus, nobis libere conferre vo- « luerit, illam simpliciter accipiemus, et piae testatoris « voluntati, quantum in nobis fuerit, plene et fideliter « satisfaciemus ».

c) Ut adsit licentia Ministri provincialis, qui in eadem concedenda facilis non sit, iuxta mentem harum Constitutionum, ex quarum art. 302 et 307 manifestum est Ordinem minime favere receptioni perpetuorum legatorum.

306. Non audeant Fratres, sive per se sive per syndicos, coram iudice quocumque annuas praestationes seu legata ab haeredibus petere, sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda. Quod si haeredes ultimam testatoris voluntatem exequi recusaverint, licitum est Fratribus eos adire atque modeste rogare et monere ut conscientiae suae consulant, quia sic ab eis non debitum exigitur, sed eleemosyna quaeritur.

Inculcatur hoc art., sub poena excomunicationis latae sententiae, prohibitio, **ne legatorum perpetuorum executio seu praestatio exigatur in iudicio** sive ecclesia-

stico sive civili; neque huiusmodi iuridica petitio fieri potest a syndico, quia — uti iam notatum est (1) — legata perpetua non cadunt sub competentia syndicatus.

307. Per sanctam obedientiam iniungimus ne quis quempiam inducat ad nova legata conventui vel Ordini facienda.

Fertur hoc art. **praeceptum obedientiae de non procurandis novis legatis**: quod praeceptum intelligendum de solis legatis quae iuxta explicata superius (2) dicuntur perpetua. Cuius praecepti haec videtur esse ratio, ut efficacius impediantur, saltem quatenus proveniant ex actione Fratrum, legata perpetua, utpote quae, contra seraphici Institutoris intentum, in providendo necessitatibus quamdam certitudinem praebent, proindeque repugnant praescriptae nobis mendicitati.

308. Decreta apostolica de celebratione et satisfactione Missarum earumque eleemosynae transmissione ubique et ab omnibus inviolatae serventur. Capsam vero pro Missarum eleemosynis nobis habere non licet, sed omnes tales eleemosynae apud syndicum vel eius substitutum servari debent.

Inculcantur hoc art. **observandae leges de celebratione Missarum**. Huiusmodi leges sunt, praeter Decreta Urbani VIII et Innocentii XII, S. C. C. Decretum *Vigilanti studio* 25 Maii 1863, eiusdem S. C. Decretum *Ut debita* 11 Maii 1904 cum posterioribus Declarationibus, eiusdem S. C. Decretum *Recenti decreto* 22 Maii 1907 (3).

Attendenda sunt etiam Responsa S. C. Conc. 9 Sept. 1907 de stipendiis Missarum quae mitti possunt ad regiones orientales. Quae responsa, omissa in libello cui titulus *Monu-*

(1) In comment. ad art. 304 et 305 sub a).
(2) In comment. ad art 302 et 303.
(3) Cfr. *Monumenta* pag. 144-158.

menta etc., leguntur apud *Acta Ordinis Minorum* anno XXVI (1908) pag. 70.

309. Singulis Ordinis sacerdotes quotidie ad intentionem sui Superioris Missam applicare tenentur, etiamsi in itinere aut quomodolibet extra proprium conventum ipsi versentur. Illis autem diebus quibus hospitio alterius conventus vel residentiae fruuntur ad intentionem Superioris huius domus celebrare debent. Aliquoties per annum Superiores suis subditis liberam Missae applicationem concedant, pro qua tamen stipendium recipere eis non licet.

Fertur hoc art. **praescriptum applicandi Missam ad intentionem Superioris.** Quod praescriptum legitime fieri posse patet ex praxi Ecclesiae (1); siquidem in plurium Ordinum Constitutionibus a S. Sede approbatis huiusmodi praescriptum habetur, vel saltem Missae ad certam intentionem legendae imponuntur. Nec difficultatem facit, quod quidam negantes opponunt, scil. agi de actu mere interno, qui ab auctoritate humana, etiam ecclesiastica, praecipi non potest: quidquid enim est sentiendum de doctrina quae potestatem iubendi actus internos universim negat, prorsus negandum videtur, hic agi de actu m e r e interno, siquidem applicatio in casu est complementum alterius actionis mixtae, puta celebrationis Missae (2). — Porro hoc applicationis faciendae praescriptum, considerata s o l a huius Constitutionis vi, quin scil. accedat speciale formalis obedientiae praeceptum, per se non obligat sub culpa; sed culpa, quae habetur, est ex natura obligationis, qua

(1) Cfr. S. C. de Religiosis resolutio 3 Maii 1914 *De Missis a Religiosis sodalibus ad intentionem Superiorum celebrandis* (A. A. S. vol. VI pag. 231.

(2) Cfr. Lehmkuhl *Theol. moralis* tom. II. nn. 282 et 283 (Ed. 11); Rodriguez tom. III. qu. 19. art. 2; Miranda tom. I. qu. 26. art. 3.

communitas ad hanc vel illam applicationem, quae a Superiore imponitur, tenetur, utpote quae communitatis obligatio ex determinatione Superioris transit ad singula communitatis membra, quum id oneris seu potius illius oneris possibilitatem in professione assumpserint: sic v. g. intentio a Superiore imposita pro accepto stipendio implenda est ex gravi iustitiae obligatione, siquidem agitur de re magni momenti per onerosum contractum promissa (1); intentio imposita pro benefactoribus implenda est ex gratitudinis obligatione generatim levi iuxta superius (2) dicta.

Nota. Disputant DD., utra in conflictu pravaleat intentio, Superioris an subditi. At vix dubium videtur, praevalere intentionem subditi celebrantis, qui sicut est minister celebrationis, ita est et auctor applicationis, ad quam faciendam habet potestatem immediate a Deo, proindeque quoad hoc intentio sacerdotis non subditur intentioni Ecclesiae vel alterius Superioris ut illa per hanc irritari possit. Et alioquin — ut ait Lugo (3) — si voluntas Praelati praevaleret, consequens foret, ut qui contra illam Missam aliis applicuit ad nihil postea teneretur, quia quidquid ipse contra tentaverit, sacrificium pro illis fuit acceptatum quibus debebatur: quod est contra communem sensum Ecclesiae, qui tenet et docet, quod Superior, qui ex iustitia ratione stipendii Missas aliis applicare obligatus est, sciens subditum suas Missas ad intentionem eius non applicasse, teneatur in defectum subditi alias Missas applicare.

---

(1) Ita AA. recentiores fere omnes contra plures antiquiores (vide S. Alphonsum lib. VI. n. 317), qui omissionem Missae in casu levem habent, nisi gravis sit quantitas stipendii accepti; cuius sententiae falsitas vel inde eruitur, quod si culpae gravitas existimanda foret e quantitate stipendii, quandoque plurium Missarum omissio levis foret, quod vix non absurdum; ad haec contradicit praefata antiquiorum sententia Ecclesiae sensui, qui patefit e tot documentis, quibus severissime urgetur, ne Missae ratione stipendii debitae omittantur.

(2) In comment. ad art. 175.

(3) Disp. XIX. n. 211.

Hinc debent Superiores diligenter invigilare, num omnes Missae, quas suis subditis legendas imponunt, vere ab iis persolvantur, maxime dum vel morbo vel alias impediti non celebrant: nec satis est, ut quidam dicunt, se id relinquere subditorum conscientiis. Verum quidem est, subditorum conscientias gravari; at si Superiores sciunt subditos suis conscientiis non satisfacere, scire etiam debent sibi incumbere onus supplendi in quo subditi defecerunt. Debent etiam subditi, dum ex causa non celebrarunt, id fideliter Superioribus indicare, ut servetur iustitia, et unicuique detur quod suum est (1). — Ut autem hac in re maiore certitudine procedatur, suadetur quotidiana de Missa applicata subscriptio.

310. Superiores locales quotannis relationem exactam de Missis acceptis et celebratis, a Discretorio subscriptam, Definitorio provinciali transmittere debent, una cum attestatione, a singulis sacerdotibus item subscripta et iurata, de Missis applicatis, suo quoque tempore Capitulo provinciali exhibenda.

Inculcatur hoc art. Innocentii XII in Const. *Nuper a Congregatione* 23 Dec. 1697 **praescriptum exhibendi in Capitulo provinciali iuratam attestationem de Missarum applicatione**: quam attestationem ab omnibus respectivi conventus sacerdotibus subscriptam omnes et singuli Superiores locales exhibere debent « ea adiecta et omnino adimplenda conditione, quod ante praefatae attestationis exhibitionem quicumque Superiores locales praedicti vocem activam seu passivam in memoratis Capitulis omnino habere non valeant ». — Huius attestationis formulam Minister generalis per decretum 25

(1) Kerckhove Cap. 3. § 6, n. 10.

Aprilis 1905(1) statuit et mandavit adhibendam hanc quae sequitur:

« Nos infrascripti Superior, Discreti et sacerdotes con-« ventus...., pro nostra singulorum parte responsabilitatis « ad normam Innocentianae Const. *Nuper a Congregatione* « d. d. 23 Dec. 1697, hisce sub iuramenti fide coram Deo « attestamur, omnibus et singulis, tum perpetuis tum ma-« nualibus, Missarum oneribus seu obligationibus, ad li-« mites et tenorem ss. canonum, tempore regiminis actua-« lis Superioris praefati conventus fuisse satisfactum, ita « ut residuali implemento Missarum, tum perpetuarum « iuxta exstantem in conventu elenchum, tum (2) manua-« lium, quae sunt numero.... intra legitimum tempus satis-« fieri possit. Datum.... hac die.... mensis.... anni.... ».

Dicitur in praefata formula: « *pro nostra singulorum parte responsabilitatis* », quae ex probabili (contra nostrum Reiffenstuel lib. V tit. III n. 214) sententia haec videtur esse, ut praeter propriam singulorum applicationem etiam fidelem ac debitam Missarum celebrandarum administrationem cum Superiore testari debeant conventus Discreti, ceteris vero sacerdotibus incumbat solum officium testandi propriam singulorum applicationem, quibus proinde nec officium nec ius incumbit inspiciendi et examinandi libros Missarum. — Hinc quum praefatum praescripti Innocentiani intellectum in praxi sequendi ius habeant Superiores (donec S. Sedes aliter non definierit), ceteri praeter Discretos sacerdotes ex denegata sibi librorum Missarum inspectione et examinatione iure recusare non possunt subscriptionem suam formulae a Rmo P. Ministro Generali praescriptae apponendam, saltem si usus ferat, ut libros inspiciendi et examinandi singulis non detur copia, nec aliunde de incuriosa vel infideli Missarum celebrandarum administratione ulla in conventu

---

(1) Cfr. *Acta Ordinis* anno XXIV (1905) pag. 197.

(2) Verba: « *tum perpetuarum.... elenchum, tum* » deleantur, si nullae habentur celebrandae Missae perpetuae.

sit fama vel suspicio positiva. Accedit quod in praefata Innocentiana Const. nulla iniungitur specialis singulis sacerdotibus diligentia, nec ius tribuitur exigendi rationes, et ceteroquin opportunitate non caret tale subditorum iuramentum, quo propria singulorum demonstretur in facta applicatione fidelitas, et simul constet nullum in conventu haberi infidelitatis in Missarum administratione rumorem (1).

Praeterea tenentur Superiores locales, vi huius art., singulis annis Definitorio provinciali transmittere relationem exactam de Missis acceptis et celebratis a Discretorio et a singulis sacerdotibus subscriptam.

§ IV.

De locis et fabricis.

311. Nullus conventus vel residentia canonice erigi potest sine Provincialis et Definitorii consensu, scriptaque Ministri generalis facultate, quibus etiam consensus Ordinarii et beneplacitum apostolicum accedere debent.

Hoc art. agitur **de conditionibus ad legitimam novae sedis receptionem requisitis.** Sunt autem:

a) Ex iure nostro peculiari imprimis Provincialis et Definitorum consensus; quod intelligendum videtur hoc sensu, ut novae sedis receptio impediatur quidem solius Provincialis dissensu, etiam contra contrariam Patrum Definitorii sententiam, attamen fieri non possit nisi cum Provinciali consentiat maior pars Patrum Definitorii; — deinde scripta Ministri generalis facultas.

---

(1) Cfr. *Acta Ordinis* anno XXIV (1905) p. 203, et Vermeersch *De religiosis* etc. *Periodica* tom. I p. 112 sub c).

b) Ex iure communi requiritur consensus Episcopi loci(1), ordinarie dandus (sive verbis sive, melioris probationis causa, scripto) ante erectionem, quin tamen excludatur sequens ratihabitio; et quidem vocatis et auditis interesse habentibus (in quantum opus est, ut Episcopo constet fundationem fieri sine eorumdem detrimento), qui intelliguntur Superiores aliorum conventuum existentium inter quatuor millia passuum (vel hisce deficientibus ipse populus, saltem si ab eodem alendus est conventus) et ex aequitate canonica parochus. Qui Episcopi consensus requiritur sub poena nullitatis, et inflictis poenis privationis vocis activae et passivae necnon officiorum et habilitatis ad illa in Superiores contra attentantes. Negatio consensus facta absque iusta causa est illicita; veniae datae apponi potest conditio restrictiva. A sententia Episcopi tam negantis quam concedentis veniam datur appellatio. — Accedere debet beneplacitum apostolicum, cuius necessitas ex praxi styloque Curiae Romanae transiit in disciplinam universaliter vigentem, de qua cum Benedicto XIV (2) testatur Leo XIII in Const. *Romanos Pontifices* scribens: « Communis hodie sententia est, cui favet passim rerum iudicatarum auctoritas, non licere Regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova monasteria, aut conventus, sive collegia fundare sola Episcopi venia impetrata, sed indultam quoque a S. Sede Apostolica facultatem requiri ». — Quod spectat ad privilegium quod mendicantes habent, ne scil. novus conventus erigatur, intra determinatum spatium circa suos conventus, huius privilegii observantia parum in usu esse videtur, ea forsan de causa quia eiusdem substantia iam inclusa habetur in lege de vocandis interesse habentibus (3).

Praefatae tam communis quam peculiaris nostri iuris conditiones observari debent in erigendis sedibus stabi-

---

(1) Cfr. Conc. Trident. Sess. 25 cap. 3 *de Regularibus.*

(2) *De synodo* lib. IX cap. I n. 1.

(3) Cfr. Vermeersch *de religiosis* tom. I n. 110, 1.

libus, sive formati sint conventus sive residentiae tantum. — Verum loca habitationis transitoriae (quoquo nomine vocantur), quum sint mere saecularia, constitui posse sine ulla etiam Episcopi licentia, contra nonnullos cum communi aliorum docet Reiffenstuel (1).

312. Ut conventus, canonice iam erectus, in Capitulo provinciali guardianatus vel conventus formati titulo legitime decorari valeat, lex clausurae et vita communis ibidem exacte iam observari, eiusque communitas religiosa ex sex saltem Fratribus professis, quorum quatuos ad minus sint sacerdotes, constare debet, ita ut divinum Officium et alia monastica exercitia rite ibidem peragantur.

313. Loca quae praefatis requisitis carent dicuntur domus non formatae seu residentiae, et nonnisi per Praesidem regantur.

314. Domus vero in quibus Fratres stabiliter non commorantur hospitia nominentur, et a iurisdictione Guardiani proximioris conventus dependeant, nisi Definitorio provinciali in particularibus casibus aliter videatur.

Statuuntur **conditiones ad guardianatum**, quae sunt, ut lex clausurae ad normam iuris sit statuta et exacte observetur, necnon de familia adsint ac habitualiter degant sex saltem Fratres professi, quorum quatuor sint sacerdotes, ita ut praescripta vita claustralis, etiam in chorali divini Officii recitatione, ordinarie rite servari queat. — Notandum autem, loca, quae praedictis tantum satisfaciunt conditionibus, ex implicito sensu art. 312 sensu guardianatus titulo condecorari posse, at non necessario debere. Loca vero, in quibus impletus est numerus duo-

(1) Lib. III tit. 48 nn. 47 et 48.

decim Religiosorum (quorum saltem octo sint sacerdotes), de iure esse guardianatus, ita ut hoc titulo et iuribus adnexis privari non possint.

315. Ne autem ex maiori Fratrum numero quam consuetae conventuum eleemosynae ferre valent causa transgrediendae paupertatis et regularis disciplinae praebeatur, in Capitulis provincialibus pro quolibet conventu certus sacerdotum et Fratrum laicorum numerus statuatur, qui tum necessitatibus et obligationibus localibus, tum consuetis eleemosynis respondeat.

Inculcatur hoc art. iuris communis (1) praescriptum, ut collocandus in singulis domibus **numerus Fratrum definiatur pro ordinariis sustentationis mediis**; et quidem provida ex ratione ita fuit statutum, ne scil. ex eo quod conventus occurrentibus Fratrum necessitatibus sufficienter providere non possit, occasio detur aut importunis mendicationibus cum gravamine et scandalo saecularium, aut privatis procurationibus cum periculo saltem recedendi a vita communi, et laedendi paupertatem. Hinc Sanchez, et post ipsum Lezana (2) docent, hoc praescriptum obligare sub mortali, utpote de re gravissima valdeque necessaria statui religioso. — Verum hoc praescriptum non videtur comprehendere casum, quo Praelati in aliquo casu particulari v. g. in conventibus studii, augentes numerum Fratrum super vires consuetarum eleemosynarum simul augent, quantum opus est, honestae sustentationis media ex praestationibus aliorum conventuum vel ex eleemosynis provinciae; hoc enim modo omnino satisfit praescripti intento seu menti, nec ullum timendum est malum; ast ne ita fiat passim et absque necessaria vel valde rationabili causa, monet ipsum latum praescriptum.

---

(1) Cfr. Conc. Trident. Sess. XXV cap. 3 *de Regularibus.*

(2) Apud Kerckhove cap. 3 § 1 n. 2.

316. Inhibetur omnibus Superioribus ne absque speciali S. Sedis indulto constructionem, amplificationem vel mutationem conventus vel ecclesiae suscipiant, si media necessaria ad solvendum non habeantur, et hac de causa debita vel obligationes oeconomicae contrahenda sint, etiamsi fundus vel materia ad aedificandum vel aliqua pars aedificii gratuito donetur vel construatur, aut eleemosynae etiam in magna quantitate ab uno vel pluribus benefactoribus promittantur.

Fertur hoc art. prohibitio, **ne locorum constructio, amplificatio vel mutatio fiat, si media necessaria ad solvendum non habeantur,** nisi obtentum fuerit speciale S. Sedis indultum.

317. Recordentur omnes, in acceptandis vel construendis novis conventibus, huius gravis S. P. N. Francisci moniti in suo ultimo Testamento: *Caveant sibi Fratres, ut ecclesias et habitacula et alia omnia quae pro ipsis contruuntur, penitus non recipiant, nisi essent sicut decet sanctam paupertatem, quam in Regula promisimus.* Ideoque, iuxta Declarationem Clementis Papae V, Fratres ubique in Ordine temperatis et humilibus aedificiis contenti sint, ne seraphicae paupertati promissae quod patet oculis contrarium foris clamet.

Ad normam moniti S. P. N. Francisci in suo Testamento, et Declar. Clementis V art. 15 inculcatur prohibitio, **ne acceptentur, multo minus construantur habitationis loca excessiva** in magnitudine ac constructionis forma, sed servetur altissima, quae decet statum nostrum pauperem, simplicitas ac prudens sufficientia. Nostra proinde aedificia fortia, capacia, atque necessariis officinis ac cellis

munita esse congruum est: ast in iisdem omnino evitanda constructio curiosa et sumptuosa, « quae — ut ait S. Bonaventura (1) — pacem Fratrum inquietat, amicos gravat, et hominum perversis iudiciis multipliciter nos exponit ».

318. Quae ut melius in toto Ordine observentur, non aedificentur novi conventus neque novae ecclesiae, sine Ministri generalis licentia et nisi a peritis, status nostri paupertatis consciis, facta fuerit delineatio, a Definitorio provinciali approbata, sine cuius consensu nequeat deinde notabiliter mutari. Conventus fenestrae quae in vias publicas aut vicinas domus prospiciunt ita construantur, ut talis prospectus Fratribus impediatur.

Statuuntur hoc art. **observanda in novi conventus aedificatione**, quae sunt:

a) Ut aedificandi conventus una cum ecclesia **fiat delineatio** a Definitorio approbanda et subscribenda, in qua sine Definitorii consensu deinde quidquam, saltem notabile, mutare prohibitum est.

b) Ut **impediatur prospectus in vias publicas ac vicinas domus**, speciali etiam (in quantum opus est) fenestrarum constructione.

Tandem monentur provinciarum Patres, ut in erigendis novis sedibus summa cum deliberatione, prudentia et maturitate procedant, ne Fratres congruam sustentationem cum magno labore, discursu, et populorum gravamine conquirere cogantur: quo fiet ut in importunos quaesitores degenerent, et regularis observantia pessumdetur (2).

319. Fabricam a praedecessore inchoatam nullus Superior localis destruere vel mutare audeat; neque ullam mutationem in structura et dispositione aedificiorum conventus peragat.

---

(1) Apud Kerckhove cap. 3 § 8 n. 1.

(1) Cfr. Kerckhove cap. 3 § 8 n. 3.

Prohibetur hoc art. **ne fabrica inchoata destruatur vel mutetur.**

320. Omnes Superiores, tam maiores in suis visitationibus, quam locales una cum Discretis, diligenter attendant ut aedificia conventus et ecclesiae in bono statu et munditie conservetur et restaurationes necessariae, praesertim in tectis, opportune fiant. Si quis Guardianus in hoc notabiliter negligens inventus fuerit, officio privetus.

Hoc art. Superioribus specialiter committitur sollicita **cura in aedificiis conservandis et restaurandis.**

321. Arbores, sive frugiferas sive ad ornatum vel Fratrum commodum, excidere non licet, sine consensu Discretorii conventus et Ministri provincialis licentia, nisi agatur de arida arbore per nova plantaria mox substituenda.

Statuitur hoc art. **prohibitio excidendi arbores,** sive fructiferas sive ad ornatum, nisi ex consensu Discretorum et Provincialis licentia, ita ut Minister provincialis huiusmodi licentiam concedere non debeat, nisi ipsi constiterit de Discretorii ad hoc consensu dato, vel saltem irrationabiliter negato; et iure meritoque statuta est huiusmodi prohibitio, ne scil. ex indiscreta arborum excisione deterioretur conventus, aut Fratres solita recreatione priventur. — Ut autem hac in re omnis fraus et dolus excludatur, lata omnino admittenda videtur huius statuti interpretatio, ex qua comprehendatur excisio arborum etiam infructuosarum licet fiat cum intentione substituendi alias fructiferas aut novas eiusdem vel similis qualitatis (1). Tandem notandum, excidendo arbores contra huius art. prohibitionem exerceri actum proprietatis, quum habeatur de re temporali dispositio sine debita licentia facta.

(1) Cfr. Kèrckhove cap. 3 § 8 n. 20.

§ V.

De eleemosynarum mendicatione.

322. Ordinarius modus providendi Fratribus necessaria pro victu, vestitu et aliis indigentiis, censeri quidem debet congruus labor, tum corporalis tum spiritualis, praesertim sacri ministerii, ita ut de mercede laboris corpori necessaria humiliter Fratres recipiant. Quando autem non detur eis pretium laboris, vel hoc pro diversis necessitatibus non sufficiat, ut veri filii Patriarchae pauperum, fiducialiter ad mensam Domini recurrant, petendo eleemosynam ostiatim.

323. Ut autem in colligendis eleemosynis Fratres iuxta mentem S. Sedis et spiritum Ordinis nostri procedant, Superiores et Religiosi ab eis ad mendicandum destinati eiusdem S. Sedis Decreta fideliter servent.

324. Ad petendas eleemosynas Superiores locales illos tantum Fratres mittant, quos morum probitate et gravitate magis idoneos iudicaverint. Missi vero cum omni humilitate vitaeque inculpatae exemplo eas diligenter conquirant et fideliter afferant.

Inculcantur **observanda in eleemosynarum mendicatione**, qua in re attendendae sunt, quoad Ordines mendicantes, normae statutae in Decreto S. C. de Religiosis 21 Nov. 1908 sub I (1). In hoc Decreto imprimis explicantur sub nn. 1-6 principia canonica de mendicantium

(1) Cfr. *Monumenta* pag. 141 sqq.

facultate quaestuandi; deinde praescribuntur sub nn. 7-14 conditiones requisitae in Regularibus quaestuantibus, et ab iisdem in quaestuationibus observandae.

325. Ministris ad finitimas provincias, sine consensu quorum interest, pro mendicatione Fratres mittere non licet. Ab unaquaque provincia et conventu serventur mendicationis termini; ubi vero determinati non sunt, a respectivis Ministris et Definitoribus communi consensu constituantur.

Praescribuntur in singulis provinciis a respectivis Ministris et Definitoribus **definiendi**, ubi non habentur, **mendicationis termini**, tum pro ipsa provincia, tum pro singulis conventibus: quos terminos transgredi non licet, praesertim transeundo ad finitimas provincias, nisi ex consensu interesse habentium.

326. Caveant Superiores ne colligant vel mendicare faciant eleemosynas sibi superfluas, nisi hoc fiat ad subveniendum et succurrendum aliis conventibus vel provinciis indigentibus.

1. Inculcatur hoc art. prohibitio, **ne mendicatione colligantur superflua**: quae prohibitio importat, non solum ne mendicentur v e r e s u p e r f l u a, i. e. quae ad congruam sustentationem tali conventui non sunt necessaria, sed etiam ne fiant i m m o d e r a t a e p r o v i s i o n e s; id enim — ut habet Albertus a Bulsano (1) — tum statui paupertatis, qui ab omni rerum abundantia remotus est, tum confidentiae in divinam Providentiam contradicit, quae exigit, ut in crastinum solliciti non simus. — Dictum est: provisiones immoderatae, ut non excludatur prudens et discreta de futuro sollicitudo. Qua de re ita

(1) *Expositio Regulae* § 99, ubi proponuntur quaedam regulae, iuxta quas Superiorum hac in re iudicium dirigi possit.

scribit S. Bonaventura (1): « Licet enim priorum Fratrum « puritas, pro maioris perfectionis ardore, pauciora quam « nunc consueverint ad victum colligere necessaria, et « populus propter hoc talem opinionem concepit, quod nil « nobis licet reservare in crastinum: tamen nec nunc nec « tunc aliquo nobis prohibitum est statuto, quin possimus « ad victum aliqua etiam necessaria in futurum pro ali- « quo tempore providere, maxime de his quae in promptu, « cum indigeremus, non possemus acquirere mendicando. « Sunt enim quae, nisi colligamus certo tempore, quando « est copia, quando inter manus communiter habentur a « populo, postmodum nec pro infirmis, nec pro hospitibus, « nec pro aliis sine magna difficultate vel magno pretio « potuerunt haberi. Mendici enim maxime illo tempore « solent necessaria petere, quo sciunt ea promptius a dan- « tibus inter manus haberi, ut circa horam comedendi. Sic « et Dominus populo certo tempore praecepit mannae ali- « moniam colligere, quia non omni tempore in agro, etiamsi « quaererent, invenirent. Unde Psalmo 144: Tu das illis « escam in tempore opportuno. In hoc etiam non tam « nobis, quam illis, a quibus petitur, providemus, quan- « do tali tempore petimus, quo ipsi facilius dare pos- « sunt, et magis sunt voluntarii ad eleemosynam largien- « dam ». Pro huiusmodi provisionibus licite faciendis hanc regulam generalem statuunt Quatuor Magistri (2): « quod solum exigente necessitate possunt sibi Fratres in posterum providere, ita tamen quod nec diuturnitate, nec rerum quantitate vel qualitate, in provisione quam faciunt in rebus sibi necessariis, forma paupertatis excedatur »; quae provisionis faciendae necessitas, declarante Clemente V (3), in praxi diiudicanda relinquitur Superioribus, non quidem ex levi timore, sed ex aliquo experimento vel saltem ex coniectura omnino fundata (4).

(1) Quaest. 7 circa Regulam apud Kerckhove cap. 5 § 4 n. 2.
(2) In cap. 4 Regulae.
(3) Cfr. comment. ad art. 285.
(4) Cfr. Kerckhove cap. 5 § 4 nn. 3 et 4.

2. **Interdictae** sunt vi Regulae ex Declaratione Clementis V (1), **quaestuationes seu collectae pecuniariae**, quatenus fiunt sive ab ipsis Fratribus sive etiam ab aliis Fratrum auctoritate, vel saltem Fratribus concomitantibus vel quovis modo assistentibus; quam prohibitionem clarius exprimens prima Regula cap. 8 habet: « Fratres nullo modo recipient pecuniam vel recipere facient pro domibus aut locis; nec cum persona quae pro talibus locis denarios vel pecuniam petit, comitabuntur ». Ratio habetur ex eo quod intervenit vera pecuniae receptio saltem per interpositam personam, aut certe, ut loquitur Marchant (2), actus qui ex genere suo male sonat et speciem mali habet. — Nec excusari possunt huiusmodi quaestuationes ex eo, quod supposita necessitate videntur esse legitimus recursus ad amicos spirituales; toto enim coelo differunt a vero recursus conceptu, siquidem in recursu actio Fratrum directe et immediate tendit in ipsam rem procurandam, et indirecte et mediate tantum in pecuniam, qua mediante procuratio fiat, contra in quaestuationibus pecuniariis actio Fratrum directe et immediate tendit in ipsam pecuniam, ut per eamdem fiat rei procuratio; accedit quod ex expresso Regulae textu in legitimo recursu semper exclusa esse debet quaevis pecuniae receptio, quae ex dictis, saltem morali sensu, intervenit in praefatis pecuniariis collectis.

Verum nullo modo laeditur Regula, si, supposita necessitate, pecunia ab aliis (absque ullo Fratrum interventu ut supra) collecta a Fratribus admittitur per syndicum nomine Papae recipienda et in usus licitos expendenda; tali enim in casu nulla habetur ex parte Fratrum prohibita circa pecuniam actio. Sic nihil impedit, quominus v. g. parochus suo nomine et auctoritate in parochia instituat quaestuationum seu collectam pecuniariam, pro remunerando labore spirituali in parochia a Fratri-

(1) Art. 7 *De prohibita pecunia* n. 1.
(2) Cap. 4 tit. 6 qu. unica, *conclusio* 3.

bus praestito, ut ex tali pecunia, ab ipso parocho vel alio suo nomine vel etiam a syndico expendenda, satisfiat occurrentibus necessitatibus. Et licet hae collectae fiant ratione laboris Fratrum, exinde tamen ipsi non maculantur; nam sicut persona singularis intuitu laboris a Fratribus praestiti consignare potest eleemosynam pecuniariam in ipsorum necessitates debito modo expendendam, ita et populi communitas id potest, quocumque modo pecuniam colligat, modo non interveniant Fratres. « Caute tamen — ita monet Kerckhove (1) — in hoc se gerere debent Fratres, ne revera mens ipsorum ad pecunias feratur et pusilli scandalizentur ».

Item si Frater non denarios, sed alias res licitas cum homine saeculari mendicat, et si quis benefactor non petitus sed spontanea voluntate praedicto homini saeculari traderet pecuniam ab ipso expendendam pro Fratrum necessitatibus, Regula non violatur, quia in tali casu iste saecularis homo non est interposita persona Fratris, sed fit substitutus dantis. Magna autem circumspectione hac in re opus est, ne per moralem quemdam Fratris influxum trangressio Regulae contingat, aut scandalum oriatur (2).

3. **Non prohibetur,** ex plurium contra alios sententia, **quaestuatio** rei in sua individuali specie superabundantis, **ut ipsa** a syndico per se vel per alium **vendatur,** et pretium in alias Fratrum necessitates expendatur. Patet ex Declaratione Nicolai III (3), qua permittitur receptio rerum ex testamento relictarum « ad hoc quod per certam personam vel personas idoneas distrahantur, et pecunia de rebus ipsis accepta in aedificia vel alia Fratrum necessaria convertatur »; si igitur in eadem declaratione (4) excluditur receptio rerum eo animo ut vendantur, id explicandum est de receptione ad superfluitatem vel the-

(1) Cap. 3 § 2 n. 29 circa finem.
(2) Cfr. Albertus a Bulsano pag. 190.
(3) Art. 11 *De legatis ex testamento relictis* n. 2.
(4) Art. 5 *De paupere usu* n. 1.

saurizationem, quas excludere ibidem intendit Pontifex (1). — Ratio autem qua expositores dissentientes innituntur, rem scil. receptam eo animo ut vendatur esse pecuniam, saltem est valde dubia, et a pluribus aliis merito ut falsa reiicitur (2).

327. Fraternitatis sive filiationis litterae, quibus Praelati maiores specialibus benefactoribus Ordinis communicationem et participationem suffragiorum, orationum et meritorum totius Ordinis vel respectivae provinciae concedere solent, a Ministris illis tantum fidelibus dentur cui de facto benefactores insignes fuerint. Universos tamen benefactores participes declaramus communium Fratrum precum quae pro eis quotidie a communitatibus effunduntur.

Statuitur hoc art. ne affiliationis litterae concedantur nisi benefactoribus insignibus iudicio Praelatorum maiorum.

§ VI.

De fraterna dilectione.

328. Inculcantes Fratribus Salvatoris nostri Iesu Christi de mutua dilectione mandatum, omnes enixe hortamur, ut sincera charitate fraterna ubique ambulent, honore et reverentia invicem se praeveniant, obsequiis charitatis libenter se adiuvent, omnem quoque zelotypiam prorsus evitent ac perhorrescant, semper solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.

---

(1) Cfr. Marchant in Regulae cap. 6 tit. 3 qu. 4.
(2) Cfr. Marchant in Regulae cap. 4 text. 1 tit. 1 qu. 1.

329. Cum Ordo noster diffusus sit in universo mundo, et Fratres nostri degant in variis provinciis et nationibus, ad pacem perpetuo servandam districte prohibemus ne Frater Fratrem quempiam ratione suae nationis vel provinciae consuetudinum irrisorio aliquo vel iniurioso nomine appellet.

Commendatur et praecipitur his art. **fraterna dilectio exercenda** erga omnes Ordinis alumnos cuiuscumque provinciae vel nationis fuerint, tum interna per benigna iudicia et benevolos affectus, quum etiam externa per affabilem societatem et promptum obsequium.

330. Qui charitatem fraternam sive verbis, sive litteris, sive factis laeserit, ut perturbator pacis debite punitus ad satisfactionem compellatur. De cuius statuti executione conscientiam Superiorum specialiter oneratam declaramus.

Statuitur hoc art. **debite puniendus, et ad satisfactionem compellendus laedens charitatem fraternam.** De huius statuti esecutione conscientia Superiorum specialiter onerata declaratur; ut inde Superiores intelligant, quam exacta fidelitate eiusdem executionem curare debeant.

§ VII.

De religiosa hospitalitate.

331. In quolibet conventu hospitia sint seu mansiones cum necessaria supellectili, recipiendis hospitibus destinatae, et quidem, quoad fieri poterit, a cellis Fratrum separatae.

Praecipiuntur hoc art. **peculiaria hospitia constituenda,** ad quae conventus incolis non pateat liber ac-

cessus, ut sic sine incolarum incommodo ac disciplinae claustralis relaxatione peculiari affectione recipi possint hospites.

332. Cum primum Fratres hospites ad conventum accesserint, litteras obedientiales Superiori exhibeant, qui benigne eos recipiat, atque ut omnia charitatis officia erga eos exerceantur sedulo curet.

Inculcatur hoc art. **exercenda erga confratres hospitalitas,** quae requirit, ut confratres hospites hilari corde et vultu placido benigne recipiantur ac tractentur, et quidem non ut extranei, sed ut domestici iuxta illud Regulae: « Et ubicumque sint et se invenerint Fratres, ostendant se domesticos invicem inter se ». Nam — ut docet Lessius (1) — Fratres tam incolae quam peregrini, quum sint eiusdem Religionis, habent in bona conventuum quoad usum idem ius; ex quibus infert de Peyrinis (2), Superiores locales teneri ex debito iustitiae recipere et benigne tractare confratres hospites, per suos conventus cum debitis obedientialibus transeuntes, nec proprie tamquam hospites, sed tamquam Fratres ius habentes ut vescantur cibis, quibus aluntur Fratres in illa communitate residentes.

333. Hospites nostri Ordinis, plus triduo commorantes, die noctuque choro caeterisque communitatis exercitiis interesse debent, nisi eos legitimae causae a Superiore approbatae excusent.

Statuitur hoc art. **specialis confratrum hospitum obligatio,** ut scil. ultra triduum in aliquo conventu commorantes diu noctuque choro intersint, ac cetera servent

(1) Apud Kerckhove cap. 4 § 7 n. 1.
(2) Ibidem.

communitatis exercitia, nisi legitima causa a Superiore locali approbata excusentur, et hoc iure ac merito ex allata ratione quod ipsi non sunt extranei, sed Fratres, ad easdem obligationes adstricti ac ceteri.

334. Officia hospitalitatis, charitatis et obsequii erga omnes, maxime ecclesiasticos et Fratres aliorum Ordinum, summopere commendamus, et in primis erga Fratres Ordinis Praedicatorum pro antiqua amicitia inter utrumque geminum Ordinem exsistente.

Commendatur hoc art. obsequiosa **hospitalitas exercenda erga omnes,** maxime erga clerum tum saecularem quum regularem, et prae ceteris erga Fratres Ordinis Praedicatorum, qui non tamquam extranei, sed velut Fratres Ordinis nostri benigne et charitative recipi debent, pro antiqua, quae inter utrumque Ordinem existit, amicitia ex arctissimo charitatis vinculo, quo eorumdem Patriarchas constat fuisse in Domino coniunctos.

§ VIII.

De cura infirmorum.

335. Quum, iubente S. Regula nostra, Fratres debeant Fratri suo qui in infirmitatem ceciderit servire, sicut vellent sibi serviri, et hoc praeceptum generatim loquendo adimplere non possit, nisi habeantur valetudinaria rite instructa, curent Superiores ut in singulorum conventuum commodiori parte locus cum sacello et aliis necessariis, iuxta Fratrum numerum constituatur, in quo hi quum aegrotaverint curentur, nec inde, nisi recuperata sanitate, abire permittantur.

336. Optamus insuper ut quaelibet provincia, in loco salubriori et amoeniori, habeat amplius valetudinarium, quo habitualiter infirmi e tota provincia congregari possint.

Agitur hisce art. **de valetudinariis,** quorum nomine intelliguntur loca pro curandis infirmis specialiter deputata. — Circa huiusmodi loca imprimis statuitur, ut in singulis conventibus ac residentiis habeatur constitutum valetudinarium magis vel minus amplum iuxta ordinarium respectivae domus Fratrum numerum, et quidem rite instructum, omnibus scil. rebus quae ad ordinariam curam infirmorum spectant. — Deinde commendatur, ut in qualibet provincia constituatur valetudinarium commune pro habitualiter infirmis.

337. Infirmorum vero curae praepositi omni sedulitate ac charitate operam suam praestare studeant, ac solliciti sint ne quid aegrotis desit de necessariis ad salutem recuperandam vel morbi molestias mitigandas.

Praescribitur sollicita cura de infirmis habenda ab iis qui infirmorum servitio sunt praepositi.

338. Res quaecumque ad valetudinaria pertinentes inde auferri vel ad alios usus applicari non possunt, neque tempore quo nullus in illis habeatur infirmus.

Statuitur **ne e valitudinariis res ad eadem pertinentes ullo tempore auferantur,** ut semper praesto sint occurrenti, etiam subitaneae et improvisae necessitati.

339. Guardianus et Vicarius aegrotos frequenter visitent, ut et solatio illis sint, et ab eis quae necessaria fuerint melius cognoscant, ac de iis sol-

licite provideant; et si nihil obstat, etiam caeteri Fratres eos visitent quin tamen ipsos molestia afficiant, et pie eos in Domino consolari studeant.

Commendatur hoc art. **aegrotorum visitatio** facienda imprimis **a Superioribus localibus**, tum quia visitatio patris solatio est filio aegrotanti vel afflicto, et ad Superiorem prae ceteris pertinet cura de bono spirituali Fratris infirmi, tum ut personali inquisitione cognoscant, num omnia necessaria opportune provideantur et praestentur eisdem, ac num Fratres infirmarii diligenter et caritative illis deserviant; deinde etiam **a ceteris Fratribus** in eorumdem solatium ac spirituale bonum. « Inordinate ergo procedunt — ita Albertus a Bulsano (1) — qui longo tempore apud infirmos commorantes de mundi novitatibus aliisque rebus vanis inepte garriunt; hi enim infirmis valde molesti fiunt vel horum animae nocent, quae per inanes eorum confabulationes misere distrahitur, et non coelestibus sed terrestribus affectibus repletur ».

340. Superior localis et infirmarius attendant ut aegroti ea qua potest frequentia Angelorum Pane reficiant et opportuno tempore ultimis Sacramentis muniantur.

Inculcatur hoc art. **cura de SSma Eucharistia frequentius suscipienda et de ultimis Sacramentis tempestive administrandis**: quae cura prae ceteris Superiori locali et infirmario incumbit.

341. Sollicitam curam gerant Guardiani etiam de Fratribus senibus et debilibus, quorum valetudo speciali indiget servitio.

Iniungitur hoc art. Guardianis in providendis subditorum necessitatibus **gerenda specialis cura de Fratri-**

(1) In *Expositione Regulae* § 107, 3.

bus senibus, licet actu infirmi non sint; eisdem enim, ratione naturae decrescentis facile necessaria esse possunt, quae aliis in virili aetate existentibus omnino superflua sunt dicenda.

NOTANDUM, ex Kerckhove (1), delinquere, imo et pro rata materia peccare illos Fratres infirmos qui ad minimas indispositiones aut debilitates sese deiiciunt, et quasi mox animam exhalaturi pro medicis et pharmacis instant, atque illico ab omni desistunt labore ac religioso exercitio; — qui in suis infirmitatibus pretiosiora et abundantiora exquirunt, quam decet statum pauperem: nam, ut recte habet Hugo de Dina (2), infirmus, si pauper est voluntarius, pensare debet non quae divites, sed quae pauperes infirmos decent: pauperis autem est modicis esse contentum et in necessariis saepe deficere, defectumque aequanimiter tolerare, grandium vero est grandia quaerere, et nullum in votis aequanimiter defectum ferre: neque — ut ait Ioannes Philippi — more redituariorum possumus communiter provideri; — qui infirmitatum praetextu sine debita licentia sibi appropriant electuaria et similia per modum medicinalium remediorum contra ordinarias infirmitates: necessaria denegare non possunt Superiores, sed proprietaria dictorum receptio et reservatio prohibetur per Regulam, uti et usus non necessarius.

342. Pharmaca, si quae sint in conventu, Fratribus deserviant, sed extraneis non vendantur.

Fertur hoc art. prohibitio **ne vendantur extraneis pharmaca,** si quae in conventu habentur.

(1) Caput 4 § 6 nn. 5-7.
(2) In cap. 6 Regulae.

ADDITIONES ET CORRECTIONES

Ad art. 42 (pag. 74 sqq.). Exposita ibidem doctrina de novitiatus integritate et interruptione reformanda est ad statuta et decreta S. C. de Religiosis 3 Maii 1914 (1) quae sequuntur:

1. Annus integer novitiatus, qui solus ad validitatem professionis requiritur, in posterum non stricte de hora ad horam, sed de die in diem intelligi debet. Idem dicendum de tribus [vel sex] integris annis votorum simplicium, quae emissionem votorum solemnium praecedere debent.

2. Novitiatus interrumpitur ita ut denuo incipiendus et perficiendus sit: *a)* si novitius a Superiore dimissus e domo exierit; *b)* si absque Superioris licentia domum deseruerit; *c)* si ultra triginta dies etiam cum licentia Superioris extra novitiatus septa permanserit.

3. Si novitius infra triginta dies, etiam non continuos, cum Superiorum licentia, extra domus septa permanserit, licet sub Superioris obedientia, requiritur ad validitatem, et satis est, dies hoc modo transactos supplere: at Superiores hanc licentiam nisi iusta et gravi de causa ne impertiant.

Speciatim de novitiis militiae addictis attendenda sunt haec quae sequuntur S. C. de Religiosis Responsa 3 Maii 1914 (2):

I. Utrum novitiatus illorum qui coguntur e domo probationis exire causa militiae aut ad eandem militiam denuo vocati, censendus sit *interruptus*, ita ut ab initio sit repetendus, nulla ratione habita temporis novitiatus iam expleti; an vero sit aestimandus tantummodo *suspensus*, ita ut debeat solum compleri.

(1) Cfr. A. A. S. vol. VI pag. 229.
(2) Cfr. A. A. S. vol. VI pag. 230.

II. Utrum computari possit veluti tempus novitiatus servitium militare quod expletur in loco ubi exstat domus probationis, si novitii maneant sub disciplina et vigilantia moderatorum et horis subsecivis consistant in eadem probationis domo, eaque omnia peragant quae cum militia concilientur.

Emi et Revmi Patres Cardinales sacrae huius Congregationis de Religiosis, omnibus mature perpensis, respondendum censuerunt:

Ad 1um. *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam, si novitius ultra triginta dies completos servitio militari reapse addictus fuerit. Si infra triginta dies, hi supplendi erunt. Et in quocumque casu ad professionem votorum admitti nequit nisi saltem per triginta dies probetur.

Ad 2um. *Negative.*

Ad art. 65 (pag. 95 sq.). Tradita ibidem sub *c)* doctrina de confessario novitiorum, ex Decreto S. C. de Religiosis 5 Aug. 1913, confirmata est per eiusdem S. Congr. Responsum 3 Maii 1914 ad 2 (1) quod sequitur:

An idem Decretum [5 Aug. 1913] comprehendat etiam novitios cuiuscumque Ordinis vel Congregationis?

Responsum fuit: *Affirmative.*

Ad art. 78 (pag, 116, 3) de mutatione administratoris stante professione simplici. Qua de re attendendum Responsum S. C. Episc. et Regul. quod sequitur:

VV. e RR. N° 650/9

Curia generalizia.

Bmo Padre,

Il Ministro gen.le di tutto l' Ordine de' Minori con venerazione profonda e pari umiltà, supplice implora dalla S. V. la dichiarazione de' seguenti dubbii:

. . . . . .

(1) Cfr. A. A. S. vol. VI pag. 232.

III. In forza del Decreto del 17 Luglio 1858 permettendosi ai professi di voti semplici ritenere il dominio radicale de' loro beni, si prescrive non ostante ai medesimi di affidarne l' amministrazione a chi più loro aggrada *prima* di venire all'atto dei voti semplici. Morendo pertanto l'amministratore già designato, o rendendosi questi incapace od infedele nell' amministrazione dei beni; sarà lecito ai medesimi sostituirgli un altro anche dopo la professione dei voti semplici?

Ex Aud.ª SSmi habita ab infro D. Secretario S. Congnis Eporum et Regularium sub die 7 Septembris 1866.

. . . . . .

Quo vero ad quaesitum sub numero III Eadem Sanctitas Sua respondi mandavit = Affirmative de consensu Superioris localis =. Romae =.

A. Card. Quaglia, *Praef.*
S. Svegliati, *Secret.*

(Ex *Archivo Procurae Generalis Ordinis Fratrum Minorum* Regestum a die 1 Iulii 1862 ad diem 26 Aprilis 1869 (in dorso tomo XVIII) pags. 262-63).

Ad art. 108 (pag. 157, 2), attendenda sunt haec quae sequuntur S. C. de Religiosis Responsa 1 Mart. 1915 circa interruptionem studiorum (1):

I. Cum haud raro contingat, ut Religiosi studentes, absque ulla ipsorum aut Superiorum culpa, per plures menses studia interrumpere cogantur (ex. gr. infirmitatis, aut servitii militaris causa), quaeritur utrum huiusmodi studentes totum annum scholarem sic interruptum seu abbreviatum repetere teneantur; an a Superiore generali, accedente voto deliberativo suorum Consiliariorum, dispensari possint.

II. Utrum examen seu periculum de quo in Responso ad n. VI Declarationum sacrae Congregationis diei 7 Sep-

(1) Cfr. A. A. S. vol. VII pag. 123 sq.

tembris 1909 sermo est, subiri debeat etiam ab alumnis, qui aliquam disciplinam accessoriam theologiae in scholis non excoluerint; et si affirmative, utrum hoc examen tam ab istis alumnis quam ab aliis subeundum, coincidere possit cum examine in fine anni scholaris subiri solito.

Quibus quaestionibus, in Congregatione generali diei 8 Ianuarii 1915, Emi Patres responderunt:

Ad I *Negative* ad 1^{am} partem; *affirmative* ad 2^{am} dummodo 1) interruptio seu compendium studiorum complexive non duraverit ultra tres menses; 2) studia omissa scholis privatis suppleta fuerint; 3) et in examine constiterit, ex testimonio examinatorum seu doctrinae iudicum, alumnos disciplinas, de quibus in eorum absentia in scholis actum est, prorsus didicisse.

Ad II Examen, de quo in Responso ad num. VI Declarationum sacrae Congregationis diei 7 Sept. 1909 agitur, requiri pro qualibet disciplina omissa, sufficere tamen examen ordinarium etiam in fine anni praestitum, quod ex testimonio examinatorem seu doctrinae iudicum constare debet.